SC.17.Pl.u.

37
27 D
7

ARA 614

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS DOGMATICO-MORALIS

DE INDULGENTIIS

IN DUAS PARTES DISTRIBUTUS

IN QUARUM PRIMA

Poſt Diſſertationem Procemialem Hiſtoricam de Origine, & Progreſſu Indulgentiarum

JUXTA VETEREM, AC NOVAM ECCLESIÆ DISCIPLINAM

AGITUR

De Indulgentiis in genere: & tum adverſus antiquos, & recentiores Hæreticos Catholicæ veritates propugnantur: tum ad tutiorem praxim morales opiniones exponuntur.

IN SECUNDA

De Indulgentiis in particulari, ſive de Indulgentiis Localibus, ſive Perſonalibus, ſive Realibus.

His adduntur plurimæ Conſtitutiones, ad Indulgentiarum notitiam habendam neceſſariæ: & quænam Apocryphæ Indulgentiæ ſint, quæque legitimæ, ex ipſis Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Sacrarum Congregationum Decretis, ſeu Reſponſis aperitur.

PARS SECUNDA.

DE INDULGENTIIS IN PARTICULARI.

AUTHORE

F. THEODORO A SPIRITU SANCTO

Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum Conſultore, necnon Sacræ Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ Theologo.

ROMÆ, MDCCXLIII.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

PRÆSIDUM PERMISSU.

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM,

Quæ continentur in Parte Secunda Tractatus.

CAPUT I. *De Indulgentiis Localibus*. pag. 1.

Articulus I. *De Indulgentiis, quæ ſæpe ab Apoſtolica Sede conceduntur fidelibus viſitantibus Eccleſias in Sanctorum feſtivitatibus*. ibid.

§. I. *Finis Sedis Apoſtolicæ in concedendis Indulgentiis in Sanctorum feſtivitatibus*. 2.

§. II. *Antiqua Indulgentiarum Exempla pro Sanctorum feſtivitatibus*. 4.

§. III. *Antiqua Indulgentiarum Exempla in Beatorum feſtivitatibus*. 9.

§. IV. *Recentior Eccleſiæ Diſciplina in concedendis Indulgentiis in feſtivitatibus Beatorum, ac Sanctorum, quorum nomina non ſunt deſcripta in Martyrologio Romano*. 11.

§. V. *Quæ & quomodo concedantur Indulgentiæ pro feſtivitatibus Sanctorum, quæ in Eccleſiis celebrantur?* 14.

§. VI. *De Indulgentiis conceſſis pro feſtivitatibus Dedicationis Eccleſiarum; & Corporis Chriſti, pro quibus juxta ſtilum non ſolent concedi aliæ Indulgentiæ*. 19.

§. VII. *De Indulgentia Plenaria ad plures dies extenſa: & de Quotidiana ſemel ab unoquoque Chriſtifideli intra annum lucrifacienda*. 21.

§. VIII. *Quid ſentiant Doctores de Indulgentia Plenaria pro feſtivis diebus conceſſa, quum feſtivitates ad aliam diem transferuntur: quique ſit ſenſus Sacrarum Congregationum Rituum, & Indulgentiarum?* 22.

§. IX. *De Confirmatione Indulgentiarum, quæ ſemel datæ fuerunt pro feſtivitatibus Sanctorum*. 25.

§. X. *An expediat ad recolendam memoriam Sanctorum veteris Teſtamenti Indulgentias concedere cum expreſſione nominum eorundem in Literis Apoſtolicis: ut obſervatur in feſtis Sanctorum novi Teſtamenti, quorum nomina ſunt deſcripta in Martyrologio Romano?* 26.

Articulus II. *De Indulgentiis Stationum*. 29.

§. I. *Stationum Significatio, Origo, & Determinatio*. ibid.

§. II. *Exponuntur quædam Indulgentiæ Stationum*. 32.

§. III. *Expediuntur Difficultates de Indulgentiis Stationum*. 35.

Index Solemnium Collectarum, & Stationum S. R. E. ex duobus membraneis Codicibus Vaticanis, relatus a Mabillonio in Muſæo Italico Tomo II. 41.

Indice delle Stazioni, ed Indulgenze Stazionali delle Chieſe di Roma per tutto l' Anno, publicato per ordine del Eminentiſſimo e Reverendiſſimo Signor Cardinal Gio: Antonio Guadagni Vicario di N. S. l' Anno MDCCXLIII. 44.

Articulus III. *Exponuntur aliæ Indulgentiæ Locales*. 46.

§. I. *Indulgentiæ Septem Altarium Baſilicæ S. Petri*. ibid.

§. II. *Indulgentiæ Septem Eccleſiarum*. 47.

§. III. *Indulgentiæ Feriarum Sextarum Menſis Martii*. 48.

§. IV. *Indulgentiæ Scalæ Sanctæ*. 50.

Articulus IV. *De Indulgentia Altaris Privilegiati*. 53.

§. I. *Quid ſit Altare Privilegiatum: & quid neceſſarium ſit, ut Sacerdos in eo celebrans Indulgentiam Plenariam pro Defuncto per modum ſuffragii lucretur?* ibid.

§. II. *Quæ Miſſa dicenda ſit in Altari Privilegiato pro Defunctis ad acquirendam Indulgentiam Plenariam per modum ſuffragii animæ exiſtenti in Purgatorio?* 57.

Digitized by Google

§. III. *Mos & ſtilus Sedis Apoſtolicæ pro conceſſione Altaris Privilegiati.* 63.

§. IV. *De conceſſione Altaris Privilegiati Perpetui pro Eccleſiis Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus, & Cathedralibus: vel ad tempus pro Parochialibus, aliiſque Eccleſiis, ac Cappellis præter regulam & ſtilum in antecedenti §. expenſum.* 67.

§. V. *Quid ſentiendum ſit de Privilegio Altaris, ubi Miſſarum numerus in Literis, Apoſtolicis expreſſus non impletur?* 69.

§. VI. *Quid dicendum ſit de Altaris Privilegio, ſi Altare in alium locum transferatur, vel alibi reædificetur?* 72.

Articulus V. *Clauſulæ, & Formulæ quædam, quæ in Literis Apoſtolicis Indulgentiarum Localium apponuntur.* 73.

§. I. Clauſula: *A primis veſperis uſque ad occaſum Solis.* ibid.

§. II. Clauſula: *Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris.* 79.

§. III. Clauſula: *Volumus autem, ut ſi alias Chriſtifidelibus, in quocunque alio anni die dictam Eccleſiam, ſeu Cappellam, aut Altare in ea ſitum viſitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit; præſentes Literæ nullæ ſint.* 80.

§. IV. Clauſula: *Volumus autem, ut ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur; præſentes Literæ nullæ ſint.* 84.

CAPUT II. *De Indulgentiis Perſonalibus.* 88.

Articulus I. *De Indulgentiis Ordinum Regularium.* ibid.

§. I. *Conſtitutio Pauli V. ſuper Indulgentiis Ordinum Regularium.* ibid.

§. II. *Solvuntur nonnulla dubia ſuper Indulgentiis Ordinum Regularium a Paulo V. revocatis.* 92.

§. III. *Solvuntur nonnulla dubia de conceſſione Indulgentiarum Pauli V. pro Regularibus.* 99.

§. IV. *Solvuntur alia dubia de Indulgentiis Regularium.* 102.

§. V. *Indulgentiæ ad tempus limitatum Regularibus concedi conſuetæ.* 112.

§. VI. *Nonnulla ſcitu digna circa communicationem Indulgentiarum inter Ordines Regulares.* 113.

Articulus II. *De Indulgentiis Confraternitatum.* 116.

§. I. *Prænotio neceſſaria pro Indulgentiis Confraternitatum.* ibid.

§. II. *Statuta Clementis VIII. in erectione & aggregatione Confraternitatum ſervanda, necnon in Indulgentiarum, & Privilegiorum communicatione, eleemoſynarum collectione, & Confeſſariorum electione.* 123.

§. III. *Obſervationes ſuper dictis Statutis Clementis VIII.* 128.

§. IV. *Indulgentiæ Confraternitatibus a Sede Apoſtolica concedi ſolitæ: & conditiones ad illas obtinendas requiſitæ.* 160.

§. V. *Nonnulla dubia ſolvuntur ſuper Indulgentiis Confraternitatum.* 161.

§. VI. *De conditionibus, & operibus injunctis ad acquirendas Indulgentias Confraternitatum.* 165.

§. VII. *Notanda ſuper Indulgentiis, ac Privilegiis, quibus gaudent Confraternitates Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & Doctrinæ Chriſtianæ.* 168.

Articulus III. *De Indulgentiis pro publica Expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti conceſſis.* 175.

§. I. *De Inſtitutione Orationis quadraginta horarum.* ibid.

§. II. *Indulgentiæ conceſſæ, & concedi ſolitæ pro Oratione quadraginta horarum, aliiſque publicis Expoſitionibus Sanctiſſimi Sacramenti.* 180.

Articulus IV. *De aliis Indulgentiis Perſonalibus.* 184.

§. I. *Indulgentia pro Communione Generali.* ibid.

§. II. *Indulgentia pro Exercitiis Spiritualibus.* 186.

§. III. *Indulgentiæ pro Novendiali piorum operum exercitio prævio ad Nativitatem Domini Noſtri Jeſu Chriſti.* 188.

§. IV. *Indulgentiæ pro recitantibus flexis genibus ſingulis feriis ſextis quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ad ſonum Cam-*

Campanæ hora tertia poſt meridiem, in memoriam Paſſionis, & Agoniæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti. 189.

§. V. *Indulgentiæ pro recitantibus Salutationem Angelicam ad pulſationem campanæ mane, meridie, & veſpere.* ibid.

§. VI. *Indulgentiæ pro recitantibus ſub horam noctis ad ſonum campanæ Pſalmum Deprofundis: vel ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, cum verſiculo Requiem æternam.* 192.

§. VII. *Indulgentiæ pro aliis bonorum operum exercitationibus.* 193.

Articulus V. *De Indulgentia in articulo mortis.* 194.

§. I. *Antiqua exempla conceſſionis Indulgentiæ pro articulo mortis.* ibid.

§. II. *Recentiora exempla conceſſionis Indulgentiæ in articulo mortis.* 196.

§. III. *De facultate concedendi conſuetæ Epiſcopis impertiendi Indulgentiam Plenariam in articulo mortis agonizantibus in ſuis Diœceſibus: ac de formula conceſſionis hujus facultatis.* 197.

§. IV. *Duplex modus conceſſionis Indulgentiæ in articulo mortis.* 200.

§. V. *In quo mortis articulo locum habeat hæc Indulgentia?* 202.

Caput III. *De Indulgentiis Realibus.* 207.

Articulus Unicus. *De Indulgentiis, quæ Numiſmatibus, Coronis, Crucibuſque benedictis addicuntur.* ibid.

§. I. *De Ritu benedicendi Numiſmata: & de origine concedendi Indulgentias iis, qui rebus hujuſmodi utuntur.* ibid.

§. II. *Quando nam Calculi, & Coronæ pro* Orationibus *recitandis adhiberi cœperint? & de Indulgentiis pro eiſdem Calculis, & Coronis conceſſis.* 217.

§. III. *Quomodo ad piam cauſam concurrant Numiſmata, Cruces, & Calculi precatorii: ita ut eorum intuitu conceſſiones Indulgentiarum rite fieri poſſint?* 222.

§. IV. *Declarationes, & Statuta ſuper Indulgentiis conceſſis Coronis, Roſariis, parvis Crucibus, Sanctorum Imaginibus ex auro, alioque metallo confectis, a Summis Pontificibus benedictis: Item Formulæ earundem Indulgentiarum.* 223.

§. V. *Solvuntur dubia ſuper Indulgentiis Numiſmatum, & Coronarum &c.* 229.

§. VI. *De Indulgentiis, quas Summi Pontifices concedunt, per alios diſtribuendas, & applicandas Coronis, Crucibus, Numiſmatibus &c.* 232.

Caput IV. *De Indulgentiis Apocryphis.* 236.

Articulus Unicus. *Quænam Indulgentiæ velut Apocryphæ cenſendæ ſint, & rejiciendæ?* ibid.

§. I. *Ad quos ſpectet Indulgentias examinare, an ſcilicet legitimæ ſint, vel Apocryphæ: earumque exceſſus corrigere?* ibid.

§. II. *Quæ obſervanda ſint pro examine Indulgentiarum; an legitimæ ſint, vel Apocryphæ?* 240.

§. III. *Indulgentiæ declaratæ Apocryphæ, earumque Summaria prohibita a Sacris Congregationibus.* 247.

Appendix *Ad Secundam Partem de Indulgentiis Legitimis Perſonalibus & Realibus.* 257.

§. I. *Indulgentiæ Confratrum Sodalitatis Sanctiſſimi* Nominis Dei. ibid.

§. II. *Breve Innocentii XI. quo confirmatur Summarium Indulgentiarum Confraternitatum Sanctiſſimi* Roſarii Beatæ Mariæ Virginis. 260.

§. III. *Breve Clementis X. quo confirmantur omnes Indulgentiæ Ordinis, & Confratrum* Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo. 272.

§. IV. *Breve Clementis X. quo confirmantur, & noviter conceduntur Indulgentiæ Confraternitatum* Cincturatorum SS. Auguſtini, & Monicæ ſub invocatione Beatæ Virginis Mariæ de Conſolatione. 280.

§. V. *Breve Innocentii XI. quo confirmatur Summarium Indulgentiarum Confraternitatum* Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum. 293.

§. VI. *Breve Innocentii XI. quo confirmatur Summarium Indulgentiarum Confraternitatum* Beatæ Mariæ de Mercede Redemtionis Captivorum. 297.

§. VII. *Summarium Indulgentiarum, gra-*

gratiarum, & privilegiorum in perpetuum conceſſorum a Summis Pontificibus Archiconfraternitati Sacræ Chordæ S. Franciſci, *& Confraternitatibus eidem aggregatis: necnon aliarum Indulgentiarum, quæ extenduntur ad omnes Chriſtifideles.* 302.

§. VIII. *Breve Innocentii XI., quo confirmatur Summarium Indulgentiarum, & facultatum Confraternitatum* Servorum, *ſive* Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis. 306.

§. IX. *Indulgentiæ Confratrum* Minimorum S. Franciſci de Paula. 309.

§. X. *Bulla Benedicti XIII. qua erigitur primaria Congregatio vulgo* La Buona Morte *in Eccleſia Domus Profeſſæ Societatis Jeſu cum Indulgentiis per modum ſuffragii applicandis.* 311.

§. XI. *Breve Clementis XI. quo conceduntur Indulgentiæ geſtantibus* Scapulare Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ. 315.

§. XII. *Decretum de Indulgentiis a Benedicto XIII. conceſſis recitantibus* Roſarium Beatæ Mariæ Virginis. 316.

§. XIII. *Indulgentiæ conceſſæ* Coronis Domini, *a Monachis Congregationis Camaldulenſis Ordinis S. Benedicti, & Eremitis Camaldulenſibus tradi conſuetis.* 317.

§. XIV. *Breve Clementis XI. quo conceduntur Indulgentiæ* Roſariis, *ſeu* Coronis S. Birgittæ. 319.

§. XV. *Breve Benedicti XIII. quo conceduntur Indulgentiæ recitantibus* Coronas Septem Dolorum Beatæ Virginis Mariæ. 320.

§. XVI. *Breve Innocentii XI. quo conceduntur Indulgentiæ* Crucibus, Coronis, & Roſariis Terræ Sanctæ. 322.

§. XVII. *Breve Benedicti XIII., quo confirmatur Summarium Indulgentiarum conceſſarum Crucibus, Roſariis, Numiſmatibus, & Coronis benedictis ab Abbate Montis-Serrati Congregationis Valliſoletanæ Ordinis S. Benedicti.* 324.

§. XVIII. *Breve Benedicti XIII., quo confirmantur nonnullæ Indulgentiæ pro Minoribus, aliiſque eis ſubjectis pium exercitium* Viæ Crucis *peragentibus: ipſæque Indulgentiæ quibuſcunque aliis conceduntur.* 327.

TRACTATUS
DOGMATICO-MORALIS
DE
INDULGENTIIS
PARS SECUNDA
CAPUT PRIMUM
DE INDULGENTIIS LOCALIBUS.

CUM variæ ſint Indulgentiæ Eccleſiis conceſſæ vel concedendæ, operæpretium eſt de iis agere : & ea tradere in hoc Capite, quæ earum notitiæ comparandæ maximopere ſunt profutura . 1.° igitur agemus de Indulgentiis pro Sanctorum necnon Beatorum Feſtivitatibus . 2.° de Indulgentiis Stationum , earumque communicatione . 3.° de iis , quæ pro Altaribus Privilegiatis conceſſæ ſunt , necnon de praxi concedendi dicta Altaria Privilegiata pro Fidelibus defunctis . 4.° de quibuſdam aliis particularibus Indulgentiis Localibus . 5.° de aliquibus clauſulis , quæ in Brevibus Indulgentiarum apponi ſolent juxta ſtilum Curiæ Romanæ .

ARTICULUS I.

De Indulgentiis , quæ ſæpe ab Apoſtolica Sede conceduntur Fidelibus viſitantibus Eccleſias in Sanctorum Feſtivitatibus .

INdulgentias in Sanctorum Feſtivitatibus concedi conſuetas in hujus Articuli limine exponendas aggredimur, iſtæ enim ſunt præcipuæ inter Locales , quæ per Clavium poteſtatem ad pœnæ temporalis relaxationem a Summis Pontificibus ex Eccleſiæ Theſauro diſpenſantur .

§. I.

Finis Sedis Apoſtolicæ in concedendis Indulgentiis in Sanctorum Feſtivitatibus.

Voluntati Divinæ gratum acceptumque eſt, Chriſtifideles ad Sanctorum memoriam honorifice recolendam excitari, eundemque cultum ex Apoſtolica Traditione prodiiſſe, conſtat ex Concilio Nicæno II. celebrato anno DCCLXXXVII. *action.*2. his verbis = *Apoſtolicas autem Eccleſiæ traditiones, quibus veneratio culturaque Sanctorum docetur, recipimus & veneramur. Eos autem ut Miniſtros, amicos & filios Dei exiſtentes honoramus. Honor enim qui a conſervis idem ſentientibus invicem exhibetur, indicium eſt benevolentiæ erga Dominum; ſunt enim promtuaria Dei, & pura Chriſti habitacula, Spiritusque Sancti immaculata Specula* = Ideoque a primis Eccleſiæ Sæculis viguit conſuetudo erigendi Aras, quæ licet primario Dei gloriæ, ſecundario tamen Sanctorum cultui deſervirent. Vetuſtiſſimæ hujus conſuetudinis occurrunt monumenta apud Euſebium de *vita Conſtantin.* in *Concil. Gangren. can.*10., Apud Nazianzenum in *Carmine de Anathaſ. Templ.*, Baſylium *Homil. in Pſalm.* 140., & Auguſtinum in *Lib.* 1. *de Civit. Dei cap.*1. Quinimo novimus, tum peregrinationes inſtitutas ad eorum Corpora & ſepulchra, de quibus Dorotheus *in Synopſ.*, Chryſoſtomus *Homil. de SS. Juvent. & Maxim.*, Hieronymus in *cap.* 1. *Oſeæ* Ruffinus in *Lib.* 1. *Hiſtor. cap.* 39. aliique meminere: tum Feſtivitates pariter in illorum honorem celebratas, loco earum, quæ ex ſuperſtitioſa Gentilium Apotheoſi, certis anni diebus fiebant pro hominibus inter Deos adſcriptis; ut adverſus Ethnicos luculenter demonſtrat Theodoretus in *lib.*8. *de Martyrib.* = *Suos mortuos*, inquit, *Dominus Deus noſter in templa pro Diis veſtris induxit: ac illos quidem caſſos gloria vanoſque reddidit; ſuis autem Martyribus honorem illorum dedit, pro Pandiis Diaſiiſque, ac Dionyſiis, hoc eſt Jovis, Liberique Patris ſolemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliiſque Sanctis Martyribus, ſolemnitates populari epulo peraguntur. Proque illa veteri pompa, pro turpi obſcænitate, ac impudentia, ſiunt modeſtæ, caſtæ, ac temperantia plenæ feſtivitates; non illæ quidem mero delibutæ, non commeſſationibus leves, non cachinnis ſolutæ, ſed Divinis canticis perſonantes, ſacriſque ſermonibus audiendis intentæ. In quibus ad Deum preces non ſine ſanctis lacrymis ac ſuſpiriis ſummittuntur. Cum itaque talem tantamque utilitatem ex Martyribus honore collato provenire homines videatis, fugite, quæſo, errorem Dæmonum, prævioque ductu Martyrum, facibuſque utentes, viam capeſſite, quæ ad Deum perducit, ut immortali ævo illorum choris, & præſentia perfruamini* = Quæ Sanctorum Feſtivitates eorum *Natalitia* dicta ſunt, quia Sancti felici tranſitus die, a præſentis vitæ tenebris, vinculis carnis exoluti, ad æternæ Beatitudinis lucem poſſidendam convolarunt = *Dicuntur quidem Sanctorum Feſtivitates Natalitia* (inquit Rabbanus Maurus *Lib.* 2. *de Inſtitution. Clericor. cap.*43.) *& merito; quomodo enim naſci dicitur, cum quis de utero matris procedens in lucem egreditur, ita rectiſſime poteſt natus dici, qui a vinculis carnis ſolutus ad lucem ſublimatur æternam. Et inde mos obtinuit Eccleſiaſticus, ut dies Beatorum Martyrum, ſive Confeſſorum Chriſti, qui de ſæculo tranſierunt, Natales vocitemus, eorumque Solemnia, non Funebria, ſed Natalitia dicantur.*

Cæterum quanquam feſtivi dies ex Eccleſiæ inſtituto cunctis Sanctorum albo deſcriptis modo ſint communes, Martyrum tamen duntaxat celebrata fuiſſe Natalitia, primis Eccleſiæ Sæculis, mox vero in poſterioribus, etiam SS. Confeſſorum inſtituta fuiſſe, nemo ibit inficias, qui Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumenta e limine ſalutaverit = *Certum eſt* (inquit Bellarminus *tom.* 3. *Controverſiar. lib.* 6. *de Miſſa cap.*20.) *Martyres cœpiſſe publice invocari, & eorum nominibus dies feſtos coli, & Baſilicas erigi, ab initio plane Eccleſiæ: Confeſſores autem multo ſe-*

ſerius hunc honorem meruiſſe = Non declarat Bellarminus, quando Sanctis Confeſſoribus ea publici cultus argumenta cœperint exhiberi, ſed eruditiſſime hoc exponit Eminentiſſimus Lambertinus in ſuo Opere de *Servor. Dei Beatificat. & Beator. Canonizat.* in *Lib. 1. cap.5. num.3.* = *Si aliis*, inquit, *adhærere velimus, concors eſſe videtur eorum ſententia, hujus videlicet Diſciplinæ initium ad Sæculum quartum eſſe referendum. Agmen ducit Innocentius III. de Myſteriis Miſſæ cap. 10., ubi ait: Eccleſia poſt tempus Beati Sylveſtri cæpit Sanctorum Confeſſorum memoriam venerari; & Beatus Sylveſter quidem, non ante Sæculum quartum Summus Pontifex factus eſt. Sequitur Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib.2. cap.12. ubi teſtatur, monumenta Eccleſiaſtica trium primorum ſæculorum de cultu Confeſſorum ſilere. Mabillonius in præfatione ad Sæculum quintum Ordinis Sancti Benedicti §. 6. num.97. hæc habet: Ut Martyribus, ſic etiam Confeſſoribus honor publico cultu delatus ab Eccleſia eſt, id fieri cæptum Sæculo quarto. Et Juſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus in ſua Præfatione ad Codicem Canonizationum, ita ſubdit: Hunc ſolemnem, & maximum honorem in Eccleſia militanti quatuor primis Chriſti Domini Sæculis, & in unos Martyres præ cæteris collatum fuiſſe, veterum Patrum ſcripta teſtantur. Sæculo deinde IV. Confeſſoribus quoque tribui cæpit; & concordat Durant. de Ritu Eccleſiæ lib.2. cap.35.*

Ut Sanctis tum Martyribus, tum Confeſſoribus, debita exhibeantur obſequia, ſeu ut in illis Deus magis a Fidelibus honoretur, reperimus Eccleſias Indulgentiarum muneribus decoratas, ut notavit Bologninus in *Tract. de Indulgent. num.* 10. his verbis = *Quæſtio principalis eſt videre, quæ fuit cauſa prima & principalis concedendi Indulgentias. In quo breviter dicas: quod fuit favor Eccleſiæ, vel aliorum Locorum piorum, ut magis honoretur Deus in Sanctis ſuis, & in conſtructione & viſitatione Baſilicarum: & ſic in commemoratione virtutum, & meritorum ſuorum. Unde ſicut quando expenditur theſaurus temporalis propter gloriam Principis: ſicut fecit Rex Aſſuerus; ut legitur Heſter 1. cap. eſt honor & gratia illius Principis; ſic etiam honor & laus Dei ſupremi eſt, ut modo dixi, in Sanctis ſuis* = Idem non obſcure innuitur in Extravaganti *Antiquor. de Pœnit. & Remiſſion.* ubi Bonifacius VIII. anno MCCC. Pleniſſimam Indulgentiam viſitantibus Baſilicas Sanctorum Apoſtolorum de Urbe eo anno conceſſurus, inquit = *Ut Beatiſſimi Petrus & Paulus Apoſtoli eo amplius honorentur, quo ipſorum Baſilicæ de Urbe devotius fuerint a Fidelibus frequentatæ: Fideles & ipſi ſpiritualium largitione munerum ex hujuſmodi frequentatione magis ſenſerint ſe refertos*, Nos &c.

Verum quia majori devotione confluunt Fideles ad Eccleſias, Sanctorum memoriam in eorum feſtivis diebus veneraturi, hinc ſolet Sedes Apoſtolica, Eccleſiæ Theſaurum ex Chriſti & Sanctorum ſatisfactionibus congregatum, potiſſimum pro dictis diebus ad eorum utilitatem aperire. Quod notavit Baldellus in *Tom.* 2.° *Diſput. 12. n. 5.* = *Sedes Apoſtolica*, inquit, *in honorem Sanctorum, ſeu in Sanctitate comprobatorum ſtatuere ac decernere conſuevit, nedum quod in eorum honorem Eccleſiæ, & Altaria, in quibus ſacrificia Deo offeruntur, & Officium celebratur, ædificentur & conſecrentur, verum etiam quod omnes vere pœnitentes & confeſſi, qui tali die acceſſerint ad viſitandam eorum Eccleſiam, certas Indulgentias conſequantur.*

Nec juvat reponere, Indulgentias, quarum meminimus, dici non poſſe locales: ex quo Eccleſiæ capaces non ſint relaxationes peccatorum obtinendi; quia quanquam verum ſit, Indulgentiarum aſſecutionem acquiri tantummodo a perſonis, ob pœnæ temporalis reatum, cui etiam in ſtatu gratiæ conſtituti, non raro detinentur obnoxii, tamen Eccleſiæ ipſæ earumque viſitatio propter honorem ibi Sanctis exhibitum, cauſam proximam finalem, vel conſtituunt, vel complent, ut earum intuitu Indulgentiæ perſonis concedantur. Ideoque ſicut Immunitas eſt, & dicitur privilegium locale, quanquam nec delinquat Eccleſia, nec poſſit puniri: ita Indulgentiæ, quæ Eccleſias devote viſitantibus dantur, dici poſſunt Locales, eſto Loca Sacra, cultui Divino & Sanctorum dica-

dicata, nequeant Indulgentiarum fructum percipere, ſed ſolum hunc poſſint acquirere Chriſtifideles eo cauſa devotionis confluentes.

§. II.

Antiqua Indulgentiarum Exempla pro Sanctorum Feſtivitatibus.

SAnctorum cultum Apoſtolicis Indulgentiarum conceſſionibus in eorum Feſtivitatibus intentum fuiſſe, ex ſolemnibus ipſorum Canonizationibus potiſſimum edocemur. Ineunte Sæculo tertiodecimo, Honorius III. viginti dierum relaxationem de pœnitentiis injunctis largitus eſt iis, qui Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Augo, ubi quieſcebat corpus S. Laurentii Epiſcopi Dublinenſis accederet, vel die ſolemnitatis ejuſdem, vel infra Octavas; ut habetur ex Bulla Canonizationis dicti Sancti Antiſtitis, edita a Summo Pontifice laudato anno MCCXXV. incipiente *Ineffabilis Providentia* = ibi = *Quatenus ejus Feſtivitas de cætero, decimo octavo Calendas Decembris celebretur, ut ejuſdem Confeſſoris apud Dominum ſuffragia humiliter imploretis. Nos autem de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus .... qui ad præfatam Eccleſiam in die Solemnitatis ejuſdem Confeſſoris, vel infra Octavas, cum devotione acceſſerint ejus ſuffragia petituri, viginti dies de injuncta ſibi pœnitentia relaxamus.*

Uberiorem hujuſmodi gratiam in Feſto S. Antonii Patavini Confeſſoris & Octava, ejus Sepulchrum devote viſitantibus, Gregorium IX. conceſſiſſe, indicant ejus Literæ Apoſtolicæ, quarum initium eſt: *Cum dicat*, editæ ſub die prima Junii anno MCCXXXII. pro ejus Canonizatione, ibi = *Nos autem cupientes Sepulchrum tanti Confeſſoris, qui miraculorum fulgoribus illuſtrat Eccleſiam generalem, congruis honoribus frequentari, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, illud in Feſtivitate ipſius, uſque ad octavam diem, annis ſingulis, cum reverentia debita viſitantibus; de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, annum unum de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus* = Hanc conceſſionem necnon alias, quæ ſubinde a ſummis Pontificibus prodierunt, ita referunt Continuatores Bollandiani in *Propyl. ad Acta Maii diſſertat.* 20. *n.* 9. = *Gregorius IX. in Canonizationibus Sancti Antonii Patavini, & Sancti Dominici Eccleſias, ubi quieſcunt, ſimiliter viſitantibus, annum unum indulſit .. mox S. Eliſabeth adſcribens Sanctorum Catalogo annum unum, & quadraginta dies. Deinde Innocentius IV. infra quindenam ſequentem Feſtum Sancti Petri Martyris, viſitantes Eccleſiam ejus, voluit, quadraginta dies lucrari. Sed Clemens IV. rurſum tempus reſtrinxit ad dies infra octavam; Indulgentiam vero ampliavit, & ſtatuit dies centum intuitu Sanctæ Hedulgis a ſe Canonizatæ. Magis eandem gratiam extendit Calliſtus III. in Literis de Sancti Vincentii Ferrerii Canonizatione a Pio II. expeditis, quando in die feſto conceſſit ſeptem annos, & totidem quadragenas; quibus Sixtus IV. in Canonizatione S. Bonaventuræ adjecit, Dominicis ſingulis per annum, dies centum. Cœpto ſic ſimul augeri annorum num. Leo X. ad Corpus S. Franciſci de Paula aſſignavit quadraginta annos, & totidem quadragenas; ac denique Adrianus VI. in Canonizatione S. Bennonis ſolemnitati ejus præſentibus. Indulgentiam Plenariam dedit* =. Cœterum Indulgentiam Plenariam præſentibus Solemni Canonizationi S. Franciſci de Paula, cujus nulla fit mentio a Bollandianis, diſces ex Bulla Canonizationis ejuſdem, cujus initium eſt *Excelſus Dominus*, edita anno MDXIX. ubi poſtquam Leo X. narravit, ſe in ejus Canonizatione Miſſam celebraſſe, ſubdit = *Et ita Miſſam ipſam ad finem uſque cum ſolitis Cæremoniis juxta Ordinarium Apoſtolicum illic debite terminavimus, Indulgentiamque Plenariam omnibus Officio hujuſmodi tunc aſſiſtentibus devote conceſſimus, ac etiam in loco Sepulturæ ejuſdem Sancti Franciſci de Paula in depoſitionis ſuæ die, videlicet ſecunda Aprilis, hujuſmodi perpetuo dura-*

duraturam quadraginta annorum, totidemque Quadragenarum Indulgentiam annuatim condonavimus = Rurſus ab eruditiſſimis Authoribus inquiri poſſet, unde acceperint, Indulgentiam Plenariam præſentibus Canonizationi S. Bennonis Adrianum VI. conceſſiſſe? Eundem Pontificem in Canonizatione S. Antonini Archieſcopi Florentini id præſtitiſſe, ac poſtea cæteros ejus Succeſſores eundem morem ſervaſſe, colliges ex Bullis Canonizationum Sanctorum in Bullario Romano relatis; ſed ſemel & iterum evoluta Bulla Adriani VI. pro Canonizatione S. Bennonis, cujus initium eſt *Excelſus Dominus*, edita pridieCalend. Junii anno MDXXIII. nullam aliam Indulgentiam, niſi partialem potuimus reperire = §. 8. *Et inſuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui annis ſingulis ad Sepulchrum ejuſdem Sancti Bennonis eadem die acceſſerint, ſeptem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus*.

Sed & ſub initium Sæculi noni morem invectum fuiſſe concedendi Indulgentias in Sanctorum Feſtivitatibus eorum Eccleſias adeuntibus, vel etiam occaſione Canonizationum, putarunt Bellarminus in *tom. 3. Controverſiar. lib. 1. de Indulg.cap.3*. Suarius *in 3.p. tom.3. diſp.49. ſect. 2.n.12*.Baronius *ad an. DCCCIV.* idque probari contendunt ex Epiſtola S.Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis, quæ extat ad calcem vitæ ejuſdem, ad diem 26. Martii apud Bollandianos, ubi legitur = *S. Leo Papa anno DCCCIII. in Germaniam, cum magna ſolemnitate ſuorum Cardinalium, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum veniens, Aquiſgrani dedicavit Eccleſiam B. V. M., donans eandem Eccleſiam multis Indulgentiis: & multa alia Monaſteria, & Altaria per Alemanniam & Galliam conſecravit, ubique multas Indulgentias conferendo. Deinde a Colonia venit Werdam, & Sanctum Suuibertum in Divos retulit. Obtulit autem idem Papa eidem Eccleſiæ ſpeciales Indulgentias cunctis Fidelibus celebrantibus Feſtum Sancti Suuiberti. Igitur cum rumor ad canonizandum Sanctum Suuibertum ubique pervaſiſſet, confluebant multi populi Werdam ad percipiendam a Sancto Papa remiſſionem ſuorum peccatorum, & Apoſtolic. benedictionem*.

Hanc vero Epiſtolam eſſe ſuppoſititiam pluribuſque fabellis veritati aſſutis fatiſcentem, his, cæteris omiſſis, oſtendunt Scriptores Bollandiani, in vita Sancti Ludgeri prælaudati. Stilus diverſus in libello Sancti Antiſtitis, quo S. Gregorii Magiſtri ſui vitam poſterorum memoriæ commendavit, ab eo, qui in hac Epiſtola reperitur (cum ille ſuavis ac mitis ſit tantique viri ſapiens ſanctitatem: hic e contra vanus ac turgidus) non eundem utriuſque authorem eſſe declarat. In ea narratur, S. Ludgerum a D. Alberico ad Mimigardi urbem fuiſſe directum, eo fere tempore, quo eundem ex Friſia a Wittekindo pulſum invenimus: nec niſi anno DCCCII. Epiſcopum ordinatum. Subditur inſuper, Sanctum Albericum fuiſſe natione Anglicum Eboracenſis Diœceſis, ac D. Suuiberti conſanguineum; cum alias Altfridus *cap. 2.n. 56.* eundem Gregorii Nepotem appellet, quem dicit S. Ludgerus Francum natione extitiſſe, ex regio Dagoberti ſanguine progenitum. Addimus fœdius in aliis Epiſtolæ Authorem allucinari. Primo, dum refert, Sanctum Suuibertum a Leone III. Sanctorum Albo deſcriptum eo modo & ordine, quibus nunc, & ab annis quingentis novimus hujuſmodi ſolemnia a Summis Pontificibus celebrari; cum in confeſſo ſit apud omnes, hanc Sacrarum Canonizationum ſolemnitatem cæpiſſe trecentis annis & amplius poſt Leonem III. Secundo habetur, Patrem quendam familias nomine Severinum adoleſcentem Filium Corradum nuncupatum, morbi cauſa a Bononienſi ſtudio revocaſſe, perinde ac regnante Carolo Magno literarum ſtudia Bononiæ floruerint, & eo ex variis Regionibus Adoleſcentes confluerent. Tertio, quia loquentem adducit S. Ludgerum, ſe nimia ſenectute gravatum ſæpe lecto incumbere; cum poſſit apertiſſime demonſtrari, Sanctum Antiſtitem vix annum ætatis ſuæ ſexageſimum quintum attigiſſe, ac pridie ſui obitus, variis in Locis concionem ad Populum habuiſſe.

Alia ſuppoſitionis argumenta proſequitur Morinus in *Commentar. de adminiſtrat. Sacram. Pœnit. lib. 10. cap. 20.*, ut Indulgentias illas impugnet, quarum fit mentio in Epiſtola laudata S. Ludgeri; in eo tamen fallitur, quod aſſerit: primum, quem

quem perhibent antiqua documenta ſolemniter a Romanis Pontificibus canonizatum, fuiſſe Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum: ſecundum vero Sanctum Bernardum; Joannes enim XV., qui Canonizationem ſolemnem Sancti Hugonis centum quadraginta & amplius annis præceſſit, Beatum Udalricum Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopum in Synodo Romæ celebrata, inſtante Luitolpho Auguſtenſi Epiſcopo, ritu ſolemni, qui antea non fuerat in uſu, in Sanctorum numerum retulit. Juvat ad hoc probandum verba Bullæ Canonizationis referre, quæ extat apud Baronium ad annum DCCCCXCIII. = *Cum conventus eſſet factus in Palatio Lateranenſi pridie Calendas Februarias, reſidente Joanne Sanctiſſimo Papa cum Epiſcopis & Presbyteris, adſtantibus Diaconibus & cuncto Clero, ſurgens Reverendiſſimus Luitholphus Auguſtæ Epiſcopus, inquit, Domine Sanctiſſime Præſul, ſi vobis placet, & omnibus Epiſcopis & Presbyteris hic reſidentibus, libellus, quem præ manibus habeo coram vobis legatur, de vita & miraculis Venerabilis Udalrici, Sanctæ Auguſtanæ Eccleſiæ dudum Epiſcopi, & quod libitum fuerit vobis, decernatur. Quia Spiritus Sancti teſtatur præſentia, & congregatio Sacerdotum, certum eſſe quod legimus, quia nec poteſt veritas noſtra mentiri, cujus in Evangelio iſta ſententia: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum.* His perlectis, ſanxit Pontifex, *quatenus memoria Udalrici jam præfati Venerabilis Epiſcopi Divino cultui dicata exiſtat, & in laudibus Dei devotiſſime perſolvendis, ſemper valeat proficere* = Quod adnotaſſe Mabillonium in *Præfatione Sæculi V. Benedictini num.*99. *& ſeqq.* ejus verba demonſtrant = *Primum indubitatæ fidei monumentum*, inquit, *de ſolemni per Romanum Pontificem Canonizatione, invenimus Diploma Joannis XV., qui in frequenti Epiſcoporum conventu, ad preces Luitolphi Epiſcopi Auguſtani, Udalricum, ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum, in Sanctorum Album retulit anno DCCCCXCIII.* (Apud Mabillonium errore Typographi legitur DCCCCXCV.) Alios ſolemnium Canonizationum actus exoptans, S. Hugonis Canonizatione antiquiores, conſulat Eminentiſſimum Lambertinum *Lib. cit. cap.*7. qui pluribus relatis, ſubdit = *Alii forte plures actus facti ſunt, quos ignoramus, & quorum probationes non extant; forte quia harum cauſarum definitio a Romanis Pontificibus fiebat in Synodis, quæ ad minus quolibet anno cogebantur, & quorum acta vix ſcribebantur, uti conjiciunt Continuatores Bollandiani in Propyleo ad Acta Maii diſſert.*20. *num.*4., *ubi ſic legitur: Ejuſmodi cauſarum definitio fiebat in Synodis, quas annue unam, aut plures Romani Pontifices celebrari coram ſe faciebant &c. & quia ejuſmodi Synodorum Acta vix ſcribebantur, ſed iis, ſola voce, decernebantur multa; ſic etiam approbabatur populorum Religio circa eos, quorum annuntiata Synodo Sanctitas & miracula fuerunt.*

Cæterum quanquam ex allatis monumentis conſtet contra Morinum, ſupra Sæculum duodecimum, quo ab Innocentio II. Sanctorum Faſtis reperimus adſcriptum Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum, fuiſſe in uſu ſolemnes Canonizationes Sanctorum; certum nihilominus eſt, Indulgentiarum conceſſionem in hujuſmodi actibus factam ante Sæculum XIII. minime deprehendi. Phœbeus tamen Archiepiſcopus Tarſenſis olim Sacræ Congregationis Rituum a Secretis, in ſua Diſſertat. typis impreſſa, poſt Acta Canonizationis Sanctorum Petri de Alcantara & Mariæ Magdalenæ de Pazzis, putat, Honorium III. primo occaſione ſupramemoratæ Canonizationis Sancti Laurentii Epiſcopi Dublinenſis, intuitu Feſtivitatis ejuſdem, pœnitentiarum relaxationem conceſſiſſe; ſed cum Pontifex laudatus ante Beati Laurentii Canonizationem, Beatum Willelmum Archiepiſcopum Bituricenſem inter Sanctos retuliſſet, & ad cunctos Fideles Indulgentiarum Literas dediſſet, quæ habentur in novo Codice Canonizationum, his verbis exaratæ = *Univerſis, qui ad ſolemnitatem tranſlationis ejus, ipſo die quo transferetur, & etiam infra octavas, cum devotione convenerint, quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus: omnibus, qui ad ejuſdem tranſlationis ſolemnitatem futuris annis, ipſo tranſlationis die reverenter acceſſerint, eandem Indulgentiam concedentes* = inferri poteſt, quod Indulgentia-

tiarum, de quibus agimus, uſus occaſione Canonizationum invectus, ſi Honorio III. ſit primo attribuendus, id minime factum primo eſſe, ob Canonizationem Beati Laurentii Dublinenſis, ſed potius propter aliam Beati Willelmi Bituricenſis.

Nemo tamen ſibi ſuadeat, occaſione ſolemnium Canonizationum duntaxat, poſſe Indulgentiarum exemplum pro Sanctorum Feſtivitatibus exhiberi; antiquius enim habetur ex vetuſtiſſimo Sacramentario in Bibliotheca Vallicellana Romæ aſſervato, relaxationis, nempe, unius anni pœnitentiæ pro die 22. Junii in Feſto 1480. Martyrum, cujus meminit Mabillonius in ſuo *Itinere Italico*: idemque tanti fecit Papebrochius in ſuis Paralippomenis *Diſs*.29., ut expungi mandaverit verba, quibus dixerat: *Diſs*.17. *Ante Sæculum XI. non inveniri hujuſmodi Indulgentiarum ſpecificationem*: *Linea quarta*, inquit, *poſt*, *eodemque XI. ſæculo*, *expunge reliqua uſque ad lineam antipenultimam iſtius columnæ 2.*, *atque ſubſtitue ſequentia*: *eodemque Sæculo XI. vel X.*, *nam R. P. Joannes Mabillio, vir curioſiſſimus p.69. ſui Itineris Italici*, *laudat Romanum vetus Sacramentarium*, *in Bibliotheca Vallicellana aſſervatum*, *ſeptingentis & amplius annis antiquius*, *in quo hæc inveniri notavit*: *Menſe Junio die 22. Sanctorum Martyrum* 1480. *quorum vigilia cum ſilentio & jejunio eſt celebranda*, *conceſſumque eſt eis* (*ideſt ſi non fallor in gratiam*, *ſive in honorem eorum ſcilicet Martyrum*) *pro illo uno die*, *annum dimittere in pœnitentia*. *Verbis iſtis videtur indicari facultas ejus Baſilicæ Clericis*, *aut Monachis Pœnitentiariis*, *pro tali die conceſſa*, *intuitu peculiaris cujuſdam iſtorum Sanctorum ibi cultus*, *vel etiam Reliquiarum*, *qua de re plenius agere dicto Menſe licebit* = Sed qui Mabillonii teſtimonium de ea Indulgentia, (cui Papebrochius aliique eruditi Scriptores refragari non audent) integre ponderaverit, mecum credo ſentiet, etiam ſupra Sæculum decimum hujuſmodi Indulgentiæ donum fuiſſe liberaliter collatum = *In hoc Codice* (inquit Mabillonius) *Bedæ liber de diviſione temporum auctior eſt editis*. *Ad hæc Ordo Romanus ſæculo nono ſcriptus ibidem*, *vulgatis amplior*, *ſed antiquius Sacramentarium Romanum*, *in quo hæc notanda*: *Menſe Junio die* 22. &c. = Et profecto fieri nequit, Sacramentarium hoc, in quo fit mentio dictæ Indulgentiæ, eſſe Sæculo nono antiquius, quin ea Indulgentia vel ſupra Sæculum nonum vel eo ineunte fuerit conceſſa.

Aliud antiquiſſimum Indulgentiæ monumentum trium annorum & totidem quadragenarum apud Baronium reperies ad annum DCCCXLVII. Sergii II. Papæ pro omnibus Fidelibus, qui Eccleſiam Sanctorum Sylveſtri & Martini Papæ viſitaverint, in Feſtivitatibus Sanctorum (quorum corpora ibi ex Priſcillæ Cœmeterio ipſemet Pontifex tranſtulerat) ex veteri marmoreo illius Eccleſiæ lapide, in quo hæc leguntur = *Temporibus Domini Sergii Junioris Papæ recondita ſunt in hoc Sacro Altari Beati Sylveſtri Præſulis corpora & Beati Martini*. *Item corpora beatiſſimorum Fabiani & Stephani cum Sotere Mart. ac Pont.*, *ſimulque Aſterio*, *cum Sanctiſſima Filia ejus Sanctoque Cyriaco*, *Papia*, *Mauro*, *Largo & Smaragdo*, *& Sociis*: *Siſinio atque Anaſtaſio & Innocentio Pontificibus*, *una cum Sancto Quirino ac Leone*. *Pariterque Artemio*, *Siſiano*, *Pollione*, *Theodoro*, *Nicandro*, *Creſcentiano Martyribus*: *cumque Beato Sotere Mart. ac Pontif.*, *Paulina necnon Memmia*, *Juliana & Quirilla*, *Theophiſte*, *Sophia Virginibus atque Martyribus*, *& Beata Quiriaca Vidua*, *& Beata Juſta cum aliis multis*, *quorum nomina Deo ſoli ſunt cognita*: *omneſque ſub Sacro Altari dedicans collocavit*. *Hæc Sanctorum corpora traslata ſunt de Cœmeterio Priſcillæ via Salaria*, *ſtatuens omni anno in Feſtivitatibus eorum*, *Indulgentiam trium annorum & trium Quadragenarum*, *omnibus ad ea devote venientibus* = Addit Baronius = *Hucuſque vetus monumentum*, *quo etiam priſtinum uſum Sacrarum Indulgentiarum expreſſum habes* = Contendunt tamen nonnulli eruditi Scriptores fidem huic Lapidi minime eſſe adhibendam, eo quod, non ante Bonifacium VIII., qui eam Eccleſiam, a Græcis Monachis prius poſſeſſam, Patribus Carmelitis anno MCCXCVI. commendavit, illum ſculptum arbitrentur. Verum hac levi conjectura, quæ nulli ſolido nititur fundamento, ea Indulgentia nequaquam concutitur, cum ægre falſitatis is convincere-

Digitized by Google

ceretur, qui ante Bonifacium VIII. hujuſmodi inſcriptiones latinogothicis literis exaratas in uſu fuiſſe acerrime propugnaret, ut eruditiſſimus Scheleſtratius a Papebrochio de eo lapide interrogatus reſpondit. Ex quo tamen non inferes, inter legitimas gratias Indulgentiam ibi deſcriptam nos velle recenſere; dubium enim non leve ſuboritur de illius inſcriptionis veritate, quod Sanctorum Corporum tranſlatio ibi ex Cœmeterio Priſcillæ, aliud vero ab Anaſtaſio excerptis monumentis deprehendatur, ut obſervat Papebrochius in *Conatu Chronico-Hiſtorico Diſſert.* 17. qui recitata marmorei lapidis inſcriptione, inquit = *Hactenus lapis iſte, nunc Anaſtaſium audiamus. Sic autem, habet* = *Beatus Papa* nempe Sergius II., *Eccleſiam perfecit, & Sancti Sylveſtri corpus, cum Fabiano, & Stephano, & Sotero, Cyriaco, Mauro, Largo, Smaragdo, Anaſtaſio & Innocentio &c. ſub Sacro Altari dedicans conſecravit* = *Pars altera prioris inſcriptionis repugnat toti Anaſtaſianæ Hiſtoriæ, & aliunde certius cognitæ veritati. Dicit enim, quod prænominatorum Sanctorum corpora ſunt translata de Cœmeterio Priſcillæ via Salaria. Atqui aſſerit Anaſtaſius, Corpora Sanctorum Fabiani & Soteris via Appia in Cœmeterio Calliſti fuiſſe ſepulta; præterea, quod Sanctorum Cyriaci, Largi & Smaragdi corpora via Salaria ſepulta, Sanctus Marcellus Papa, in prædium Lucinæ via Oſtienſi tranſtulit, die 5. Auguſti, Romano Martyrologio atteſtante: idque translatione tam ſolemni, ut licet eadem poſtea in Urbem translata in Diaconia S. Mariæ Via lata recondita fuerint; iſte tamen dies hodieque feſtivus perſeveret præ ipſo die Martyrii eorum. Papias & Maurus via Nomentana in Cœmeterio ad Nynphas primum conditi ſunt, ut dictum a Bollando 29. Januarii. De cæteris quærere ſupervacaneum arbitror, quando de Sanctis Sylveſtro & Stephano, uno fere ante Sergium Sæculo, ſcribit Paulus I., quod ex Cœmeteriis Suburbanis per Longobardos funditus demolitis, aſſumta, inde eorum corpora collocavit in Eccleſia, quam noviter in eorum honorem & nomina conſtruxit intra Mœnia.*

Ut vero ad alias Indulgentias in Sanctorum Feſtivitatibus dari conſuetas tranſeamus, partiales annorum, vel dierum Sæculo XIII. & XIV. paſſim fuiſſe conceſſas viſitantibus Eccleſias ſive Sæculares, ſive Regulares, ex probatis Authoribus aliiſque authenticis monumentis plene didicimus: quas omnes ſingillatim recenſere, inſtituti noſtri metam excederet. Si quis vero plurimarum notitiam exoptaret, perlegat Summaria Indulgentiarum Ordinum Regularium a Sacra Congregatione Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum approbata, in Calce hujus ſecundæ partis referenda. Ad hujus tamen rei coronidem, prætereundum non eſt, Bonifacio VIII. adſcribi, ſaltem a quibuſdam Scriptoribus, Literas Apoſtolicas Indulgentiæ Plenariæ pro Eccleſia Montis Alverniæ in Feſto Sacrorum Stigmatum S. Franciſci datas anno MCCXCVIII. Tenor earundem Literarum eſt = . *Splendor paternæ gloriæ pia vota Fidelium de clementiſſima ejus Majeſtate ſperantium tunc præcipue benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cum itaque, ſicut accepimus, ad Eccleſiam Domus Ordinis Fratrum Minorum ſitam in Monte Alverniæ Aretinæ Diœceſis, in quo Dominus Noſter Jeſus Chriſtus B. Franciſcum SS. Stigmatibus inſignivit, tam Tuſciæ, quam etiam multarum aliarum partium devotionis cauſa maxima confluat multitudo: Nos de Omnipotentis Dei miſericordia & BB. Petri & Pauli authoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui dictam Eccleſiam die 17. Septembris, in qua Solemnitas celebratur, devote viſitaverint, annuatim illam Indulgentiam & remiſſionem peccaminum concedimus, quæ viſitantibus Eccleſiam S. Mariæ de Portiuncula Aſſiſienſis Diœceſis a primis Veſperis 1.ª diei Menſis Auguſti annuatim authoritate Apoſtolica, ut aſſeritur, eſt conceſſa. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad ejus conſervationem, ſeu fabricam manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, præſentes Literæ nullius exiſtant roboris vel momenti. Datum Peruſii*

Digitized by Google

ruſii Cal. Decembris Pontificatus noſtri anno quato = Sed cæteris omiſſis, id potiſſimum ingerit mihi non levem hujus Diplomatis ſuſpicionem veritatis, quod Feſtum Sacrorum Stigmatum S. Franciſci ſedente Bonifacio VIII., ut ibi aſſeritur, minime celebraretur: cum apud omnes Eccleſiaſticos Scriptores certum ſit, ejuſmodi Solemnitatem a Benedicto XI. Bonifacii Succeſſore primo fuiſſe indictam, deinde a Paulo V. reſtitutam; quamobrem Wadingus in *Annalib. Minor. tom. 2. ad ann.* 1224. *n.*15. inquit = *Tandem quod caput eſt, Sancta Mater Eccleſia, inſtituto Feſto* Sacrorum Stigmatum S. Franciſci, *& ſolemni hujus Myſterii celebrandi indicto ritu, voluit, ut quotannis ejus memoria renovaretur, quod a Benedicto X. alias XI. præceptum, dum multis in locis negligeretur, Paulus V. ut corda Fidelium in Chriſti Crucifixi accenderentur amorem, intercedente Philippo III. Hiſpaniarum Rege Catholico, negotiumque promoventibus Illuſtriſſimo Domino Gabriele de Trejo S.R.E. Cardinali & Reverendiſſimo Patre Antonio a Trejo Ordinis ſupremo Rectore, ... adſcribentibus cæteris ſacrorum Rituum Præfectis Cardinalibus, reſtituit* = Non eadem infelicitate videtur laborare Breve Indulgentiæ Sancti Cœleſtini V. editum anno MCCXCIV. (quantunvis aliud ejuſmodi in favorem Eccleſiarum pro Sanctorum Feſtivitatibus Sæculo XIII. celebratis, difficile ſit reperire) Plenariæ nimirum Remiſſionis cunctis viſitantibus Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Collemadio Aquilenſem, ubi ſuæ Coronationis Inſignia receperat, quam, refert Henſchenius ad diem 19. Maii in vita ejuſdem S. Cœleſtini datam ſequenti Diplomate = *Inter Sanctorum Solemnia S. Joannis Baptiſtæ memoria eo eſt ſolemnius honoranda, quo ipſe de alvo ſterilis Matris procedens, fœcundus virtutibus & ſacris elogiis fons, Apoſtolorum labium, & ſilentium Prophetarum, in terris Chriſti præſentiam, caligantis mundi lucernam, ignorantiæ obortis tenebris, verbi præconio, & indicii ſigno mirifico nuntiavit (propter quod ejus martyrium, mulieris impudicæ indictum intuitu, myſterialiter eſt ſecutum) Nos, qui in ipſius Sancti Decollatione capitis, in Eccleſia S. Mariæ de Collemadio Aquilenſi Ordinis S. Benedicti, ſuſcepimus Diadematis impoſitum capiti noſtro inſigne hymnis & Canticis, ac Fidelium devotis oraculis, ejus memoriam cupimus venerabilius honorari. Ut igitur ipſius Decollationis Feſtivitas in dicta Eccleſia præcipuis extollatur honoribus, & populi Domini devota frequentia tanto devotius & ferventius honoretur, quanto inibi quærentium Dominum ſupplex poſtulatio gemmas Eccleſiæ, donis micantes ſpiritualibus, ſibi reperiet in æternis tabernaculis profuturas, omnes vere pœnitentes & Confeſſos, qui a Veſperis ipſius Feſtivitatis Vigiliæ uſque ad Veſperas, feſtivitatem immediate ſequentes, ad prædictam Eccleſiam acceſſerint annuatim, de Dei Omnipotentis miſericordia & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum authoritate confiſi, abſolvimus a culpa & pœna, quam pro ſuis merentur a Baptiſmo commiſſis criminibus & delictis. Datum Aquilæ 3.° Cal. Octobris. Pontificatus noſtri anno primo* = Plura ſubdit ad ampliſſimæ hujus Indulgentiæ commendationem Henſchenius prælaudatus miracula, ut oſtendat, quam grata fuerit Divinæ Majeſtati ejus inſtitutio.

§. III.

Antiqua Indulgentiarum exempla in Beatorum Feſtivitatibus.

NEdum pro Sanctorum, verum etiam Beatorum Feſtivitatibus antiqua reperies Indulgentiarum monumenta.

Matthias Micovius rerum Polonicarum ſcriptor egregius refert, Urbanum IV. (quem tradunt Hiſtorici Pontificem renunciatum anno MCCLXI.) ad preces Boleslai Pudici Regis Poloniæ, & Prandotæ Cracovienſis Eccleſiæ Præſulis, in honorem Beati Sadoch necnon quadraginta octo Sociorum Ordinis Prædicatorum (quos omnes eadem die & loco, pro Chriſti fide, Scitharum Tartarorumque furor interemerat) Eccleſiam Sanctæ Mariæ, ubi eorum corpora honorifice fuerunt tumulata, viſitantibus, poſtridie Calendas Junii, ſeu quarto Nonas, eandem Indulgentiam conceſſiſſe, quam Templum, vel Sanctæ Mariæ ad Martyres, vel Sanctæ Mariæ Ma-

joris adeuntes devotionis gratia ſolent promereri.

Duas hujuſmodi conceſſiones affert Hieronymus Romanus *Lib.4. de Republ.Chriſtian.* unam Bonifacii IX. pro Sacello Beati Nicolai de Tolentino (in Sanctorum poſtea numero relati ab Eugenio IV.) Nicolai V. alteram, pro Feſto Beatæ Claræ de Monte Falco.

Diſces ex Bulla Clementis VII. incipien. *Rationi congruit*, edita anno MDXXIII. ſexto Calendas Octobris, pro Canonizatione B. Antonini Archiepiſcopi Florentini, ab Adriano VI. Sanctorum Catalogo adſcripti, Pium II. Florentiam ingreſſum, (dum adhuc Venerabilis Viri Corpus, non erat ſepulchro conditum) ſeptem annorum Indulgentiam elargitum fuiſſe Chriſtifidelibus, ejus corpus, antequam tumularetur, viſitantibus = *Poſtridie præfatus Pius Prædeceſſor noſter, cum viri Sanctitatem jam pridem cognitam haberet, Florentiam ingreſſus, omnibus Chriſtifidelibus, ejus corpus antequam ſepulchro conderetur, viſitantibus Indulgentiam ſeptem annorum & totidem quadragenarum conceſſerat.*

Innocentium VIII. teſtatur Caſtellinus *in ſuo Elucidario Theologico de Certitudine gloriæ Sanctorum Cap. 1.* pro Feſto Beatæ Illuminatæ, Eccleſiæ Abbatiali Monaſterii Sancti Mariani Ordinis Sancti Benedicti, Sancti Severini, tunc Camerinæ Diœceſis, peccatorum remiſſionem dediſſe.

Cum Beatus Rocchus miraculorum gloria ubique fulgeret, Eccleſiam Ordinis Minorum Oppidi Fornaſii, ubi ejus Feſtum ſolemniter celebrabatur, Indulgentia Plenaria decoravit Paulus IV.; ut habetur ex Conzaga *Par. 2. Hiſtoriæ Minoriticæ.*

Non diſſimilem Indulgentiam conceſſiſſe tum Oratorio Senis erecto, in honorem Beati Ambroſii Sanſedonii feria ſexta ante Dominicam Paſſionis, qua ejus Feſtum celebratur, tum Sacello Sodalitatis ſub invocatione Beati Gualterii Socii Sancti Franciſci Oppidi Vimarenſis, Gregorium XIII. pro die ſecunda Auguſti, qua ejus Feſtivitas agitur, invenies apud Caſtellinum loco ſupralaudato.

In Relatione Canonizationis Beatæ Franciſcæ Romanæ factæ a tribus Sacræ Rotæ Auditoribus Franciſco Pegna, Joanne Garzia Millino & Horatio Lancellotto, poſtea ſacra purpura decoratis *art. 7. §. Poſtremo* expreſſe habetur = *His quoque temporibus a Summis Pontificibus repetiebantur ſæpe conceſſæ Indulgentiæ viſitantibus Eccleſiam Sanctæ Mariæ Novæ de Urbe, ubi venerabile Corpus Franciſcæ requieſcit, in die, qua migravit ad Dominum* = Porro Indulgentiæ, de quibus hic fit mentio, datæ fuerunt ſignanter a Clemente VIII. ſub die 26. Februarii anno MDXCVII. & ſub die 11. Februarii MDCII., a Paulo V. pariter ſub die 28. Februarii MDCVI. & ſub die 3. Martii anno MDCVII.

Conſtat ex Summario vitæ Sancti Iſidori Protectoris Matritenſis, ante Canonizationem Feſtum ejus cum magno apparatu in Eccleſia Sancti Andreæ Matriti fuiſſe celebratum, ex Summorum Pontificum indulto cum Indulgentia Plenaria.

Apud Patres Sanctæ Mariæ de Vallicella extant Pontificia Diplomata, quibus idem ſpirituale munus conceſſum fuit viſitantibus Eccleſiam eorundem, ubi quieſcit Corpus, tunc Beati, nunc Sancti Philippi Nerii, Pauli V. anno MDCVI., MDCVII. & MDCVIII. necnon Gregorii XV. primo anno ſui Pontificatus 4. Idus Maii, antequam ab eo fuiſſet Sanctorum Cathalogo adſcriptus.

Nec prætereunda ſunt duo Urbani VIII. Diplomata, reperta in Archivio Ordinis Cappuccinorum, quorum primo, edito ſub die 4. Novembris MDCXXV., conceſſa fuit Plenaria Indulgentia viſitantibus Eccleſiam Sancti Bonaventuræ de Urbe, die nona dicti Menſis (confeſſis tamen, & ſacra Communione refectis) qua celebrabatur Feſtum Beatificationis Beati Felicis de Cantalicio ejuſdem Ordinis, ac unam ex quatuor Eccleſiis in Literis Apoſtolicis Indictionis Jubilæi, deſignatis: ſecundo, ſub die 17. Decembris ejuſdem anni, Plenaria pariter data fuit ſub iiſdem oneribus, viſitantibus Eccleſias Ordinis Cappuccinorum, die, qua prædictum Beatificationis Feſtum celebraretur.

His aliiſque ſimilibus conceſſionibus indulſit Sedes Apoſtolica etiam Beatis cultum, ac venerationem exhiberi; idque colligitur potiſſimum ex nonnullis cauſis in Sacra Rituum Congregatione diſcuſſis, nem-

nempe Sancti Laurentii Juſtiniani Patriarchæ Venetiarum, Sanctorum Joannis de Matha & Felicis de Valois Fundatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, Beati Jacobi de Mevania Ordinis Prædicatorum, ac Salvatoris ab Horta Ordinis Minorum Obſervantium Sancti Franciſci, in quibus cauſis probatum fuit *conſtare de caſu excepto*, argumento ab Indulgentiis deducto (illorum nominibus in Brevibus expreſſis) conceſſis iis, qui eorundem Beatorum Feſto, vel alia die ad Eccleſias devote accederent, ubi eorum corpora tumulata fuiſſent. Et ideo Petrus Franciſcus de Rubeis eximius Fidei Promotor, in ſuis Animadverſionibus exaratis in cauſa Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois ſuper caſu excepto, ponderatis Brevibus Innocentii X. & Alexandri VII. & Indulgentiis conceſſis Chriſtifidelibus confeſſis & ſacra Communione refectis, qui viſitaſſent Eccleſias Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum die Feſto eorundem, nec non alio Pontificio Diplomate Altaris Privilegiati, eorum nomini dicati, inquit = *Cæterum hæc duo plurimum urgere videntur, nempe Indulgentiæ conceſſæ refectis Sacramento Pœnitentiæ & Euchariſtiæ viſitantibus dictas Eccleſias, die, quo in illis celebratur Feſtum dictorum Servorum Dei, & Altaris Privilegiati cum celebratione Miſſæ pro Defunctis in Sacellis eorum nominibus dicatis, quatenus a dictis Summis Pontificibus conſulte emanarunt* = Cæterum ſi in Literis Apoſtolicis Indulgentiarum nulla expreſſio nominis Beati reperiretur, minime cultus ab Apoſtolica Sede eidem indultus poſſet demonſtrari. Cum pro cauſa tunc Beati, nunc Sancti Stanislai Novitii Societatis Jeſu in Sacra Rituum Congregatione diſcuſſa, actum fuiſſet de caſu excepto, ex indultis a Decretis Urbani VIII. inter cætera Indulta (ut refert Eminentiſſimus Lambertinus in ſuo Opere *de Servor. Del Beatif. & Sanctor Canonizat. lib 2. cap. 20. num. 13.*) Clementis VIII. Breve allatum fuit, quo Indulgentiam quidem conceſſerat, deſignatam Eccleſiam alii Sancto dicatam in Regno Poloniæ, viſitantibus, die, quo mortuus fuerat Stanislaus, nulla hujus facta mentione; ſtatu tamen cauſæ a prælaudato Eminentiſſimo Lambertino (qui tunc Promotoris Fidei munere fungebatur) Sanctæ Memoriæ Clementis XI. relato, Pontifex ille, qui in minoribus conſtitutus plurium annorum ſpatio laudabiliter functus fuerat Officio a Secretis Brevium, atque doctrina & rerum experientia maximopere pollebat, reſpondit: caſum exceptum a prædicto Brevi nequaquam eſſe deſumendum, ſed utique a permiſſione Pauli V. exponendi ejuſdem Stanislai imaginem, in Altari una cum Votivis eidem oblatis.

§. IV.

Recentior Eccleſiæ Diſciplina in concedendis Indulgentiis in Feſtivitatibus Beatorum ac Sanctorum, quorum nomina non ſunt deſcripta in Martyrologio Romano.

Quod ſupra dictum eſt, Beatorum ſcilicet cultum fuiſſe a Romanis Pontificibus per Indulgentiarum conceſſiones indultum, cum expreſſione nominum eorundem in Literis Apoſtolicis, intelligendum eſt de Brevibus, quæ ſub prædictis formulis, iiſdem Romanis Pontificibus volentibus atque conſentientibus, emanarunt. Sed cum Alexandri VII. ætate plura hujuſmodi Diplomata ab Officialibus Secretariæ Brevium, juxta facultates ſuas, inſciis penitus Summis Pontificibus, reperirentur expedita: ex quibus profecto cultus a Sede Apoſtolica intentus minime poterat probari, Petrus Franciſcus de Rubeis Fidei Promotor Prælaudatus, a memorato Pontifice decretum obtinuit, ne inpoſterum ea expedirentur Brevia, pro Beatis ac Sanctis non deſcriptis in Martyrologio Romano = *Plures Servos Dei* (inquit Felix Matta Epiſcopus S. Severi in *Tr. de Sanctor. Canonizat. par. 1. cap. 1. n. 19. & 20.*) *abſque indulto Apoſtolico Beatos nuncupatos reperimus, ex antiquiſſima vel Sedis Apoſtolicæ vel Epiſcoporum tolerantia, cum Solemnitate Feſtivitatis in die obitus: ita ut alias Indulgentiarum Brevia pro viſitantibus eorundem Beatorum Eccleſias, Oratoria & Cappellas expedita fuerint: & deinde in Sa-*

era Rituum Congregatione, ad effectum probandi non ſolum tolerantiam, ſed poſitivam cultus & venerationis conceſſionem deducta; quod animadvertens bonæ memoriæ R. P. D. Franciſcus de Rubeis Fidei Promotor, obtinuit a felicis recordationis Alexandro Papa VII. ne amplius expedirentur pro Feſtivitatibus Sanctorum vel Beatorum, qui non eſſent in Romano Martyrologio deſcripti. Quod adnotare placuit, ad hoc ut in Cauſis Canonizationum, ab illis, ad quos attinet, conſideretur, quid adjuvare poſſint enunciativæ tituli Beati, vel Sancti enunciati, a Secretaria Brevium in hujuſmodi Literis Indulgentiarum, citra ſcientiam Papæ, qui Domino Secretario Brevium concedere ſolet facultatem largiendi Brevia Indulgentiarum ſeptennalium in forma ordinaria, illaque in ſua præſentia Piſcatoris Annulo ſignandi, abſque eo quod de ſingulis ipſi Papæ relationem faciat; quod cæteroquin practicare foret impoſſibile, cum qualibet die quamplura expediantur = Hic tamen adverte, poſt correctionem Romani Martyrologii a Gregorio XIII. factam, Decreto Sacræ Rituum Congregationis edito ſub die 30. Junii MDCXVI. ac innovato ſub die 30. Auguſti MDCLXXX., cautum fuiſſe, ne ullus Sanctus in Romano Martyrologio deſcriberetur, quin fuiſſet Canonizatus = *Cum bonæ memoriæ Cardinalis Bellarminus* (verba ſunt dicti Decreti) *in Congregatione Sacrorum Rituum habita die 30. Julii MDCXV. propoſuerit: nonnullos Impreſſores librorum cupere de novo Martyrologium Romanum imprimere, & in eo addere Sanctos illos & Beatos, qui poſt ultimam editionem ſeu impreſſionem dicti Martyrologii fuerunt Canonizati, ſeu declarati Beati: & eadem Sacra Congregatio declaravit, juxta mentem & ordinationem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, in Martyrologio Romano de novo imprimendo, addendos eſſe Sanctos illos tantum, qui fuerunt Canonizati, non autem qui fuerunt declarati Beati poſt ultimam impreſſionem dicti Martyrologii: nunc vero eadem Sacra Rituum Congregatio juſſit, ut ſervetur inpoſterum prædictum Decretum de non apponendis in Martyrologio Romano, niſi Sanctis Canonizatis; & ita decrevit, & ſervari mandavit.*

Decreto Alexandri VII. cujus meminit Matta de non concedendis Indulgentiis in Sanctorum Feſtivitatibus, qui non eſſent in Romano Martyrologio deſcripti, eodemque confirmato a Clemente IX. ut refert Abbas Michael Angelus Riccius olim a Secretis Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum, poſtea S. R. E. Cardinalis, in ſuis M. SS, aliud adjicimus a Sacra Rituum Congregatione editum ſub die 16. Junii MDCLXXIV. tenoris ſequentis = *Cum in Congregatione Indulgentiarum ſacrarumque Reliquiarum propoſitum fuerit dubium: num expediat permittere Sacra Numiſmata, cum Beatorum imaginibus, ſive aliorum Sanctorum in Romano Martyrologio minime deſcriptorum, quibus Indulgentiæ applicari poſſint: cumque eadem Sacra Congregatio cenſuerit, de hac re conſulendam eſſe Sacrorum Rituum Congregationem; idcirco, propoſito dubio in eadem, Eminentiſſimi Patres eidem Sacræ Congregationi Præpoſiti cenſuerunt: Indulgentias non eſſe concedendas inpoſterum, niſi Sanctis deſcriptis in Martyrol. & Canonizatis. Hac die 16. Junii 1674.*

Hinc Sacra Congregatio Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum libellos ſupplices pro obtinendis Indulgentiis in Beatorum, vel Sanctorum Feſtivitatibus, quorum nomina in Martyrologio Romano deſcripta non ſunt, vel rejicit, vel ſi peculiares circumſtantiæ conceſſionem Indulgentiarum ſuadeant, eiſdem reſcribit: *Pro gratia, citra tamen expreſſionem Beati vel Sancti in Literis Apoſtolicis.*

Diximus: *Si peculiares circumſtantiæ gratiæ petitæ conceſſionem ſuadeant.* Quamquam enim ea, quam nuper retulimus, adhibita cautione, tuto queat Spiritualis Eccleſiæ Theſaurus ex meritis Chriſti & ſuperabundantibus Sanctorum ſatiſfactionibus congregatus, accedentibus ad Eccleſias, ubi eorum Feſtivitates celebrantur, diſpenſari; magna tamen Chriſtifidelium pars prædictam cautionem non advertens poſſet in ſuo errore confirmari, nempe Summorum Pontificum indulto nominis illorum ſolemnitatem approbari, ut de facto ea ſolet approbari in Feſtivitatibus Sanctorum, qui in Martyrologio Romano deſcripti ſunt.

Ab

Ab iis, quæ ſupra dicta ſunt de non concedendis Indulgentiis pro Beatorum ſolemnitatibus, vel nonniſi ea adhibita cautione, excipe primo Beatificationis ipſius ſolemnia; in iis enim nedum viſitantibus Baſilicam Principis Apoſtolorum de Urbe, die, qua ſolemnia Beatificationis peraguntur, Indulgentia Plenaria conceditur, ſed etiam pro aliis Eccleſiis, ubi deinde Beatificationis Feſtivitates celebrantur; ideoque Clemens XI. in Beatificatione Venerabilis ſervi Dei Franciſci Regis, hoc Spirituale munus largitus eſt vere pœnitentibus confeſſis, & cæleſti pabulo refectis, qui Eccleſias Societatis Jeſu viſitarent, ubi prædicta Beatificationis Solemnia celebrabantur; ut habetur ex Indulgentia nomine Sanctitatis ſuæ publicata Romæ a Cardinali Nicolao Caracciolo Pro-Vicario Urbis ſub die 22. Junii anno MDCCXVI., & ex Brevi ejuſdem Pontificis, ibi = *Et ſicut pro parte dilecti Filii Poſtulatoris cauſæ Beatificationis prædicti ſervi Dei, ſubinde expoſitum fuit, ſolemnia Beatificationis hujuſmodi in Baſilica prædicta jam celebrata fuerint: illaque in aliis Eccleſiis præfatis, prope diem, benedicente Domino celebranda ſint; ipſe vero Poſtulator Chriſtifidelium pietatem ea occaſione Spiritualium gratiarum, quarum diſpenſationem Nobis commiſit Deus, elargitione incitari, plurimum deſideret: Nos ad augendam Fidelium Religionem & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ Theſauris pia charitate intenti, ac ſupplicationibus dicti Poſtulatoris nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, & Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis ſupradictis, die qua Solemnia Beatificationis memorati Servi Dei Joannis Franciſci Regis juxta præſcriptum Literarum noſtrarum prædictarum, ibidem reſpective celebrabuntur, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias apud Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus pro unica vice quoad ſingulas prædictas Eccleſias valituris.*

Excipe ſecundo, ſi ex Sedis Apoſtolicæ indulto pro aliquorum Sanctorum Feſtivitatibus factæ fuiſſent ſimiles conceſſiones. Cum enim dubitatum fuiſſet (ut refert Bartholomæus Gavantus) an Officium Sancti Rocchi nondum Canonizati, neque a Sede Apoſtolica Beatificati, poſt Alexandrum III. defuncti anno MCCCXXVII. in Concilio Conſtantienſi anno MCCCCXIV. inter Beatos habiti, recitari poſſet? & negotio mature diſcuſſo Sacra Rituum Congregatio cenſuerit = *Concedendam eſſe Miſſam & Officium in ejus die feſto, in Eccleſiis duntaxat & Eremitoriis habentibus requiſita Eccleſiarum in honorem ejuſdem Deo dicatis, non extra dicta loca ſub die 4. Julii, & clarius die 26. Novembris MDCXXIX.* = ortum fuit aliud dubium, in Sacra Congregatione Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum diſcuſſum ſub die 6. Julii 1677. = *An Plenaria Indulgentia, pro qua interdum ſupplicant Fideles in, ejus Feſto nominatim ſit concedenda?* = Obſtare videbantur reſponſioni affirmativæ Decreta ſupra relata. Maxime quia Franciſcus Sola in approbatione *Vitæ Sororis Joannæ de Cruz §. el Quinto grado*, aſſerit = *San Roque ni eſta Canonizado, ni Beatificado, en la forma dicha* = Rurſus, quanquam in Martyrologiis ad Eccleſiæ Romanæ uſum editis a Franciſco Maurolico & Petro Galeſino, Rocchus Sanctus appellatur, tamen in Martyrologio Romano, Gregorii XIII. juſſu correcto, Beatus duntaxat nominatur, hoc elogio = *In Gallia Narbonenſi apud Montem Peſſulanum depoſitio Beati Rocchi Confeſſoris, qui multas Italiæ Urbes a morbo Epidemiæ ſigno Crucis liberavit, cujus Corpus poſtea Venetias translatum fuit* = Tandem quia Sanctorum honores Sacra Rituum Congregatione eidem nonniſi cum limitatione decreverat, quales ſolent Beatis deferri, nempe, in Eccleſiis tantummodo a Chriſtifidelibus, Deo in ejus honorem erectis. E contra ex Conſtitutione Pii IV. cujus initium eſt *Regimini* edita ſub die 18. Octobris an. MDLX. habetur, in honorem Sancti Rocchi tum fuiſſe conſtructam Eccleſiam, authoritate atque approbatione Summorum Pontificum

eum Alexandri VI. & Leonis X. tum, in ejus honorem erectam, atque inſtitútam fuiſſe Confraternitatem, tum etiam Indulgentiæ conceſſionem factam die Feſtivo, & per octavam ejuſdem: quæ quidem ex more Sedis Apoſtolicæ minime Beatis videbantur convenire; quamobrem nonnulli Scriptores putarunt, Rocchum a Summis Pontificibus Sanctorum honoribus decoratum, tacite fuiſſe Canonizatum, ac ut vere Sanctum haberi

His rationum momentis libratis, eadem Sacra Congregatio cenſuit = *Nil innovandum, ſcilicet poſſe concedi Indulgentiam Plenariam, ex quo ea concedi conſueverit in Feſto S. Rocchi.*

§. V.

Quæ & Quomodo concedantur Indulgentiæ pro Feſtivitabus Sanctorum, quæ in Eccleſiis celebrantur?

IN concedendis Indulgentiis in Sanctorum Feſtivitatibus Eccleſiarum qualitates potiſſimum expenduntur.

Cathedralibus duplex Plenaria conceditur: una pro Feſto Titulari, altera pro alio Feſto, quod ſolemniter celebratur, ut quemadmodum cæteris dignitate, ita & Indulgentiarum donis antecellant.

Collegiatæ vel Parochiales una Plenaria & altera partiali ſeptem annorum & totidem quadragenarum decorantur, pro Diebus vel a Summo Pontifice vel ab Ordinario deſignandis: Regularium vero & aliæ inferiores Eccleſiæ unica plenaria duntaxat, aut pro Feſto Titulari, aut pro alio, quod fortaſſe majori ſolemnitate celebratur. Nec mirum eſt, Sedem Apoſtolicam cum Regularium Eccleſiis adeo parce ſe gerere, quia pro ſolemnitatibus Sanctorum Regularium, quorum nomina in Martyrologio Romano deſcripta ſunt, Indulgentiam Plenarjam ſolet concedere ſingulis Eccleſiis illius Ordinis, cujus Inſtitutum Sancti profeſſi fuerant.

Si plures ſint ejuſdem Eccleſiæ Sancti Titulares, vel Feſtum Tituli pluries in anno recurrat, pro uno die Indulgentia Plenaria, pro alio vero vel aliis partialis ſeptem annorum & totidem quadragenarum. Quamobrem Eccleſiis ſub titulo B. V. Mariæ, cujus ritu ſolemni generaliter ſeptem celebrantur Feſtivitates, nempe Conceptionis, Nativitatis, Præſentationis, Annunciationis, Viſitationis, Purificationis & Aſſumtionis, invaluit ſtilus concedendi Indulgentiam Plenariam pro uno ex dictis Feſtis, in reliquis Indulgentiam partialem ſeptem annorum & totidem quadragenarum.

Nunquam tamen ab ea agendi ratione recedit Sedes Apoſtolica, niſi ſpecialis ad Eccleſiam Chriſtifidelium confluentium devotio, aut Loci qualitas, ubi Eccleſia conſtructa eſt, alterius Indulgentiæ Plenariæ conceſſionem ſuadeat; ideoque ſi Eccleſia præclariſſimas poſſideat Reliquias, aut in ea inſignis Miraculi memoria recolatur, prævia ſuper his Ordinarii informatione aliam Indulgentiam Plenariam non raro ſolet concedere; nulla tamen in Literis Apoſtolicis facta expreſſione Reliquiarum & Miraculi, vel ſub aliqua adhibita cautione. Idem dic pro Eccleſiis vel in Indiis vel ſub Hæreticorum dominio conſtitutis vel conterminis, ut commode Chriſtifideles pluries infra annum poſſint Indulgentiæ Plenariæ fructum comparare.

Quod autem mox dictum eſt, in Literis Apoſtolicis Indulgentiarum, non exprimi Sanctorum Reliquias ac Miracula, quanquam de illis, aut ex antiquis Eccleſiarum tabulis, aut ex probatis Authoribus, aut rationum momentis conſtaret: vel nonniſi adhibita aliqua cautione, ne Sedes Apoſtolica Indulgentiarum conceſſione ea approbare videatur, poteſt duplici exemplo Cauſarum Viennen. ſub die 12. Auguſti MDCLXX. & Taurinen. ſub die 18. Novembris ejuſdem anni illuſtrari.

Propoſitum fuit in Viennen: an eſſet annuendum Auguſtiſſimæ Eleonoræ Imperatricis precibus, quibus petebat, ut Confraternitati Sanguinis Chriſti, Viennæ ac Mantuæ inſtitutæ, nonnullæ Indulgentiæ concederentur; cui conceſſioni tria obſtare videbantur. Primum, ne denuo celebris controverſia de Chriſti Sanguine excitaretur, olim coram Pio II., & S.R.E. Cardinalibus aliiſque doctiſſimis viris agitata: quum prudenti Pontificis laudati Decreto, ſi non diremta lis eſt, certe fervor

diſ-

diſputationum deferbuit, atque animi, magis quam par eſſet, ſtudio partium incenſi, miteſcere & linire viſi ſunt. Secundo, quia non ſatis certum eſt, Chriſtum ad Cœlos redeuntem hoc nobis amoris atque humanitatis ſuæ monumentum reliquiſſe, ſcilicet ſui Sanguinis particulas, pro nobis tempore ſuæ Paſſionis effuſas; Sanctus enim Thomas in 3. *part. qu.* 54. *art.*2. negat in terris alium Chriſti Sanguinem extra Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervari, præter illum, qui ex aliqua imagine Chriſti, non ſine miraculo defluxit, eumque ſequuntur ex Theologis quamplurimi, & ex Hiſtoricis Rubeus, Sigonius aliique. Tertio, obſtare videbatur novitas ipſa, quæ tunc eſt potiſſimum fugienda, cum exinde timemus, diſſenſiones orituras & ſcandala. Verum, & ut aliqua pro parte adverſa dicamus, inutile non erit referre Quareſimum *lib.*1. *tom.*1. *pag.*87. qui hæc habet = *Mantuæ in Eccleſia Sancti Andreæ habetur nonnihil Sanguinis, qui fluxit de latere Chriſti Salvatoris* (*non de latere Imaginis Crucifixæ in Syria, in Beryto Civitate*) *eumque eſſe verum Domini Sanguinem, declaravit Summus Pontifex Leo III. ante annos octingentos* = Idem ſupponit Hyppolitus Donesmundus in *Hiſtor. Mantuana lib* 3. *pag.*203. additque, Leonem IV. anno MLVII. Mantuam acceſſiſſe, ut Sacrum Chriſti Cruorem, denuo inventum adoraret: nec totum potuiſſe, ut optarat, Romam transferre, ſed particulam tantum detuliſſe, quam in Baſilica Lateranenſi repoſuit: Cononem vero Epiſcopum Sanctiſſimam Reliquiam anno MLX. ſub terra abdidiſſe, intra fornices & marmoreum Altare. Contentio mox objecta fuit de univerſo Chriſti Sanguine fuſo in die Paſſionis: an in triduo mortis a Divinitate ſeparatus, & a Chriſto in reſurrectione aſſumtus fuerit, quatenus ad integritatem & perfectionem humanæ ipſius naturæ neceſſarius credebatur. At minimas illius pretioſi Sanguinis particulas apud nos remanſiſſe, cum integritati & perfectioni aſſumtæ humanitatis non officeret, in diſceptationem minime veniebat. Quamobrem ipſemet Pius II. in Epiſtola ad Abbatem Monaſterii Sanctæ Mariæ Xantonen. ac Priorem Sancti Eutropii extra muros, id pie credi affirmat. Pii verba ſunt (ut legimus apud Sylveſtrum in *Aur. Roſa tract.* 3. *quæſt.* 31.) *Petitio exhibita continebat, quod licet tanto tempore, cujus memoria non extat, in Eccleſia dictæ domus, ut pie creditur, quædam particula pretioſiſſimi Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, in Ligno Crucis pro Redemtione humani generis ſalubriter effuſi* &c. Et infra. *Nos igitur qui de prædictis certam notitiam habemus, attendentes, quod veritati fidei nullatenus repugnat affirmare, Redemtorem noſtrum de Sanguine præfato, ob ipſius Paſſionis memoriam, aliquam partem in terris reliquiſſe, ac propterea devotionem ipſorum Fidelium conſervari, & ſcandalis* &c. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno MCCCCLXI.* Hinc habemus pie credi, ac proinde non temere, nec falſo particulam Sanguinis in Terris remanſiſſe: necnon eundem Pium velle hanc Fidelium Religionem conſervari. Accedit Leonis III. declaratio, de qua ſic loquitur Bellarminus *De Scriptoribus Eccleſiaſtic. in Athanaſio* = *Quod dicitur a veris Catholicis, non debere credi eſſe alium Sanguinem Domini ſuper terram, niſi illum, qui conſervatur in Altari, repugnat traditioni Eccleſiæ Mantuanæ, quæ gloriatur habere ſe de Sanguine illo, qui de latere Domini fluxit: eumque eſſe Domini Sanguinem, declaratum fuiſſe a Leone III. Pontifice ante annos* DCC. & infra. *Et certe ſi Pontifex illo tempore ſecus cenſuiſſet, tandiu Sanguis ille conſervatus non fuiſſet* = Idem confirmat Platina in *vita Leonis III.*: Spondanus ad annum DCCCIV. & Raynaldus in Annalibus ad annum MCCXLVII. nu.20. qui Baronium allegat & ait = *De portione Sanguinis Chriſti, qui tempore Paſſionis Dominicæ, de Sacro ipſius corpore defluxit reperta Mantuæ, atque illius veritate Caroli Magni precibus a Leone III. indagata, comprobataque refert Baronius* = Hæc ille. Videri etiam poteſt Haroldus in *Compendio Annalium Wagingi* ad annum MCDLXIV. n. 4., qui citat reprehenditque graviter Gobelinum, quaſi parum fideliter in ſuis commentariis narraverit, Pium II. Dominicanorum partibus adhæſiſſe. Objectio autem de novitate diluebatur; legimus enim apud Dominicum de Dominicis Epiſcopum Torcellanum, qui præ-

prædictis interfuit diſputationibus, Dominicanorum Sententiæ adhærens, in *Tract. de Sang.Chriſti pag.mihi* 63. hæc verba = *Similiter Mantuæ, in Eccleſia repertum fuit de Sanguine Domini, ſicut habetur in Archiviis Eccleſiæ Ravennatenſis: & dicitur, quod ibi ſunt Literæ Apoſtolicæ, in quibus datur Indulgentia in die Aſcenſionis per hunc Sanguinem* = nec novum videbatur hujuſmodi Pontificiæ conceſſionis exemplum intuitu Dominici Sanguinis; id quippe olim conceſſum fuiſſe, ita refert Bzovius *ad annum* MCCL = *Hoc anno Innocentius Papa cum audiſſet Regem Angliæ in Honorem Sanguinis Dominici, cujus guttas aliquot Jeroſolyma acceperat, Templum magnificentiſſimum apud Weſtmonaſterienſes ædificare, & ſumtibus plane regiis ditare velle, pietatem illius, ſcriptis ad eum Literis, ſummopere laudavit. Cæterum ut alii quoque partem meritorum ſibi in eo vindicarent, omnibus & ſingulis, qui quidpiam eleemoſynæ in ſtructuram Baſilicæ contuliſſent, unius anni Indulgentiam vere Pœnitentibus, contritis, Confeſſis & Sacra Communione refectis conceſſit* = Rurſus Æmiliam de Urſinis, (refert Toletus in *Cap.2: Lucæ annot.31.*) a Sixto V. impetraſſe anno MDLXXXVIII. Indulgentiam Plenariam pro viſitantibus in die Circumciſionis Eccleſiam, in qua cuſtodiebatur Chriſti præputium, recens & non ſine miraculo repertum, cujus cultum illa Matrona augere cupiebat. Evidens eſt autem, ea omnia, quæ petitioni Auguſtiſſimæ Oratricis objicebantur, potuiſſe contra Magdalenæ de Urſinis ſupplicationem urgeri. Quoniam igitur Sixtus illa neglexiſſe viſus eſt, ac Indulgentiam conceſſit, potiori ratione, inſtante Auguſtiſſima Eleonora, petita Indulgentia videbatur concedenda. Sed prædicta Sacra Congregatio Reſpondit = *Affirmative; non eſſe tamen exprimendam in Brevi Indulgentiarum particulam Sanguinis Chriſti, quam aſſerebat Confraternitas aſſervare.*

In cauſa Taurinen. inſtitit apud Sanctam Sedem Apoſtolicam Sereniſſima Maria Joanna Margarita Sabaudiæ, ut Plenariam Indulgentiam, ii, qui rite confeſſi, & Sacra Communione refecti viſitarent Eccleſiam Taurinenſem, cum Sacra Syndon exponeretur, obtinerent. Non latuit Sacram Congregationem, quam honorificentiſſime de Syndone Taurinenſi locutus fuerit Baronius in Annalibus ad annum XXXIV. n. 138. his verbis = *Permanſit integra, divina operante virtute, illæſaque hactenus Sanctiſſima Syndon illa, quæ Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti delibuta unguento in Sepulchro poſita fuit, veluti operimentum & ſtratum, quæ in ſe imaginem in Sepulchro Domini iacentis, expreſſit, aſſervaturque ſummo honore in Eccleſia Taurinenſi* = De qua refert etiam Spondanus ad annum MCCCCLIII. num. 23. = *Pertinet quoque ad hiſtoriam cladis Conſtantinopolitanæ, delatio Camberium Sabaudiæ, Sacræ Syndonis, qua Chriſtus in Sepulchro involutus parte antica & poſtica totius corporis ſui Imaginem, Sanguine, & unguentis ad vivum expreſſit* = & poſt pauca = *Cui dignæ recolendæ memoriæ Dux Sacellum marmoreum in arce ſua conſtruxit, unde poſtea ad majorem ſecuritatem tranſlata eſt Taurinum, utrobique ingentibus coruſcans miraculis, & peregrinatione Fidelium, magnorumque etiam Principum frequentia; cui diem Sacrum Julius Papa II. ſtatuit quartum Maii, & in ejus Sacello officium ejus ritu peculiari celebrari conceſſit* = De ea etiam Pingonius Commentarium ſcripſit, cujus Breviarium Gualterius Cronologiæ ſuæ inſervit Sæculo decimoquinto. De ſupradicta item Syndone videri poſſunt, quæ extant apud Ferrandum de *Reliquiis lib.1.Cap.1. art. 2. ſect. 1.* Paleottam Mallonium & Raynaldum in *Annalibus ad annum NCCCCLIII. n. 17. & MDXXXIII. n.62.* qui affert literas Clementis VII. ad Ludovicum tituli Sancti Cæſarei Presbyterum Cardinalem, & Apoſtolicæ Sedis Legatum ubi inquit = *Accepimus, quod alias Capella Sancta nuncupata Caſtri Camberiaci Grationopolitanæ Diœceſis, in qua pannum, Syndon nuncupatum Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ut pie creditur, erat reconditum, incendio accenſa, pannum prædictum quadam celeri accurſione, ex incendio hujuſmodi, divina cooperante gratia, extitit ſublatum* &c. His tamen non obſtantibus, Sacra Congregatio Indulgentiarum cenſuit: Indulgentiam petitam poſſe concedi adhibita cautione Clementis VII. *ut pie Creditur,* vel

vel alia conſimili, certis diebus ab ipſamet Sacra Congregatione deſignandis percipiendam: non tamen venerantibus illam, quaſi germana eſſet Jeſu Chriſti Syndon, ſed *Recogitantibus cruciatus Jeſu Chriſti, præſertim vero ipſius mortem, & Sepulturam*.

Ex hactenus dictis in hoc articulo colliges, ad obtinendas Indulgentiarum conceſſiones intuitu Feſtivitatum Sanctorum pro Eccleſiis, oportere in ſupplicibus libellis exponere 1.° Eccleſiarum Titulum 2.° Eccleſiarum qualitatem: ſcilicet ſint ne Cathedrales vel Collegiatæ, vel Parochiales, aut Regulares & cujus Ordinis: vel Sæculares neque Cathedrales neque Parochiales 3.° Locum Diœceſis 4.° Feſtum Sancti quod celebratur, pro quo petitur Indulgentia 5.° An alia vel aliis gaudeant Indulgentiis dictæ Eccleſiæ? Quod potiſſimum obſervandum eſt in petitionibus pro Eccleſiis Regularium, quibus, (ut dictum eſt) una duntaxat Plenaria conceditur, hac adjecta clauſula = *Dummodo præter Indulgentias Ordini dicti Monaſterii generaliter conceſſas, nulla alia ſpecialiter conceſſa reperiatur* = juxta ſequens Decretum Sacræ Congregationis nuper emanatum = *Eſſendo venuto a notitia della Sagra Congregatione dell' Indulgenze, che nelle Chieſe de Regolari, e di Monache, alle quali ſi concede un Indulgenza Plenaria, oltre quelle dell'Ordini, colla clauſola = Dummodo &c. tal volta per non eſprimerſi qualch' altra Indulgenza ch' haveranno ottenuta, ſi publica la gratia, ſenza l'eſpreſſione d'eſſervi altra Indulgenza; ha percio la medema Sagra Congregatione tenuta ſotto li 27. Luglio del corrente anno 1733. ordinato: che non s' ammettono memoriali ſe non contengono l'eſpreſſione d'altre Indulgenze che averanno forſe ottenute, o pure la dichiaratione di non averne avuta, e di non goderne alcuna; accioche poſſa conſideratamente riſolverſi, ſe ſia ſpediente aggiungere altre conceſſioni ne caſi particolari, che occoreranno. Dato in Roma li 28. Luglio 1733. L. Veſcovo d' Albano Cardinal. Pico Prefetto. Gio. Arciveſcovo di Tiro Secret.*

Cum Regularium Eccleſiæ ita in ejuſmodi Indulgentiis Cathedralibus Collegiatis ad tempus determinatum conceſſis cedant, ut eas in perpetuis ſuperent, Paſtores Cathedralis & Parochialis Eccleſiæ Antverpienſis Sedem Apoſtolicam adjerunt, de Eccleſiæ ſuæ deſertione conquerentes, ut huic incommodo opportune provideretur. Expoſuerunt in ſupplici libello, eam Parochiani ex viginti & amplius millibus eorum conſtare, qui ſuſcipiendæ Euchariſtiæ idonei erant: Templum etiam ampliſſimum omniumque totius Belgii eſſe auguſtiſſimum, & in eo Divina Officia & Eccleſiæ Sacramenta pro rei dignitate & loci majeſtate celebrari: & Fideles, Indulgentiarum munus Eccleſiis Regularium in ejuſdem finibus Parochiæ ſitis liberalius collatum fuiſſe, videntes, eo confluere, Cathedrali relicta; quam fere ab omnibus deſeri, mirabantur Heterodoxi, & Catholicorum pii honeſtiſſimique merito dolebant. Id olim notaverat Franciſcus Zipeus eximius Pontificii Juris Interpres, Archidiaconus & Vicarius Generalis dictæ Eccleſiæ Antuerpienſis, in *Analyt. poſtrem. Jur. Eccleſiaſt. ennarrat. Lib. 3. de Parochiis dicens = Optandum eſſet, Indulgentias apud ſingulos Ordines & Monaſteria majores non eſſe, quam in Eccleſiis Parochialibus; ideo enim Parochiales deſeruntur, & a pluribus aliæ frequentantur, & occupant locum Parochialium, quæ primo inſtitutæ ſunt in ſupplementum devotionis* = Et profecto videtur conſonum Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, Sacrarum Congregationum Decretis, ac Apoſtolicæ Curiæ ſtilo ad principalium Eccleſiarum viſitationem ſolemnibus anni diebus Indulgentiarum præmio Fideles invitare: & ea ſubmovere impedimenta, quæ a viſitandis Cathedralibus, Collegiatis & Parochialibus Eccleſiis poſſent revocare. Concilium Rothomagenſe a Gregorio XIII. confirmatum = *Præcipimus*, inquit, *illarum Indulgentiarum confirmationem a Sede Apoſtolica peti; ſunt enim neceſſariæ ad veterem morem Chriſtianorum conſervandum & inſtaurandum viſitandi Cathedralem & Matricem Eccleſiam in Paſchate & Pentecoſte, & tunc confluendi ad Benedictionem Epiſcopalem* = Addunt Patres Concilii Colonienſis celebrati anno MDXXXV. = *Proceſſiones Eccleſiarum Collegiatarum ad ſummum Templum fieri diebus maxime celebrioribus, & Feſtis: eaſque procul dubio inſtitutas fuiſſe cauſa illuc conve-*

nienli ad Miſſas Epiſcopales, & deſiderio recipiendi Communionem vel Benedictionem Epiſcopalem = Huc ſpectat Canon *Si quis de Conſec.diſt.* 1. ExConcilio Agathenſi deſcriptus = *Si quis extra Parochias, in quibus legitimus eſt ordinatus Conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis Feſtivitatibus, ut ibi Miſſas audiat, propter defatigationem familiæ juſta ordinatione permittimus*; *Paſchate vero, Natali Domini, Epiphania, Pentecoſte & Natali Sancti Joannis Batiſtæ, & ſi qui maximi dies in Feſtivitatibus habentur, nonniſi in Civitatibus & Parochiis audiant* = Quæ de Civitatibus dicit, accipiendum eſt de Cathedralibus. In facultatibus etiam Oratoria conſtruendi in ædibus privatis juxta ſtilum Curiæ Romanæ, refert Piaſecus in *Praxi Epiſcop.* hanc conditionem apponi = *Ut ibi Divina peragantur ſine præjudicio Eccleſiæ Parochialis, præſertim diebus Natalis Domini, Paſchatis, & Pentechoſtes* = Quod Barboſa in *Lib.* 2.° *de Jur. Eccleſiaſt.* latius explicat dicens = *In Altari privati Oratorii, cui conceditur ex privilegio Apoſtolico celebratio Miſſæ, exceptis ſolemnioribus Feſtis, non poteſt in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paſchate, Annunciatione, Aſſumtione B. M. V., Feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & omnium Sanctorum, ut cenſuit Sacra Rituum Congregatio ſub die* 17. *Novembris anno MDCXVII* = HæcBarboſa. Ex quibus conſtat Sedem Apoſtolicam ſemper cavere, ne a Cathedralium & Parochialium frequentatione Fideles avertantur ſolemnioribus anni diebus, in quibus functiones ſuas Epiſcopus & Parochus obire ſolent. Et ea de cauſa Paulus V. in Brevi, quod incipit *Ad Augendam*, dato ſub die 30. Aprilis anno MDCXVI. Indulgentiam Plenariam pro Communione Generali Patrum Societatis Jeſu ita conceſſit = *Omnibus & ſingulis, utriuſque Sexus Chriſtifidelibus vere pænitentibus & confeſſis, qui tempore Communionis Generalis per Clericos Regulares Societatis Jeſu, in eorum Eccleſiis extra Urbem, ubilibet ſemel in menſe duntaxat faciendæ Sanctiſſimum Euchariſtiæ, Sacramentum ſumſerit, dummodo diebus Feſtorum principalium Eccleſiæ Cathedralis, proceſſionum generalium, & aliarum functionum Epiſcopalium in Eccleſia Cathedrali peragendarum, eadem Communio Generalis minime fiat, Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam & remiſſionem in Domino concedimus* = Ad hujus diſciplinæ obſervantiam, cum ſedente Paulo V. Epiſcopus Tornacenſis ab Eminentiſſimis Patribus SacræCongregationisConcilii petiiſſet, eaſdem Indulgentias, quibus Regularium Eccleſiæ donatæ erant, Eccleſiæ ſuæ concedi; ut iis populus ad viſitandam frequenter Eccleſiam Cathedralem alliceretur, quam deſerebat, ad Eccleſias Regulares confluens, ubi longe majores Indulgentiæ promulgabantur, annuendum Eminentiſſimi Patres ſupplicationibus Epiſcopi, & Indulgentiarum petitarum Breve expediri poſſe, exiſtimarunt.

Paſtorum Cathedralis & Parochialis Eccleſiæ Antuerpienſis precibus ad Sacram Congregationem Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum delatis, Abbas Michael Angelus Riccius dictæ Congregationis a Secretis quatuor propoſuit modos, ut huic rei Sedes Apoſtolica remedium adhiberet 1.^m ut Regularium Indulgentiæ, quæ incidunt in dies functionum Epiſcopalium atque principalium Feſtorum Eccleſiæ Cathedralis, a Summo Pontifice in alios dies iis non impeditos functionibus transferrentur 2.^m ut illarum Indulgentiarum, quæ Regularium Eccleſiis affixæ ſunt fieret revocatio, ne eiſdem diebus duplicarentur Indulgentiæ Plenariæ, ſi iſtæ Cathedrali concederentur, cum in Regularium Eccleſiis per multæ jam eſſent 3.^m ut Regularium Indulgentiis firmis remanentibus, Cathedrali in ejus præcipuis Solemnitatibus aliæ concederentur 4.^m ut ſi quæ Regularium Indulgentiæ in dies Epiſcopalium functionum caderent, eiſdem adderetur conditio ut Fideles ad eas lucrandas, utranque Eccleſiam viſitare deberent, ſcilicet Regularem & Cathedralem: & præterea in aliis quoque Cathedralis Solemnitatibus Indulgentiæ eidem concederentur, ſed temperate.

Nihilominus tamen dicta Sacra Congregatio his aliiſque rationibus in contrarium adductis æqua lance libratis, ſub die 12. ſeptembris MDCLXXIII. cenſuit: *nihil in hac re eſſe innovandum*.

De-

§. VI.

De Indulgentiis conceſſis pro Feſtivitatibus Dedicationis Eccleſiarum & Corporis Chriſti, pro quibus juxta ſtilum non ſolent concedi aliæ Indulgentiæ:

CONſecrationis Eccleſiarum originem nonnulli eruditi Scriptores tribuunt Sancto Evariſto, qui ab anno Chriſti XCV. uſque ad annum CVIII. ſummum rexit Pontificatum, ſed certius eſt Eccleſiarum conſecrationem eſſe Apoſtolicum inſtitutum a veteri lege ad novam ab Apoſtolis ad ſucceſſores emanatum, quod tum in Orientalibus tum in Occidentalibus Eccleſiis ſervatum eſt (niſi cum Cardinali Bona in *Lib.1. Rer. Liturgic. cap.* 20. dicere velimus, Evariſtum vel id ſcripto promulgaſſe, quod ſola traditione ab anteceſſoribus acceperat, vel fortaſſe ad veteres cœremonias addidiſſe, ut ſine Miſſæ Sacrificio non conſecrarentur Eccleſiæ, ut ex illo referunt Canonum collectores) Quanquam vero clam & private olim id fieret; ineunte tamen Sæculo quarto, extinctis Imperatorum Gentilium perſecutionibus, poſtquam dediſſet Conſtantinus Magnus nomen Chriſtianæ Religioni,. ſolemni & publico ritu Deo dedicatas atque conſecratas fuiſſe Eccleſias novimus ex Euſebio, qui *Lib.* 10. *cap.* 3. deſcriptis iis, quæ poſt redditam Eccleſiæ pacem contigerant, ſubdit = *Poſt hæc votivum nobis ac deſideratum ſpectaculum præbebatur, Dedicationum ſcilicet Feſtivitas per ſingulas Urbes, & Oratoriorum recens ſtructorum conſecrationes* = Quamobrem cœpit ſingulis annis, harum Dedicationum anniverſaria dies ſolemniter fieri, quæ ut majori Chriſtifidelium fructu celebraretur, ſub finem Sæculi X., ſicut dictum eſt in *Diſſertat. Præmial. Hiſtor.* §. 4., Pœnitentiæ Canonicæ remiſſione illuſtrior facta eſt.

Frequentiores fuiſſe poſtea Indulgentias in ejuſmodi Feſtivitatibus, habes ex Mabillonio in *Præfation. Sæculo V. Benedictin.num*, 109. = *Indefinite tunc temporis Indulgentiæ concedebantur ſequenti ſæculo ad certum tempus: & quidem paſſim ab occaſione Dedicationis Eccleſiarum. Benedictus IX. anno* 1040. *indulget, ut omnis pœnitens, qui ad limina Eccleſiæ S. Victoris Maſſilienſis recens dedicatæ* tritis paſſibus *venerit*, Eccleſiæ *fores ſibi pateant, & indultis facinoribus peccaminum omnium criminum ſqualloribus abſolutus libere ad propria lætus redeat: eo ſcilicet tenore, ut tranſacta peccata Sacerdotibus confiteatur, & de reliquo emendetur* = Extat. in *Tom.* 6. *Spicileg. Dacher.* Epiſtola Rajambaldi Archiepiſcopi Arelatenſis pro Dedicatione Eccleſiæ S. Mariæ de Cerreno Gallo-Provinciæ vico, in qua legitur = *Ut Pœnitenti, qui ad eam in Conſecratione ejus* advenerit, *tertiam partem pœnitentiæ* remittat Epiſcopus, *& Eccleſiam* ideſt ejus ingreſſum *uſque ad caput anni* eireddat, quæ ad annum MXCV. referuntur. Et Fulco Comes in *Tom.* 10. *Spicil. laud. pag.* 396. inquit = *Urbanus II. anno* 1098. *Andegavos ſe contulit: tunc in Septuageſima dedicata eſt Eccleſia S. Nicolai ab ipſo Papa, qui edicto juſſit, ut in eodem termino, quo Dedicationem fecerat, indictum publicum celebraretur, unoquoque anno apud S. Nicolaum, & ſeptima pars pœnitentiarum populo convenienti ad illam celebritatem dimitteretur* = Romanus Baſilicæ Vaticanæ Canonicus, ſub Eugenio III. circa medium Sæculi XII. de Baſilica laudata diſſerens, *Cap. 2. de Remiſſione* antiquam Indulgentiam in ejus Dedicationis Solemnitate conceſſam deſcribit his verbis = *Quia ſolemnitas* (Dedicationis ſcilicet) *maxima eſt, maximam remiſſionem Apoſtolica providentia omnibus ad eam devote venientibus condonavit: quæ videlicet remiſſio, Apoſtolica providentia ſic tripartito diſtinguitur, ut Romanis & circumjacentibus unius anni, Tuſcis, Lombardis & Apulis, & cæteris mare non tranſeuntibus duorum annorum: ſed & his qui mare tranſmeare noſcuntur, trium annorum maneat remiſſio peccatorum ſimiliter: eademque remiſſio facta probatur in hac Beati Petri Baſilica in Cœna Domini, quando conſecratur ibi Sanctum Chriſma: in Aſcenſione ſimiliter* = Hactenus ille, qui ſi Romani Pontificis id concedentis nomen aperiret, poſſet perſpicue de-

demonſtrari, quo tempore ea Indulgentia prodierit.

Alias ejuſmodi Indulgentias Sæculo XII. datas a Calliſto II., qui ſummus Pontifex fuit renunciatus anno MCXIX., ita refert Auguſtinus Oldoinus in *Additionib. ad vit. Rom. Pontif. Ciaccon. in Calliſ. II.* = *Deſcribimus, quæ extant monumenta vetera Pontificalium functionum, quas Calliſtus in Eccleſiæ & Altarium Dedicatione Romæ exercuit: ac primum hujuſmodi de Eccleſia S. Agnetis in Agone, Anno Domini MCXXIII. Indictione I. Menſe Januario, die 28. Hæc Eccleſia S. Agnetis dedicata eſt a D. Calliſto Papa cum remiſſione annuatim dicta die unius anni & 40. dierum. Hæc in marmorea tabula ad fores ejuſdem Eccleſiæ. In antiquis monumentis Baſilicæ S. Petri apud Vegeium de eodem Calliſto leguntur iſta: B. Rec. C. Papa II. quoniam decorem Domini, ſicut Propheta, plurimum dilexit, Altare B. Petri, quod nimia vetuſtate & lapidum percuſſionibus quodammodo violatum videbatur, optimis marmoribus veſtivit & ornavit: & in feſto Annuntiationis B.V.M. cum toto concilio lapidem Altaris ſatis honorifice & devote conſecravit; in qua videlicet conſecratione fecit remiſſionem trium annorum annualiter ad eam devote venientibus, & cancellis ferreis prædictum Altare circumſepſit* = Ex quibus colliges, verum non eſſe, quod ſubdit Papebrochius in *Conatu Chronico Hiſtor. Diſſer.* 17. relata Indulgentia indefinita in ſolemniſſima Eccleſiæ Lucenſis Dedicatione ab Alexandro II. an. MLXX. conceſſa ex Codice MS. Eccleſiæ Lucenſis inter Bibliothecæ Vaticanæ libros ſervato = *Deeſt tamen adhuc authoritati prædictæ ſpecificatio ipſius Indulgentiæ: & hanc primum invenio apud ipſum Baronium ad annum* 1130. *ubi Honorii III. Bulla recitatur de conſecratione Eccleſiæ Caſæmarii* &c. = cum ex quibuſdam remiſſionibus allatis occaſione Dedicationum Eccleſiarum conceſſis conſtet, factam fuiſſe earundem vel unius anni vel plurium ſpecificationem, etiam ante conſecrationem Eccleſiæ Caſæmarii.

Sed quanquam pro hujuſmodi Feſtivitatibus Sæculo XI. & XII. in concedendis Indulgentiis partialibus diverſa extiterit Eccleſiæ diſciplina; ſub initium tamen Sæculi XIII. in Concilio Lateranenſi IV. conditum eſt ſequens ſtatutum Can. 62. = *Decernimus, ut cum dedicatur Baſilica, non extendatur Indulgentia ultra unum annum, ſive ab uno ſolo, ſive a pluribus Epiſcopis dedicetur: ac deinde in Anniverſario Dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat* = Quamobrem inolevit exinde conſuetudo tum a ſummis Pontificibus, tum ab Epiſcopis obſervata, in Dedicationibus Eccleſiarum unius anni: in eorundem vero Anniverſariis quadraginta dierum Indulgentias concedendi.

His ſuppoſitis conceſſionibus, in hujuſmodi Feſtivitatibus etiam ſolemniter celebratis, non ſolet Sedes Apoſtolica Eccleſias viſitantibus alias Indulgentias deſpondere.

Idem, quod in Anniverſariis Dedicationum Eccleſiarum dictum eſt, ſervatur in Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, quod annuatim feria quinta poſt octavam Pentecoſtes perpetuis futuris temporibus celebrandum inſtituit Urbanus IV. anno MCCLXIV., juxta Theodoricum Vallicolorem, relatum a Franciſco Pagi in *Breviar. Hiſtor. Chronol. crit. Rom. Pont. in Vita Pontif. prælaud. n.* 22. Perpetuas enim hic Pontifex in dicto Feſto dedit Indulgentias, expletis a Fidelibus quibuſdam conditionibus, ut habetur ex ejus Conſtitutione cujus initium eſt *Tranſiturus*, ibi = *Nos enim Chriſtifideles ad colendum tantum Feſtum & celebrandum, donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus vere Pœnitentibus & confeſſis, qui matutinali officio Feſti ejuſdem in Eccleſia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum: qui vero Miſſæ, totidem. Qui autem in primis ipſius Feſti Veſperis interfuerint, ſimiliter centum: qui vero in ſecundis totidem. Illis vero qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ ac Completorii Officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipſarum, quadraginta; illis autem qui per Octavas illius Feſti matutinalibus, veſpertinis, Miſſæ ac prædictarum Horarum officiis interfuerint, centum dies, ſingulis Octavarum ipſarum diebus, in Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus* = Deinde Martinus V.

Con-

Conſtitutione incipiente *Ineffabili* edita ſub die 26. Maii anno MCCCCXXIX. alias addidit = *Singulis ex eis* (ſunt verba dictæ Conſtitutionis) *vere Pœnitentibus & confeſſis, qui, & quoties in ipſius Sacramenti profeſto jejunium, vel loco illius aliud pium, juxta ſuorum conſilia Confeſſorum, opus fecerint, centum dies: & qui præmiſſa in Eccleſiis, quibus illa (nempe Feſtivitas Sanctiſſimi Corporis Chriſti) celebrari contigerit, Officiis interfuerint: necnon Epiſcopis, & aliis Prælatis Superioribus, qui dictis Officiis libenter intereſſent, ſed quominus eis, in ipſis Eccleſiis intereſſe poſſint pro conſervandis ſuarum dignitatum juribus, & alias legitime tunc impeditis, pro matutinali ducentos, & pro Miſſæ Officio totidem, ac pro qualibet Veſperarum ducentos: reliquarum vero, videlicet Primæ, Tertiæ, Sextæ & Nonæ, ac Completorii Feſti, octoginta. Rurſus quibuslibet Octavarum diebus, pro ſingulis Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum, ſimiliter centum: necnon reliquarum horarum hujuſmodi quadraginta .... de Omnipotentis Dei miſericordia ac Beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli auctoritate confiſi de injunctis eis pœnitentiis, miſericorditer relaxamus* = Martini V. Indulgentias confirmavit, auxitque Eugenius IV. Conſtitutione incipiente *Excellentiſſimum* edita ſub die 26. Maii anno MCCCCXXXIII. ibi = *Nos vero, quos interim ad ſummi Apoſtolatus apicem Divina Clementia perduxit, etiam pro frequentiori hujuſmodi veneratione Sacramenti, ſummis geſtientes affectibus, noſtri partes miniſterii ſalubriter impertiri, necnon relaxationes et conceſſiones prædictas* (nempe Martini V.) *Apoſtolici robore muniminis ipſorum nationi Fidelium committentes præmiſſis, per eundem Martinum Prædeceſſorem, ut præfertur, relaxatis diebus, alios totidem dies pariformiter ab ipſis Fidelibus conſequendis adjicimus per præſentes.*

Cæterum ſi Feſtivitas Corporis Chriſti in aliqua Eccleſia, ob inſignem miraculi memoriam ſolemnius quam in aliis celebretur, in iis locis potiſſimum, ubi impune graſſantur Hæreſes, prævia ſuper miraculo Ordinarii informatione, Indulgentia Plenaria conceditur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

§. VII.

De Indulgentia Plenaria ad plures dies extenſa: & de Quotidiana ſemel ab unoquoque Chriſtifideli intra annum lucrifacienda.

CUM non raro ob Feſtum in Eccleſiis celebratum pro Indulgentiarum aſſecutione confluentibus tam ex finitimis, quam ex longinquis Regionibus unius diei periodus non ſufficiat; ad fovendam Chriſtifidelium devotionem, eam Sedes Apoſtolica ad plures dies vel continuos, vel interpolatos, puta ad octiduum, vel pro ſeptem Feſtis Beatæ Virginis Mariæ extendit, ſemel ab unoquoque Eccleſiam viſitante lucrifaciendam, prævia tamen ſuper confluentium concurſu Ordinarii informatione. Eadem pariter conceditur extenſio, occaſione ſolemnis coronationis alicujus Imaginis Beatiſſimæ Virginis Mariæ factæ a Capitulo Baſilicæ S. Petri de Urbe.

Quod ſi toto anni decurſu confluerent ad certam Eccleſiam Populi, Imaginem vel B. Virginis. Mariæ, vel alicujus Sancti miraculis inſignem veneraturi, prævia Ordinarii informatione ſuper confluentium concurſu, Sacra Congregatio Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum reſcribit = *Pro Indulgentia Plenaria ſemel ab unoquoque viſitante Eccleſiam, in qua Imago* (hujuſmodi) *reperitur, intra annum lucrifacienda* = ut paſſim plurima in Regiſtris dictæ Sacræ Congregationis teſtantur exempla. Ne vero intra eandem Diœceſim ſimiles Indulgentiæ multiplicentur ſine juſta ac rationabili cauſa, (quod poſſet contingere in Germania, ubi plures conceſſæ reperiuntur); obſervatur potiſſimum ab eadem Sacra Congregatione, ne Eccleſia, pro qua hoc ſpirituale beneficium petitur, paucarum leucarum numero diſtet ab alia jam ſimili Indulgentia decorata: ideoque in Saliſburgen. ſub die 4. Octobris ann. MDCCXXXI. propoſitis precibus ad eam obtinendam pro duabus Eccleſiis, reſcriptum fuit = *Pro informatione Ordinarii, quoad Eccleſiarum diſtantiam.*

Ea-

Eadem Indulgentia non raro a Sede Apoſtolica conceditur viſitantibus Eccleſias ſub Hæreticorum dominio conſtitutas, ſi ad eas ex diverſis Regionibus, Catholici proximiorem non habentes accedant, ut incruento Miſſæ interſint Sacrificio, Divinaque participent Sacramenta.

§. VIII.

Quid ſentiant Doctores de Indulgentia Plenaria pro Feſtivis diebus conceſſa, quum Feſtivitates ad aliam diem transferuntur: quique ſit ſenſus Sacrarum Congregationum Rituum, & Indulgentiarum?

Azorius in *Inſtitutionib. moralib. par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27., quærens, quando dies feſti agi, & coli debeant? inquit = *Quod pertinet ad ceſſationem operum ſervilium, & rei Divinæ auditionem, dies feſti coli debent eo die, in quem anniverſaria celebritas incurrit: quanvis tota prædicatio, & Divinorum Officiorum ratio, quæ in diebus feſtis lege Eccleſiaſtica obſervantur, in aliam diem aliquando inſtituto, ex more transferri ſoleat. Ex quo fit, ut peccatorum condonationes, quas Indulgentias vocamus, Romani Pontificis beneficio, in certo die feſto conceſſæ, eo die, mea ſententia ſuſcipiantur, in quem anniverſaria illius diei feſti celebritas incidit; non autem eo die, in quem divinæ precationes & Officia transferuntur.*

Paucioribus verbis idem exprimit Lavorius *par.* 1. *cap.* 20. = *Indulgentia*, inquit, *certo die conceſſa, eodem die lucrari debet, in quem anniverſaria illius diei feſti celebritas incidit, non autem eo die, in quem incidunt precationes, & Officia transferuntur.*

Nec aliter viſum eſt Sylveſtro in *Summa* verbo: *Dominica*, *quæſito* 2. = *Quæritur*, inquit, *quando feriæ ſolemnes celebrantur? Dicunt quod in die, qua occurrunt (etſi officium ad aliam diem transferatur) quia Eccleſia ordinavit, quod ſuo die celebrentur, & de remiſſione nihil ſtatuit: unde & conſuetudo ita habet, & Bartholomæus Fumo in verbo feſtum num.* 24., *qui Sanctum Antoninum citat idem ſentientem. Indulgentia enim cum ſit ipſi Feſto communicata, debet eo die percipi, quo Feſtum agitur, & non alias.*

Sylveſter autem loquitur de Feriis ſolemnibus, de quibus initio dixerat = *Quædam Feriæ dicuntur ſolemnes, in quibus non licet manualiter operari, introductæ ob reverentiam diei, de quibus in cap. Conquæſtus de Feriis & C. eodem L. dies feſtos, ut ſunt ab Eccleſia inſtitutæ. Dominus enim vel Civitas, ſi ſtatuat Feſtum ſub certa pœna colendum, pœnam quidem a violatoribus poſſet exigere, ſed culpam non incurreret, quia ad hos non pertinet feſta præcipere* = & Azorius quoque & Fumus de Feſtis loquuntur, in quibus omne ſervilis operis genus prohibetur.

Longe difficilius explicatu eſt, ad quem diem Indulgentiæ pertineant, dum Feſtum non eſt (ut paſſim vulgo appellatur) de præcepto, & non ſanctificatur ſaltem communiter ex præcepto Eccleſiæ cum ceſſatione a ſervilibus operibus, & a negotiis: quoniam in caſu, Officio in aliam diem translato, aut nihil omnino, aut minimum celebritatis priori diei relinquitur: ita ut Indulgentia minus convenire videatur Anniverſario diei, quam illi, in quo, ob Divini Officii translationem, Sancti merita proponuntur, aliiſque modis fidelis populus ad ejus imitationem incitatur.

Gobat in *Theſ. Indulgentiar. par.* 2. *cap.* 7. *num.* 3. 26. = *Probabile eſt*, inquit, *illas Indulgentias, quæ conceſſæ ſunt pro Feſtis primariorum Sanctorum Religioſorum, transferri in illam diem, in quem ii Religioſi transferunt ejuſmodi Feſta: eſto ille dies a ſolis Religioſis, eorumque familiaribus colatur ceſſatione a labore ſervili. Ita arbitrantur Sylvius Variar. reſolution. tom.* 1. *in verbo Indulgentia & Diana par.* 6. *tract.* 7. *reſolut.* 31., *& tract.* 8. *reſolut.* 30., *ubi ponunt exempla Sanctorum Benedicti, Thomæ Aquinatis, Franciſci de Paula, quorum Feſta a Benedictinis, Dominicanis, Minimis celebrantur. Rationem præcipuam deſumo ex Bulla Grego-*

rii

rii XIII.: cum feſtum Sancti Franciſci de Paula poſt octavam Paſchæ transferri ſolet: & ideo in dubium verti poſſet, an Indulgentia, die, quo feſtum transferri contigerit, a Fidelibus adipiſci poſſit, volumus & declaramus, ut translata eſſe cenſeatur. In his verbis Pontificis pondero ego duo, primum, quod dicat, poſſe verti in dubium: hic enim loquendi modus, adjunctus verbo Declaramus, innuit, non debere aut debuiſſe in dubium verti, ſed potius formari judicium conforme declarationi, quam mox Pontifex eſt allaturus. Alterum, quod dicat Pontifex: Declaramus: nam verbum declarandi ſignificat juridicam & univerſalem omnium ſimilium declarationem, inquit Suarez, addens tom.4. de Relig. tr. 20. ex communi Sylveſtri, & Navarri, quod lex declaratoria extendatur ad præterita & futura &c. Cum igitur Indulgentia pro feſto Sancti Franciſci de Paula fuerit primitus data & publicata ea verborum formula, qua ſolent illæ, de quibus hic loquimur; fit ut declaratio facta a Gregorio XIII., extendatur ad omnes alias Indulgentias pro feſto aliquo valde ſolemni, ante, & poſt illam Bullam impertiendas. Excipio caſum, quo daretur Indulgentia determinando diem menſis, exempli cauſa determinando per ſe, & non per accidens diem ſecundam Decembris, primam Maii = Hactenus Gobat. Excipit autem Sylvius loco citato etiam caſum, in quo fit mentio diei depoſitionis, vel mortis aut translationis, aut ſimilis circumſtantiæ.

Gobat aliiſque Authoribus ab eo relatis conſentit Bonagratia in *ſummul. quæſt. Regular. in verbo Indulgentia*, & generaliter ſic loquitur = *Si fiat translatio Feſti quoad cultum Divinum publicum, quo tam Clerus, quam tota Communitas obſtringitur, ſimul etiam transfertur Indulgentia: ſive Officium, ſive horæ Canonicæ transferantur, ſive non. Quod ſi autem aliquod Feſtum, præter Officium Clericale, cultum alium non habeat, hujus translationem ſequetur Indulgentia, juxta declarationem Gregorii XIII.* (quam ſupra Gobat laudatus expoſuit) *Feſtum enim non dicit diem tranſitus præciſe, qui dudum tranſiit, ſed illius memoriam, quæ quocunque alio die poteſt fieri &c. Eſto autem ad hunc diem*, obitus, *Feſtivitas ſingularem habeat reſpectum, potius quam ad alium, unde & Eccleſia talem præ cæteris honorari voluit; iſte tamen reſpectus connotat illum diem, non jam amplius ut præſentem, ſed præteritum duntaxat, quem repræſentare poteſt quivis alius: quam etiam ob rem per totam octavam, ſi Feſtum cum octava celebretur, canit Eccleſia: Hodie lætus meruit beatas ſcandere ſedes. Accedit, quod, cum in anno Biſſextili dies alii ſubſequentes intercalarem, omnes uno ſerius celebrentur, adeoque de proprio loco moveantur; Indulgentiæ lucrandæ erunt non in die feſto, ſed ejus pervigilio.*

Ut autem intelligatur, Gregorii XIII. declarationem de Indulgentia in Feſto Sancti Franciſci de Paula, de qua meminerunt Gobat & Bonagratia, ad quaſcunque ſimiles Indulgentias extendi, afferri poteſt dictum notabile Franciſci Nigri Cyriaci *Controv. forenſ. tom.2. contr.* 120., qui ait = *Sciendum eſt, declarationem ſumi tripliciter. Primo, pro omnimoda correctione. Secundo, pro modificatione, quæ in augendo vel diminuendo conſiſtit. Tertio, pro congrua declaratione. Duobus primis modis dicitur impropria declaratio, & ex ea inducitur nova diſpoſitio. Tertio autem eſt vera & propria declaratio, quæ ineſt antiquæ diſpoſitioni. Ita magiſtraliter docet Caſtro &c., & cum prædicta diſtinctione concordat in effectu communis Schola Doctorum: nam ſicut reſpectu tertii membri concludunt, veram declarationem conſiſtere in explicatione ambiguæ diſpoſitionis, quæ ex verbis dubiis ad plures ſenſus adaptari poteſt ſine alteratione ſubſtantiæ, Caſtro, Decius, Menochius &c.; ita quoque reſpectu primi ac ſecundi Capitis dictæ diſtinctionis firmant, impropriam eſſe declarationem & cauſare novam diſpoſitionem, quando eſt de re non dubia* = Gregorius enim affirmat rem eſſe dubiam, eamque, nihil addendo, vel minuendo, aut corrigendo, declarat: adeoque videtur generaliter declarare, quolibet feſto translato, quamlibet Indulgentiam transferri.

Baſ-

Baſſeus verbo *Indulgentia num.*11.Feſtorum translationem, diſtinguens non ita generaliter rem eſſe definiendam arbitratur = *Indulgentia*, inquit, *quæ conceditur alicui Feſto, non transfertur cum Officio illius Feſti. Si vero cum Officio transfertur & Feſtum, & in conceſſione non fiat mentio diei menſis, ſed ſolum Feſtivitatis; tunc veroſimile eſt Indulgentiam quoque transferri, quia Indulgentia conceditur pro die Feſto talis Sancti. Dies autem feſtus illius eſt, quando ejus officium, ac Feſtum celebratur. Ita Sylvius par.* 1. *variar. reſolut. in verbo Indulgentia num.*11., *cui adhæret Diana par.*5. *tract.*8. *reſol.*31.= Non declarat Baſſeus, quid ſit cum Officio Feſtum transferri, & alios quæſtionis propoſitæ nodos non explicat; ceſſatio enim à ſervilibus operibus, ut antea diximus, non transfertur, neque natalis Sanctorum & mors, utpote diei anniverſario affixa. Porrò quidquid in Feſto reliquum eſt,omne Divinis Officiis contineri videtur, quibus memoria Sancti recolitur & celebratur: nihilque præter hæc apparet, in quo Feſtum conſiſtere poſſit, & cum Officio transferri. Aliam diſtinctionem, de Indulgentiæ translatione pertractans, cenſuit eſſe adhibendam, Antonius Bujodinus Tuomonienſis *in Corolla Oeco. minorit. Scholæ Salomon. Doctor. ſubtil. parte* 2.ª *col.* 4., ut Indulgentiæ cum Feſto transferantur, ſi fiat translatio Feſti ad Romani Breviarii præſcriptum, non autem auctoritate aut diſſimulatione ſola Ordinarii.

Ut aliquam huic rei lucem afferamus ex generalibus Romani Miſſalis Rubricis, ubi de Feſtorum Translatione fit ſermo, pauca quædam deſcribemus = *In Eccleſiis ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, poſſunt cantari duæ Miſſæ, una de die, altera de Feſto, excepta Dominica prima Adventus, feria* 4.ª *Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota Hebdomada Majori: Dominica Reſurrectionis & Dominica Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus: Die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis & Feſto Corporis Chriſti* = Ad quem locum Bartholomæus Gavantus hæc ſubjicit = *Vide ſolutiores eſſe leges Miſſæ, quam Officii Divini: & quia Populus concurrit ad audiendam potius Miſſam, quam Veſperas, & alias horas, ideo conceditur poſſe fieri alteram Miſſam de Feſto translato* = Quoties itaque per Rubricas licet in annuo die natalis & mortis alicujus Sancti Miſſam celebrare, toties eadem die Indulgentiam percipi poſſe dicendum eſt, quamvis Officium ad aliam diem transferatur: tunc enim ejus Natalis, & mors concurrunt, ejuſdemque memoria, quæ per eam Miſſæ recitationem ex Eccleſiæ inſtituto a publicis ejus Miniſtris Populo adſtante celebratur: in quo Feſti rationem potiſſimam conſiſtere ambigendum non eſt. Quin Rubricę Breviarii Caſſinenſis monent, (ut notat Abbas Riccius in ſuis MSS.) in Feſto Corporis Chriſti commemorationem ſolam in proprio die ſatis eſſe ad Indulgentiam conſequendam.

Sententiam Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum exquirere curarunt nonnulli Doctores, ut in ea Eccleſiaſticæ Diſciplinæ parte, in qua de mente Summorum Pontificum pertractatur, quid firmum tenendum foret, aperiretur, ac ne Chriſtifideles inter Doctorum varias opiniones nutare cogerentur: ventilanda itaque propoſuerunt memoratæ Sacræ Congregationi hæc tria dubia.

1.ᵐ *Quid dicendum ſit de Indulgentia conceſſa Feſto, in quo a ſervilibus operibus ex præcepto Eccleſiæ ceſſandum eſt, ſi ad leges Rubricarum Breviarii & Miſſalis Romani transfertur: ut in Feſto Annunciationis Beatiſſimæ Virginis, in majorem hebdomadam incidente, contingit?*

2.ᵐ *Quid de cæteris Feſtis per annum ſimili modo translatis, in quibus a ſervilibus non ceſſatur?*

3.ᵐ *Si Romanus Pontifex Indulgentiam concedat in honorem Sancti cujuſpiam, & certum diem deſignet, ut vigeſimam ſextam Martii, an indiſcriminatim affirmandum ſit, Indulgentiam translato Feſto non transferri?*

Eminentiſſimis tamen Patribus dictæ Congregationis ſub die ſecunda Julii anno MDCLXXIV. viſum fuit nihil generatim determinare, ſed Oratorum ſupplicantium conſultationibus in caſibus particularibus pro diverſa circumſtantiarum ratione ſingulatim reſpondere: ut refert Abbas Michael Angelus Riccius in ſuis MSS.

Cæte-

Cæterum ea quæ noluerunt Eminentiſſimi Patres Sacræ Congregationis Indulgentiarum tunc definire, declaravit ſubinde Sacra Rituum Congregatio ſub die 3. Septembris anno MDCLXXIX. propoſito ſiquidem hoc dubio = *An tranſlato Feſto, in cujus die conceditur Indulgentia, transferatur etiam Indulgentia?* = Reſpondit *Negative*: & ſub die 10. Junii hoc alio diſcuſſo = *An ſi Feſtum Sancti Benedicti transferatur poſt Paſcha, etiam Indulgentiæ transferantur?* Reſpondit *Negative juxta reſoluta die 3. Septembris MDCLXXIX.*

Hinc cum non detur amplius locus Doctorum opinionibus ſupra relatis; iis, qui volunt Indulgentiam pro Feſto alicujus Sancti conceſſam alia die, in quam Feſtum transfertur, conſequi, opus eſt ad Sedem Apoſtolicam recurrere pro tranſlatione dictæ Indulgentiæ: quæ remiſſis precibus ad Sacram Congregationem Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum, ubi doctum fuerit de Canonica Feſtivitatis tranſlatione, vel juxta Miſſalis Romani Rubricas, vel juxta indultum obtentum a Sacra Rituum Congregatione, mandat expediri Breve pro tranſlatione Indulgentiæ.

§. IX.

De Confirmatione Indulgentiarum, quæ ſemel datæ fuerunt pro Feſtivitatibus Sanctorum.

CUM modernus Romanæ Curiæ ſtilus ſit Indulgentias in Feſtivitatibus conceſſas non in perpetuum, ſed ad tempus determinatum deſpondere, puta ad ſeptennium; eo elapſo oportet ad Sedem Apoſtolicam pro earum gratiarum confirmatione recurrere. Porro ut id obtineatur, oportet eandem primæ conceſſionis cauſam perdurare: & hoc potiſſimum attenditur, quum agitur de Indulgentiis Eccleſiarum ad plures dies vel continuos vel interpolatos extenſis, ac de Plenaria quotidiana, ſemel ab unoquoque intra annum Eccleſiam viſitante percipienda: hiſce enim in caſibus Sacra Congregatio Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum, ubi ex Ordinariorum informatione deprehendit confluentium concurſum ad eaſdem Eccleſias non eſſe imminutum, eandem gratiam confirmat, ad aliud tempus determinatum: verum ſi confluentium concurſum ad Eccleſiam defeciſſe reperiat, aut confirmationem negat, aut conceſſionem reſtringit.

Audivimus quandoque ſparſam in vulgus quorundam Doctorum opinionem, confirmatione ſeu nova conceſſione non indigere, ut in futurum perdurent, nedum Indulgentias juxta modernum Curiæ Romanæ ſtilum in Sanctorum Feſtivitatibus, verum etiam antiquas ſive pro iiſdem ſive pro aliis quibuſcunque cauſis conceſſas, etiam cum hac clauſula in Literis Apoſtolicis expreſſa, = *Præſentibus in perpetuum* ſive *perpetuis futuris temporibus duraturis* = idque cenſuit Pontas, qui in ſuo Dictionario verbo *Indulgentia* aſſeruit, Brevia Indulgentiarum etiam data in perpetuum valere duntaxat ad viginti annos ex Regula 57. Cancellariæ Romanæ, in qua habetur = *Indulgentia abſolute conceſſa alicui Eccleſiæ pro tali die cujuslibet anni futuri, reſtringenda eſt ad annos viginti* = Idem tradidit Gamachæus *de Indulgen. cap. 6.* Sed memoratos authores turpiter erraſſe, ac proinde dictæ opinionis fundamentum corruere, conſtat primo, quia Regula 57. Concellariæ ab Innocentio VIII. præſcripta, atque a nonnullis Pontificibus ſubinde obſervata, non eſt fideliter ſed diminute recitata: ſic enim habet = *Item voluit quod in Literis Indulgentiarum ſolum dentur Feſta per Cancellariam dari ſolita, & quod durent per viginti annos, niſi petantur pro una die, tunc durent perpetuo* = Ad cujus Regulæ clariorem intelligentiam operæpretium eſt obſervare, olim Sedem Apoſtolicam per Cancellariam conſueviſſe facere Indulgentiarum expeditiones pro ſolemnioribus anni Feſtivitatibus: & quia pro illarum duratione tempus minime determinabatur, apud Doctores communiter erat receptum, hujuſmodi Indulgentias eſſe perpetuas: tum quia agebatur de materia favorabili, tum quia decet Principis privilegium, quod limitatum non eſt, tanquam perpetuo conceſſum reputari. Volens autem Innocentius VIII. ex juſtis cauſis, quaſdam Indulgentiarum conceſſiones ad determinatum tem-

D pus.

pus inpoſterum definire, eam regulam ſtatuit obſervandam: retento veteri in reliquis more concedendi in perpetuum ſeu abſolute ejuſmodi gratias, ubi Indulgentiæ pro uno die duntaxat poſcerentur. Quamobrem non colligitur quaſcunque Indulgentias eſſe temporales, ac per conſequens confirmatione, ſive nova conceſſione indigere, ſed potius infertur dari diſtinctionem temporalium a perpetuis. Secundo, quanquam daremus eam Regulam iiſdem omnino terminis expreſſam, ut volunt Pontas ac Gamachæus, fuiſſe ab Innocentio VIII. præſcriptam; verum non eſſet generaliter eorundem Authorum aſſertum: ſiquidem quidquid ſit, an aliqui Summi Pontifices juxta hanc normam ab Innocentio VIII. ſtatutam, Indulgentiarum Literas juſſerint expediri; certum eſt, Clementem VIII. ſublatis quibuſdam abuſibus, qui a Cancellariæ Officialibus committebantur, dictam Regulam de Indulgentiis abrogaſſe, tranſlata facultate ad Secretariam Brevium expediendi Indulgentiarum Literas, vel ad tempus determinatum, vel in perpetuum.

§. X.

An Expediat ad recolendam memoriam Sanctorum veteris Teſtamenti Indulgentias concedere cum expreſſione nominum eorundem in Literis Apoſtolicis, ut obſervatur in Feſtis Sanctorum novi Teſtamenti, quorum nomina ſunt deſcripta in Martyrologio Romano?

Deberi cultum Sanctis veteris Teſtamenti propter præclaram eorum ſanctitatem etiam miraculis illuſtratam, Sacræ Scripturæ nos edocet oraculum *Eccleſiaſtici* 44. v. 1. & 2. his verbis = *Laudemus viros glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſua, multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua a ſæculo* = qua commendatione expenſa Gaſpar Sanch. ad dictum *Cap. Eccl. ver.* 2. = *Triplex hæc gloria*, ait, *hæc fuit prima Martyrum Sanctorum Canonizatio, quam deinde ſecuta eſt particularis illa & ſolemnis, quæ de more fit a Pontificibus: ipſeque Chriſtus veteres illos Patres Sanctos appellavit, & nobis propoſuit imitandos* = & Eminentiſſimus Lambertinus in ſuo Opere ſæpe laudato *lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 2. de dubio a nonnullis Doctoribus excitato diſſerens: An Sancti veteris Teſtamenti poſſint eſſe Canonizationis ſubjectum a ſummo Pontifice celebrandæ? inquit = *Quæſtio hæc in terminis, in quibus a prædictis ſcribentibus proponitur, inutilis prorſus mihi videtur: ſancti quippe veteris Teſtamenti ſunt, qui eum tempore præceſſerunt, qui in venturum Mediatorem, & Redemtorem crediderunt, qui virtutibus aut Martyrio illuſtres Deo placuerunt: & quos Deus nedum Sanctos fecit, ſed Sanctos eſſe hominibus manifeſtavit in Divinis Scripturis: in quo rerum themate nemo non videt, quam abſonum eſſet & quodammodo inutile, ut apertæ declarationi a Deo factæ de eorum Sanctitate, Sententia ſummi Pontificis ſuperadderetur, definiens aliquem ex eis Sanctum & idcirco colendum in Eccleſia univerſali. Si quæſtio proponeretur in aliis terminis, hoc eſt: an poſt adventum Chriſti cultus, & qualis cultus, rationabiliter a Romanis Pontificibus indulgeri poſſit Sanctis veteris Teſtamenti, animadverſionem mereri poſſet* =

Verum ne id, quod in hac re animadverſionem meretur, intactum omnino relinquatur, ſequens dubium examini committimus.

An expediat Sedem Apoſtolicam in Feſtivitatibus Sanctorum veteris Teſtamenti Indulgentias concedere, cum expreſſione Nominum eorundem in Literis Apoſtolicis?

Reſpondendum exiſtimamus dubio propoſito negative. Indulgentiæ enim in ejuſmodi occaſionibus conceduntur ad promovendum nomine totius Eccleſiæ ex ſummi Pontificis authoritate cultum & memoriam Sanctorum, quorum Feſta peculiaria ex more Eccleſiæ celebrantur. Porro nulla, aut modica habetur memoria in Eccleſia Latina de Sanctis veteris Teſtamenti, quanquam apud Græcos ſit ſolemnis: ut

ut tradit Cæſarius Hæſterbacenſis in *Dialogo Miraculor. diſt.* 8. *cap.* 18. (quod opus extat in *Tom.* 2. *Biblioth. Ciſtercien.*) cui ſubſcribit Nicolaus Serarius *Litaneutico* 2.° *quæſt.* 18., utriuſque diverſæ conſuetudinis rationem his verbis afferens= *Invocantur quidem, uti dictum eſt, a Chriſtianis, qui e priſco fœdere ſunt Sancti: minus tamen frequenter nominatim; prout eorum etiam feſti dies in Latina & Occidentali Eccleſia vix uſquam aguntur, quemadmodum notat Cæſarius. Cauſa vero ea videtur, quod Chriſtiana libentius in Chriſto jam nato, & paſſo, & reſurgente, & in Cælos aſcendente, patres ac filios amplectatur Eccleſia: hi enim nobis quodammodo, quam illi, qui in venturum Dominum credebant olim conjunctiores. Horum nobis & fides & imitatio ſine ulla veteris legis umbra, magis conſpicua, utilis & jucunda, dum in iis, & per eos Chriſtum Dominum ſanctiſſimaque ejus merita illuſtrius intuemur, & deprecamur*= Quod Theophilus Raynaudus in *Hætheroclyt. Spiritual.*, *Cæleſtium & Infernor.* in utranque partem propoſitis rationibus rem latiſſime verſans, confirmat his verbis = *In Eccleſia Catholica Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum veteris Teſtamenti memoria nullo feſtivo cultu celebratur: non recitatione Officii, non exhibitione Sacrorum Deo, in eorum honorem, nec ullo ex iis indiciis, quibus cælitus vindicatorum memoria ſolet eſſe veneranda: tantum de Machabæis commemoratio nonnulla fit Calendis Auguſti* = & poſt pauca = *Poſſet Eccleſia, idest Summus ejus Rector, ſi ita videretur, quos honores Machabæis haberi voluit, eoſdem Sanctis Abrahamo, Jobo, vel quibuſvis aliis inter Sanctos Chriſti anteriores, decernere* = Id vero quod ſubdit Raynaudus, intelligendum eſt de abſoluta Summi Pontificis poteſtate, non vero de ordinaria conſuetudini Eccleſiæ ac diſciplinæ legibus alligata: & ideo Abbas Michael Angelus Riccius propoſito dubio in Sacra Congregatione Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum ſub die 10. Januarii MDCLXXIII. = *An Indulgentiæ conceſſio Feſto S. Eliæ conveniret, ſicut & aliorum Feſtis, quorum nomina in Romano Martyrologio inſcripta ſunt*= his expenſis rationum momentis, inquit = *Quæ cum ita ſint in Latina, & Occidentali Eccleſia, in qua mos ille generatim invaluit non agitandi feſtos dies Eliæ aliorumque Sanctorum veteris Teſtamenti; rationi congruum videtur, ut non aliter Indulgentia concedatur in eorum Feſtis, niſi ut in Natalitiis Beatorum conceditur interdum, ſuppreſſis eorum nominibus, & pro die, in qua eorum memoria celebratur: noſtrarum enim partium eſt, non ritus novos in Eccleſia inducere, ſed ad receptos pie frequentandos, indulgentiis, tanquam præmio quodam invitare Fideles*= Non ergo expedit ad recolendam Sanctorum veteris Teſtamenti memoriam Indulgentias cum expreſſione nominum eorundem concedere.

Ea quæ hactenus expendimus, majus robur accipiunt ex reſponſione Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum, quæ iteratis tum Patrum Carmelitarum, tum Maronitarum petitionibus pro obtinenda Indulgentiæ Plenariæ conceſſione in Feſto Sancti Eliæ, cum expreſſione nominis ejuſdem in Literis Apoſtolicis, ſub die 22. Auguſti anno MDCLXXII. & ſub die & anno ſupradictis cenſuit = *Nihil innovandum*.

Dices. Quanquam Sedes Apoſtolica neminem Sanctorum veteris Teſtamenti ſolemniter canonizaverit, dies tamen feſtivos ad pie eorum memoriam recolendam inſtituit ubique celebrandos; ut patet de Sanctis Joanne Baptiſta Præcurſore Domini, Joſepho Sponſo B. Virginis Mariæ, Joachim & Anna Parentibus ejuſdem B.V., & Innocentibus. Rurſus ex ejuſdem Sedis Apoſtolicæ indulto pluribus in Locis tum erectæ reperiuntur Eccleſiæ, & Cappellæ Deo in eorum honorem dicatæ, tum celebrari conſueverunt Miſſæ, & Officia recitari: quæ ſignanter univerſo Ordini Carmelitarum conceſſere Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII.: imo cum nonnulli Theologi zelo ducti ea impugnare niterentur, Sacra Rituum Congregatio decrevit = *Nihil eſſe innovandum*, ideoque Ordinem prædictum poſſe Sancti Eliæ Officii recitationem continuare: ut refert Lezana *Conſultat.* 3. *n* 132. his verbis = *Quibus*(nempe pluribus Summorum Pontificum conceſſionibus) *recte & diligen-*

tor recognitis, & expenſis a Sacra Congregatione ſancitum eſt: ut præfatum Officium Sancti Eliæ a noſtris quotannis more ſolito celebraretur, impoſito veluti perpetuo ſilentio piis Zelatoribus, qui in illud impegerant.

Reſp. Sanctos mox relatos, de quibus Feſta communiter in Eccleſia celebrantur, non ad vetus, ſed ad novum Teſtamentum pertinere ob aliquam conjunctionem cum Chriſto, quem viderunt in carne jam natum (exceptis tamen Sanctis Innocentibus) eumque, ut humani generis Reparatorem, lapidemque angularem facientem utraque unum adoraverunt; ut notavit Raynaudus loco *cit.° n.* 10., & luculentius Guyet *de Feſtis propriis Sanctorum lib.* 1. *cap.* 5. *quæſtione* 8. = *Idemque potiori jure aſſero*, inquit (nempe ſpectare ad novum Teſtamentum) *de his Sanctis, qui licet ante Chriſti paſſionem, atque adeo ante conditam gratiæ legem e vivis exceſſerint; pertinent tamen ad Evangelii ſtatum, quod ab ipſomet Evangeliſta commendentur, aut certe quod Chriſtum ipſum propinquitate, ſeu carnis affinitate proximi attingant: quales ſunt Zacharias & Eliſabeth, Simeon Senex & Anna Propheteiſſa, ut taceam Joachimum & Annam Virginis Deiparæ Parentes Sanctiſſimos, Joſeph Sponſum ejus caſtiſſimum, Joannem denique Chriſti ipſius Domini noſtri Baptiſtam, & Præcurſorem* = De Simeone ſene illud peculiare eſt, ut obſervat Baronius ad annum I. num. 40., Chriſti adventum annuntiaſſe, eaque de cauſa ſine honore a Sacerdotibus fuiſſe tumulatum = *Simeon*, inquit, *de quo agimus, inter Prophetas annumeratur, de cujus vita & obitu, Epiphanius agens, hæc habet: in fine vita functus eſt Simeon iſte, quidem pluribus annis obſitus, bene confectus, non tamen a Sacerdotibus poſtremum honorem conſecutus humatus eſt. Hæc ille. Cur autem id acciderit, nullam affert cauſam, ſed ea putatur, quod palam Chriſti adventum annuntians in ſe Sacerdotum cæterorum invidiam concitaret* = Quamquam vero Sancti Innocentes Chriſtum recenter natum videre nequaquam potuerint, ipſe tamen eorundem fuit cauſa accepta Martyrii, quem non loquendo, ſed moriendo, ut canit Eccleſia, confeſſi ſunt quamobrem Author *Homil* 3. *in diverſa Evangelii loca ſub nomine Origenis* Sanctorum Innocentium Martyrium commendans ait = *Bene ergo & ſecundum voluntatem Dei eorum memoriam SS. Patres celebrari mandarunt ſempiternam in Eccleſiis, veluti pro Domino morientium* = Quod vero vel in Eccleſiis particularibus, vel in univerſo Carmelitarum Ordine quorundam Sanctorum veteris Teſtamenti memoria honorifice recolatur, ſolum evincit, congruum eſſe in eorum Feſtivitatibus Indulgentias citra expreſſionem nominum eorundem concedi: ut dicebat Abbas Michael Angelus Riccius, noſque fieri obſervavimus, expenſis peculiaribus circumſtantiis in Beatorum Natalitiis.

Sed quæres hic, cur ubique tam in Eccleſia Orientali, quam Occidentali Martyrum Machabæorum duntaxat Calendis Auguſti memoria, Officio & Miſſa celebretur: cum illos nec Chriſtum vidiſſe nec adoraſſe jam natum, neque Chriſtum illis fuiſſe cauſam aut occaſionem acceptam Martyrii, compertum ſit?

Reſpondemus primo cum Petro de Natalibus in *Hiſtor.*, *ſeu Catal. Martyr. & Sanctor.* quatuor aſſignando rationes. Primam, ob eximiam in Martyrio conſtantiam ſupra alios veteris Teſtamenti. Secundam, propter Martyrii repræſentationem: ſeptenarius enim numerus univerſitatem complectitur; ideoque in iſtis omnes Sancti veteris Teſtamenti ſignificantur, in iiſque ſeptem cæteris omnibus obſequium impenditur. Tertiam, quia aliis patiendi exemplum præbuerunt: ita ut illorum eximia fortitudo ad fidei zelum, necnon ad invicte perferendos cruciatus pro Chriſto Evangelicæ Legis ſectatores alliciat, ſicut ipſi pro lege Moyſis mortem ſubire minime detrectarunt. Quartam, propter Martyrii cauſam, quandoquidem pro patriæ legis defenſione paſſi ſunt, ſicut Chriſtifideles in novo Teſtamento pro Evangelica Lege: quod & tradit D. Gregorius Nazianzenus in *Oration. de Machab.* his verbis = *Digni ſunt* Machabæi *quos omnes honoribus complectantur, quoniam pro legibus inſtitutiſque patriis dolorum acerbitatem forti animo pertulerunt. Qui porro ante Chriſti ſupplicia Martyrium ſubierunt, quid tandem erant*

erant facturi, ſi poſt Chriſti tempora renati fuiſſent, ejuſque mortem noſtræ ſalutis cauſa ſuſceptam, ad imitandum propoſitam habuiſſent? Nam qui nullo hujuſmodi exemplo ob oculos poſito, tanta virtutis laude floruerunt, cui dubium eſſe poteſt, quin iidem tale exemplar intuentes multo generoſius fortiuſque ſeſe periculis objecturi fuerint? Ac ſimul arcana hæc doctrina eſt, nec myſterio vacans, mihi quidem piiſque omnibus viris admodum probabilis, neminem videlicet eorum, qui ante Chriſtum natum martyrio perfuncti ſunt, id citra Chriſti fidem eſſe conſecutum: quanquam enim Verbum ſuo poſtea tempore promulgatum eſt; puris tamen animis etiam ante innotuit: quemadmodum ex multis, qui ante ipſius Nativitatem honoribus affecti ſunt, liquido percipi poteſt. Quocirca Machabæi, non ideo contemnendi ſunt, quia ante crucem extiterunt: verum quia ad crucis normam vitæ ſuæ rationes exegerunt, ideo laudandi, ac verborum honore celebrandi.

Reſpondemus ſecundo, ideo id fieri, quia ſoli Martyres Machabæi in veteri Teſtamento aſſimilantur iis, qui poſt promulgatam Evangelii legem pro Chriſto paſſi ſunt = *Univerſis nempe tam veteris, quam novi Teſtamenti* (inquit S.Bernardus Abbas in *Epiſt.* 98.) *Martyribus æque convenit pro juſtitia occubuiſſe, ſed intereſt, quod iſti paſſi ſunt, quia illam tenebant, illi quia non tenentes reprehendebant, iſti quia eam non dererent, illi quia deſerentes, perituros eſſe aſſererent: & ut breviter totum, in quo differunt, proferamus, hos cultus, illos zelus juſtitiæ martyres fecit. Soli ex veteribus Martyribus, quia non ſolum cauſam, ſed & formam, ut dixi, novi Martyrii tenuerunt juſte fortaſſe in Eccleſia, cum novis Eccleſiæ Martyribus eandem conſuetæ Celebritatis gloriam aſſecuti ſunt. Inſtar quippe Martyrum noſtrorum, libare & ipſi Diis alienis, patriamque deſerere legem, imo mandatum Dei tranſgredi cogebantur: renuebant, & moriebantur. Non ſic Iſaias, non ſic Zaccharias ita mortuus eſt.*

Reſpondemus 3.° cum Thomaſino in *Tract. Hiſtorico Dogmat. de Feſtis lib.* 1. *cap.* 9. Ideo Miſſa & Officio Martyrum Machabæorum memoriam celebrari, quia cum ultimi inter Legis Moſaycæ Martyres exiſterent, recens adhuc erat eorum Martyrii memoria, quando Evangelium cœpit promulgari, atque Eccleſia Chriſti dilatari. Hinc veroſimile eſt a Judæis Helleniſtis (apud quos Machabæorum hiſtoria paſſim legebatur) in Eccleſiæ Orientalis gremium receptis, illos inter novi Teſtamenti Martyres fuiſſe relatos, eoſque ſpeciali cultu decoratos, qui deinde in Eccleſia Occidentali, exemplo Orientalis communiter fuit receptus, & approbatus.

ARTICULUS II.

De Indulgentiis Stationum.

Expediti ab Indulgentiis occaſione Feſtivitatum Sanctorum a Sede Apoſtolica concedi conſuetis, procedimus ad alias Locales, inter quas percelebres illæ ſunt, quæ dicuntur Indulgentiæ Stationum: ideoque ad exactam earum intelligentiam operæpretium erit in hoc Articulo plura accurate perſcrutari: nempe quid ſint hujuſmodi Stationes, unde originem habuerint, & a quo determinationem acceperint: deinde quaſdam Indulgentiarum conceſſiones eiſdem adjectas exponere: ac tandem ſolvere nonnullas difficultates de dictis Indulgentiis, earumque communicationibus.

§. I.

Stationum Significatio, Origo, & Determinatio.

Stationis nomen tam in ſacris, quam in prophanis literis varias habet ſignificationes. Accipitur primo pro loco, in quo naves ad tempus conſiſtunt, minus tamen tuto quam in Portu; & in hoc ſenſu Jacob proximè moriturus dixiſſe refertur *Geneſ.* 49. *v.* 13. = *Zabulon in littore Maris habitabit, & in Statione navium pertingens uſque ad Sidonem* = & Virgilius *lib.* 2.° *Eneidum* cecinit.

Hunc tantum ſinus, & ſtatio male fida carinis, & lib. 12.
Tangere nec tali puppim Statione recuſo.

Secundo, locum ſignificat, in quo turmatim

tim milites congregantur; ideoque *I.° Regum cap. 10. v. 5.* habetur Samuelem dixiſſe Sauli= *Poſt hæc venies ad collem Dei, ubi eſt Statio Philiſtinorum*= Tertio, pro loco ad peragendas vigilias, & excubias deputato. Hinc milites deſignati ad Civitatis cuſtodiam Stationarii dicuntur apud Cæſarem *lib. de Bello Civili* his verbis= *Stationarii milites, qui ad cuſtodiam Civitatis in Stationibus vigilant, alias Præſidiarii dicti*= Quin etiam Milites, Principum cuſtodes, ſive ad Palatii fores, ſive prope cubiculum, ſuas Stationes habere dicuntur *Enæidum 9.°*

Vigiles ſimul excitat, illi
Succedunt, ſternuntque vices Statione relicta:

Et ita Statio præſidium dicitur, & propugnaculum ſalutis, ſeu præſidium ſtativum, ut apud Tullium *Philippica 12.ª*= *Hæc mea vigilia, hoc præſidium ſtativum*= Quarto tandem Statio locus dicitur, ad quem plures conveniunt, ut de re aliqua diſputetur, & jus dicatur, ut apud Gellium *lib. 13. cap. 13.* & *Juvenal. Sat. 1.*

Stationes omne theatrum.

Sed penes Chriſtianæ Religionis profeſſores ſtatio nobilius ſignificatum obtinuit. Cum enim Chriſtifideles pluribus Tyrannorum Gentilium perſecutionibus vexati ad Martyrum Sepulchra confugerent, ibique Sacros Conventus ad orandum, Deique verbum audiendum ſolemniter celebrarent; hi cœtus ex Eccleſiæ ordinatione Stationes dicti ſunt: quorum meminit Auctor vitæ S. Damaſi Papæ his verbis= *Populus Romanus timens Deum, multiſque perſecutionibus fatigatus per Cœmeteria Martyrum ſtationes ſine Clericis celebrabat*= & infra= *Felix Urbem irrupit, & Stationem in Julii Baſilica Transtyberim dare præſumit*= Et Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita S. Hilarii Papæ, inquit,= *Hic conſtituit in Urbe miniſteriales, qui circumirent conſtitutas Stationes: fecitque ſciphum aureum anſatum, vel Stationarium, librarum octo pro uſu Stationum.*

Eccleſiaſticæ itaque Stationes, vel a verbo *ſtatuo* dictæ ſunt, quia ad eas ſtatutis temporibus Populus Dei conveniret, vel a ſtando, quia Chriſtifideles orationi, ac auditioni verbi Dei, in hujuſmodi conventibus, ſtantes vacarent, juxta illud *pſalm. 121. v. 2.* = *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Jeruſalem*, = quamobrem Panvinus in *tractat. de Stationib.* de ſupradicto conventu, ita loquitur = *Qui actus Statio appellata eſt a ſignificatione, quam Cicero lib. 6. ad Atticum uſurpavit, pro temporaria videlicet habitatione, vel etiam a ſtando, quod in his accedentes Populi ſtarent.*

Nec alienum a veritate arbitramur ad ſimilitudinem militaris diſciplinæ Eccleſiaſticas Stationes fuiſſe dictas & inſtitutas, ut inquit D. Iſidorus *lib. 6. Ethimologiar.*= *Statio a militari exemplo nomen accepit, pro eo quod nulla lætitia Caſtris obveniente Stationem contriſtatio militum reſcindit*= & Divus Ambroſius (vel quiſquis ſit Author ſermonis feriæ 5. *poſt Dominic. 2. Quadrageſ.* ſub ejus nomine)= *Denique*, ait, *Stationes vocantur, quod ſtantes, & commorantes in eis inimicos inſidiantes repellimus*= Ideoque quemadmodum Statio militaris temporariam affert habitationem a Duce præſcriptam, ad vigiliam, & cuſtodiam contra inſurgentes hoſtium conatus; ita Eccleſiaſtica, Chriſtifidelium Conventum ſeu conſiſtentiam ad ſpirituale præſidium, quantum ad diem & locum lege Pontificia deſignatum, ſignificat: ut teſtatur Sixtus V. Conſtitutione incipiente *Egregia Populi Romani*, loquens de Stationibus a Populo Romano celebrari conſuetis = *Multitudo Fidelium* (verba ſunt Conſtitutionis laudatæ) *adverſus multiplices antiqui hoſtis oppugnationes tanquam in Caſtris Dei Statione tutiſſima conſiſtebat.*

Adeo antiqua eſt harum Sacrarum Stationum origo, ut merito ad Apoſtolorum tempora referatur. Quod habetur ex Conſtitutione memorata Sixti V. ibi = *Inter quæ vetus admodum eſt, ab Apoſtolicis uſque ducta temporibus Sacrarum Stationum conſuetudo: in quibus Fidelium multitudo ad Apoſtolorum Sepulchra, & fortiſſimorum Martyrum memorias conveniens, Hymnis, & Canticis Spiritualibus Deum in Sanctis ſuis mirabilem laudabat, & ſalutaribus immaculatæ hoſtiæ Sacrificiis placabat.*

Non tamen ante datum nomen Chriſtianæ Religioni a Conſtantino Magno, Statio-

tiones hujuſmodi publicè habebantur, nec fiebant (ut poſtmodum fieri conſuevit) in iis Proceſſiones : ſævientibus ſiquidem Imperatorum Gentilium perſecutionibus, hi Sacri coetus publicè ad cultum Deo exhibendum haberi non poterant, ſed unuſquiſque Chriſtifidelium ſecreto adibat Sanctorum Martyrum Coemeteria, cum cæteris ex condicto Stationes celebraturus.

Plura diſces ex Tertulliano de veterum Chriſtifidelium Stationibus *lib. de Jejun. cap.* 10. *contra Pſychic.* Primo, eas feria quarta & quinta ſolitas fuiſſe celebrari = *Cur Stationibus* (inquit catholicos perſtringens jam factus Montaniſta) *quartam, & ſextam Sabbati dicamus*? = Secundo, Stationes ejuſmodi uſque ad horam nonam, ſeu ad tertiam pomeridianam (ut loquendi mos invaluit) productas fuiſſe = *Hæc autem propter illos, qui ſe putant ex forma Petri agere, quam ignorant* = (loquitur de hora nona, qua Petrus *Actor.* 3. dicitur ingreſſus in templum ut oraret) *Non quaſi reſpuamus Nonam, cui & quarta Sabbati, & ſexta plurimum fungimur* = Tertio, prædictis Stationum diebus jejunium obſervaſſe Fideles, atque poſt horam nonam arido pane duntaxat & aqua uſos fuiſſe ad exemplum Regii Prophetæ, qui (ut ille loquitur) = *tali victu exomologeſin ſuam expreſſit, cinerem quidem edens velut panem, idest panem velut cinerem aridum & ſordidum, potum vero fletu miſcens, utique pro vino, habet enim & abſtinentia vini ſuos titulos* = Hinc apud eundem ſolvere Stationem, idem eſt, ac ſolvere jejunium, qua loquendi formula utitur pariter Caſſianus *Collat.* 21. *cap.* 29. Nec Tertullianus tantum meminit jejunii, ſed etiam Sanctus Leo Papa *Serm.* 2. *de Jejun.* his verbis = *Quarta igitur, & ſexta feria jejunemus; Sabbato autem apud Sanctum Petrum Apoſtolum vigilemus* = Ubi adverte, celebratas fuiſſe antiquas Stationes cum jejunio feria quarta & ſexta ad pie recolendam paſſionis Chriſti memoriam feria quarta inchoatam : hoc eſt Judæorum Concilio decretam atque inito contractu de ejus proditione inter Judam Iſcariotem & Principes Sacerdotum firmatam : feria vero ſexta perfectiſſimè conſummatam, per mortem in patibulo Crucis ab eo conſtantiſſimè toleratam.

Præter tamen illas veteres Stationes mox deſcriptas vagas, vel certis Eccleſiis non addictas, aliæ cum diverſis ritibus, & cœremoniis exeunte Sæculo VI. a Divo Gregorio Magno fuerunt præſcriptæ, ac quibuſdam Baſilicis atque inferioribus Eccleſiis lege perpetua deſtinatæ ac diſtributæ, quibus interat non raro Romanus Pontifex concionem ad Populum habiturus. Quia vero, non ſolum feria quarta & ſexta, ſed & aliis diebus, etiam Dominicis, Stationes a Divo Gregorio inſtitutæ fiebant; dicere neceſſe eſt, ſaltem non omnes cum jejunio eas fuiſſe celebratas, ut in antiquioribus obſervabatur : cautum enim erat diebus Dominicis, ob feſtivam Reſurrectionis Chriſti memoriam jejunare. Plura, quæ de Stationibus a Divo Gregorio Magno inſtitutis & ordinatis dicta ſunt, his verbis commemorat Joannes Diaconus *in Vit. ejuſdem S. Pontif. lib.* 2. *cap.* 18. = *Stationes per Baſilicas, vel Sanctorum Martyrum cœmeteria, ſecundum quod hactenus plebs Romana, quaſi eo vivente certatim diſcurrit, ſollicitus ordinavit : per quas, & ipſe* (nempe Divus Gregorius) *ſimul diſcurrens, dum adhuc eloqui prævaleret, viginti Homilias Evangelii, coram Eccleſia diverſo tempore declamavit : reliquas vero ejuſdem numeri dictavit quidem, ſed laſſeſcente ſtomacho, languore continuo, aliis pronunciandas commiſit* = Et Petrus Malius in *Libro Hiſtoriæ Sacræ*, earundem Stationum ritus ita deſcribit = *Ordinavit Stationes propter pœnitentes, quas, cum Primicerio, Cantoribus, Regionariis, Acolytibus, Cruce Stationaria præcedente, faciebat. Statuit quoque Antiphonas ſpeciales, quæ in quatuor anni temporibus in Stationum Proceſſionibus voluit decantari. Voluit quoque ut in Urbe, unaquæque Eccleſia Stationalis vicinam quoque aliam Ædem Sacram haberet, in qua populus die ſtationali colligebatur, & ibi dicebatur collecta ſuper populum collectum : & exinde, omnes ſimul proceſſionaliter ad Eccleſiam, in qua erat Statio, accedebant, ſolemnique Miſſarum ſacrificio, & concioni interérant* = Meminit pariter proceſſionum Gulielmus Durandus in *Rational. Divinorum Officior. Lib.* 7. his verbis = *Aliæ Stationes a Romanis habuerunt initium, qui eas maxime frequentant, qui*

qui cum interceſſionibus Sanctorum, quorum ſuffragia implorabant, pericula evaſiſſent, cum proceſſione veniebant ad Eccleſiam illius Sancti, cujus patrocinio fuerant liberati, laudes Deo cum grattarum actione perſolventes = Quod ſi alios Summos Pontifices Divi Gregorii Magni ſucceſſores nonnullas de novo Eccleſias deſignaſſe, pro Stationibus celebrandis reperies; id factum eſt juxta formam a Pontifice laudato præſcriptam.

In Divi Gregorii Sacramentario obſervandum eſt, quandoque Stationem ſimpliciter in una Eccleſia celebrandam indici, quandoque vero Collectam in una Eccleſia, & in alia Stationem (quod non advertit Petrus Malius loco ſupracitato): eoque datur intelligi, quod ubi ſit mentio ſolius Stationis, neceſſe erat, ibi Clerum cum populo convenire ſine proceſſione de uno in alium Locum: ubi vero Statio & Collecta indicantur, debebant Clerus & populus pergere ad Eccleſiam ubi fiebat Collecta, deinde ad alium accedere Stationem celebraturi: ex eoque oratio, quæ a Sacerdote ſuper populum dicebatur ante quam ad Stationis locum properaret, Collectæ nomen obtinuit, ut loquitur Micrologus *cap. 3.* = *Sic in capite jejunii*, inquit, *illa oratio Concede quæſumus apud S. Anaſtaſiam ſuper Collectam populi dicitur, qui Stationem apud S. Sabinam celebraturus eſt* = Porro Collectarum uſus, earumque potiſſimum, quæ in Miſſa leguntur, primum Authorem fuiſſe Gelaſium I., qui anno CCCCXII. Summus Pontifex fuit electus, omnes rerum Eccleſiaſticarum Scriptores aſſerunt, & evincunt antiqua monumenta; quanvis S. Gregorius Magnus laudatus meliores, atque emendatiores in ordinem redegerit, & ex iis librum compoſuerit, quem Sacramentarium inſcripſit: ut teſtatur Valafridus Strabo in *Lib. De Divin. Offic. cap. 22.* = *Curavit*, inquit, *B. Gregorius rationabilia quæque coadunare, & ſecluſis iis, quæ vel nimia vel inconcinna videbantur, compoſuit librum, qui dicitur Sacramentarium*.

Eam vero populi collectam tempore Quadrageſimali, ſingulisque diebus quatuor temporum factam fuiſſe, cum dictis diebus ad Eccleſias Stationibus decoratas Populus proceſſionaliter incederet, tradit Joannes Mabillonius in *Muſ. Italic. Tom. 2. Comment. in Ordine Romano n. 5.* Quamquam vero Proceſſiones in Stationibus temporum decurſu in deſuetudinem abierint; adhuc tamen juxta veterem uſum, feria quarta Cinerum, Summus Pontifex cum Eminentiſſimis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus accedit ad Eccleſiam Sanctæ Sabinæ, in qua eſt Statio Quadrageſimalis, ubi confluit maxima populi multitudo: quæ convenit pariter ad alias Stationes pro tempore quadrageſimali inſtitutas.

Hinc merito Paſſerinus Stationem Canonicam ac legalem deſcribens *in Tract. de Indulg. quæſt. 97. n. 754.* inquit, = *Quod ſit ſacer religioſus & ſolemnis conventus, ſeu conſiſtentia populi fidelis utriuſque ſexus ad certam, ſeu in certa & determinata Eccleſia, & in certo & determinato die anni, primum a Sancto Gregorio diſpoſitus, & a Succeſſoribus Pontificibus in perpetuum approbatus, ſeu approbata totius Urbis praxi uſque ad hæc tempora accedente, & ſumma devotione celebrante*.

Addit inſuper idem Paſſerinus *quæſt. cit. n. ſeq.* quod licet multæ ſint occaſiones pluresque vices, in quibus Romanus Pontifex ad Urbis Eccleſias Dei opem, Sanctorumque patrocinium imploraturus accedat; hujuſmodi tamen acceſſus & concurſus, neque ex praxi, ſeu de facto, neque de jure poſſunt Stationum nomine vocari: quippe qui vel ſunt privati, vel ea publica legalique ſolemnitate carent, quam, & ob inſtitutionem ſuam legalemque ſucceſſionem, ex relatione ad veterem Divi Gregorii magni diſpoſitionem, habere compertum eſt concurſus fieri conſuetos certis diebus, certiſque Eccleſiis, publica lege determinatis.

§. II.

Exponuntur quædam Indulgentiæ Stationum.

Indulgentias Urbis Stationibus additas fuiſſe, ut ad illas eo majori devotione Chriſtifideles convenirent, quo ſe noſcerent ſpiritualis Eccleſiæ Theſauri diſpenſatione locupletandos, nemo eſt qui indu-

bium revocare contendat. Primam earum conceſſionem Divo Gregorio Magno referri, quem ſuperiori §. diximus pro Stationibus Urbis celebrandis certas Eccleſias determinaſſe, teſtatur Divus Thomas *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. = *Sicut, quando Papa* (inquit) *dat, quod qui vadit ad unam Eccleſiam, habet ſeptem annos de Indulgentia: cujuſmodi etiam Indulgentiæ a Beato Gregorio in Stationibus Romæ inſtitutæ ſunt* = Idem ante D. Thomam tradidit Guilielmus Antiſiodorenſis primo Epiſcopus factus an. MCCVI., deinde ad regendam Eccleſiam Pariſienſem an. MCCXX. translatus = *Ad illud* (ait *lib.* 15. *ſummæ tract.* 6. *cap.* 9.) *quod objectum eſt de Relaxationibus, quas inſtituit Gregorius, dicimus, quod ideo valent, quantum Eccleſia videtur promittere, quia bene conſideravit Gregorius labores, qui ſunt in eundo Romam, & ſequendo Proceſſiones: unde ibi eſt diſcretio, & juſta æſtimatio.*

Laudatam vero Indulgentiarum conceſſionem a' Divo Gregorio Magno pro Urbis Stationibus factam, & nedum a dictis authoribus commemoratam, ſed etiam præſidio ſuffultam Suarii & Bellarmini, qui tam in perſcrutandis Theologicis difficultatibus, quam in evoluendis antiquis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis plurimum laborarunt, rejicere conatur Papebrochius in *Conatu-Chron. Hiſtor.*, quem ſequuntur nonnulli eruditi Scriptores, eo potiſſimum ducti fundamento, quod Indulgentiarum quoad ſpecificationem annorum, vel dierum uſus, nequeat Sæculo undecimo antiquior edoceri. At audiamus Franciſcum Pagi, qui in *Breviar. Hiſtorico Chronologico-Critico tom.* 2. in Sergio II. ea relata Guilielmi Antiſiodorenſis & D. Thomæ de Stationum Indulgentiis opinione; ſubdit = *Sed uterque abſque examine hiſtorico ſecutus eſt errorem vulgi attribuentis Sancto Gregorio ejus nominis I. Indulgentias Stationum multis poſt Sæculis inſtitutas, nempe Sæculo XI., cum vulgus cæpiſſet eas ad ipſarum Stationum Auctorem S. Gregorium Magnum referre, eumque errorem, ut certam veritatem arripuiſſent Scholaſtici veteres, qui ipſorum diſciplinis informatos Pontifices etiam in eo Capite* (*quod alioquin non Theologicum, ſed hiſtoricum erat*) *ſua auctoritate pertraxere, eo tempore, quo nemo adhuc incumbebat eradendis Antiquitatibus Eccleſiaſticis, Sacrarumque Cæremoniarum originibus illuſtrandis. Quare mirum, Baronium & Bellarminum, qui ad inſignem Theologicarum rerum ſcientiam minime vulgarem antiquitis Eccleſiaſticæ cognitionem addidere, vulgari opinioni ſubſcripſiſſe: cum is Indulgentiarum, de quibus agimus uſus doceri nequeat Sæculo XI. prior fuiſſe, & ſine literis propagatum per tot Sæcula, quot a S. Sylveſtro ad Sæculum XI. intercurrere, gratis aſſeratur, & abſque ulla pietatis jactura hiſtorice negetur: ut ſcribit Papebrocius laudatus, qui hæc fuſius proſequitur. Joannes quidem Diaconus in vita S. Gregorii lib.* 2. *cap.* 18. *ſcribit, hunc Sanctum Pontificem Stationes per Baſilicas, vel Beatorum Martyrum Cœmeteria ordinaſſe, ſed de Indulgentiis nec verbum quidem habet: ſicut nec Anaſtaſius Bibliothecarius, aut Guillelmus itidem Bibliothecarius, qui uterque vixit fere uſque ad finem Sæculi IX.* = Hactenus ille.

An vero rationum momenta (& quidem negativa omnia) quibus nititur hic Author falſitatis plene arguant conſtantem Populi Romani Eccleſiaſticam traditionem de Gregorianis Romanarum Stationum Indulgentiis; Docti judicent. Id ego ſolum, (ut meam mentem aperiam) adverto, principium illud, quo utitur Franciſcus Pagi ex Papebrochii, aliorumque Eruditorum penu depromtum ſcilicet: Indulgentiarum, dierum vel annorum uſum doceri non poſſe Sæculo XI. priorem fuiſſe, non videri adeo firmum, & ineluctabile, quod nequeat invicte refelli: ex vetuſtiſſimo ſiquidem Sacramentario in Bibliotheca Vallicellana ſervato (cujus articulo antecedenti §. 2. meminimus) eruitur Indulgentiarum uſum quoad ſpecificationem annorum vel dierum Sæculo XI. fuiſſe antiquiorem: quod faſſus eſt ipſemet Franciſcus Pagi in *Tomo tertio dicti Breviarii in addendis ad tomum ſecundum*; eo ſiquidem allato ex Mabillonio Sacramentarii monumento inquit = *Quare ſi illud Sacramentarium antiquius ſit Sæculo nono, ut ipſe ait* nempe Mabillonius; *concludendum eſt antiquiorem eſſe Indulgentiarum uſum eo modo, quo nunc con-*

 ce-

ce duntur, quam hactenus a viris doctis exiſtimatum fuerat =

Neque vero res omnino pro Papebrochio confecta eſt, quod nequeant, ut ipſe ait, ad dictæ Indulgentiæ probationem referri Authores D. Thoma Aquinate & Guiliemo Antiſiodorenſi antiquiores; ut enim inquit Bellarminus *lib. 2. de Indulg. c.6.*=*Neque mirum videri debet, ſi Authores antiquiores non multos habemus, qui harum rerum mentionem faciant: quoniam plurima ſunt in Eccleſia, quæ ſolo uſu ſine literis conſervantur*=Sed ad alias conceſſiones Sermonem convertamus.

Indulgentias Stationum velut a S. Gregorio conceſſas, juxta antiquam traditionem Romæ potiſſimum receptam, confirmavit Bonifacius VIII. anno MCCXCVII. Stationibus Quadrageſimalibus unum annum & quadragenam indulgentiæ adjiciens, ut habetur ex ſequenti Conſtitutione, quam refert Panvinus.

BONIFACIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam Rei memoriam.

Sublimi Sedis Apoſtolicæ Solio, Divina diſponente Clementia præſidentes, etſi cunctis Orbis Eccleſiis juxta noſtri Officii debitum indefeſſo ſollicitudinis ſtudio cogitemus, ad earum ſtatum votivum, & proſperum intendendo; de illis tamen, quæ Almæ Urbis latitudo ſinuoſa complectitur, eo propenſius cogitare nos convenit: & ad ſtatus, & honoris incrementum felicia opera, & operam efficacius impartiri, quo noſtris humeris illarum cura dignoſcitur ſpecialius imminere & principalius. Sane frequenti conſiderationis indagine perluſtramus, & infra clauſtra pectoris ſollicita meditatione diſcutimus, qualiter Doctor optimus Eccleſiæ Sanctæ lumen B. Gregorius, dum adhuc in terris gereret vices Chriſti, Patriarchalibus, & quampluribus aliis Urbis Eccleſiis primo, prout tradit Antiquitas, & alii poſtmodum Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri ad honorem Dei, & ſalutem Animarum Fidelium, quorum ad Urbem ipſam de Univerſis fere Orbis Provinciis innumera confluit multitudo, de Apoſtolicæ Sedis liberalitate munifica diverſorum temporum ſtationarias Indulgentias conceſſerunt. Nos igitur Prædeceſſorum ipſorum veſtigiis præ ſollicitudinis ſtudio inhærentes, & crebrius revoluentes in intimis, quod in eadem Urbe non ſine ſupernæ diſpoſitionis arbitrio glorioſorum Principum Orbis Terræ, ac aliorum innumerabilium Sanctorum veneranda Corpora requieſcant: & propterea non indigne volentes ob divinam & Principum, & Sanctorum reverentiam prædictorum Eccleſias pias, necnon & eandem Urbem; utpote ipſius Romanæ Eccleſiæ filiam Spiritualem, & ad ejus beneplacita exequenda diſpoſitam, quam intra Sacrarium pectoris gerimus prædilectam honoribus condignis afficere, uberius proſequi gratiis, & præcipuis favoribus confovere, ac animarum fidelium providere profectibus eorundem, univerſas ſtationarias Indulgentias ſupradictas eiſdem Eccleſiis ſub quacunque forma continentia, ſive modo eis a Prædeceſſoribus ipſis conceſſas, authoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia confirmamus, eaſque obtinere volumus perpetui roboris firmitatem: & ut paternæ dilectionis affectum, quem ad Urbem gerimus prælibatam, per effectum operis evidentius oſtendamus, ac ipſam, & ejuſdem Eccleſias, honoris, & gratiæ potioris impendio proſequamur, & ſaluti provideamus uberius Fidelium prædictorum; Nos de Omnipotentis Dei miſericordia, & eorundem Principum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, Omnibus vere Pœnitentibus, & Confeſſis, qui ad prædictas Eccleſias a Die Cinerum, uſque ad Feſtum Reſurrectionis Dominicæ incluſive ex tunc proxime ſecuturum, venerabiliter viſitaverint, annuatim unum annum, & quadraginta dies: ac illis etiam qui in ſtatu hujuſmodi exiſtentes, ad recipiendum benedictionis munus per ſummum Pontificem, qui pro tempore fuerit, a prædicto die Cinerum uſque ad feſtum ipſius ſimiliter incluſive, ſuper Peregrinos prout moris eſſe dignoſcitur faciendæ, devote acceſſerint, ſeu alias illi contigerit intereſſe, præter alias indulgentias conſuetas, centum dies de injunctis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Nulli ergo hominum liceat

liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis & relaxationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit; indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum prædictorum, ſe noverit incurſurum. Datum Laterani Octavo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno III.

In Ordinibus ſeu Cœremonialibus Romanis Gregorii X., Cardinalis Jacobi Cajetani, qui obiit ſedente in Petri Cathedra Clemente VI., & Petri Amelii Epiſcopi Senogallienſis, qui vivebat anno MCCCXCVIII. apud Mabillonium *Muſ. Ital. tom.* 2. *Comment. in Ord. Rom. num.* 5. ſequentes reperimus indulgentias pro Stationibus Quadrageſimalibus, Pontificia authoritate poſt Evangelium Miſſæ ab eo, qui ſermonem habebat ad Populum, promulgatas. Feria 4. Cinerum, qua fiebat collecta in Eccleſia S. Anaſtaſiæ: Statio vero in Eccleſia Sanctæ Sabinæ, ſeptem annorum, & totidem quadragenarum. Prima Dominica, in qua eſt Statio in Eccleſia Sancti Joannis in Laterano, cæteriſque ſequentibus, quinque annorum, & quinque quadragenarum. Quarta Dominica dicta *Lætare*, & *Roſæ*, & Dominica *Gaudete*, ſeptem annorum. Feria quinta in Cœna Domini, qua eſt pariter Statio in Eccleſia Sancti Joannis in Laterano, unius anni, & unius quadragenæ civibus Romanis, exteris duorum annorum & duarum quadragenarum: illis qui tranſierant montes, trium annorum & quatuor quadragenarum: aliis qui tranſierant mare juxta Cœremoniale Gregorii X., & Jacobi Cajetani, apud eundem Mabillonium loco cit. quatuor annorum. & quatuor quadragenarum: juxta vero Cœremoniale Petri Amelii ſeptem annorum, & totidem quadragenarum Omnibus indiſcriminatim: dictaque die non promulgabantur Indulgentiæ poſt Evangelium, & ſermonem, ut regulariter fieri ſolebat in Eccleſiis, ſed antequam Populus pergeret ad Sacras Ædes, ubi legebantur Proceſſus contra contumaces & rebelles Eccleſiæ, Romanus Pontifex ita loquebatur: *ſicut malos oportet pœna corrigere, ita bonos præmiis afficere*: deinde Indulgentiæ promulgabantur. Feria ſexta in Paraſceve, præter eas, quas Pontifex, antequam ad Cappellam pergeret, largiebatur, aliæ juxta ejus arbitrium poſt ſermonem concedebantur.

Quamquam vero a Bonifacio VIII. in mox allatis Literis Apoſtolicis, & in Ordinibus ſeu Cœremonialibus Romanis fiat mentio duntaxat Stationum Quadrageſimalium; nihilominus extra Quadrageſimam, aliis diebus, & potiſſimum quibuſdam feſtivis Stationes fuiſſe celebratas, diſces ex Conſtitutione ſupracitata Sixti V. ibi = *Quem morem a Majoribus acceptum, etiam Roma antiquiſſimis Urbis Baſilicis, & Martyrum Eccleſiis viſitandis, ſtatis Dominicis, aliiſque ſolemnibus diebus, in primis vero Sacro Adventus Domini & Quadrageſimæ tempore magna populi frequentia anniverſaria celebritate devote celebrat* = eiſque pariter Indulgentias fuiſſe conceſſas, adeo certum eſt apud Scriptores, ut ſuperfluum ſit, eos in particulari recenſere.

§. III.

Expediuntur Difficultates de Indulgentiis Stationum.

UT Stationum Indulgentiæ nedum intra, ſed etiam extra Urbem poſſent comparari, eaſdem Summi Pontifices certas Eccleſias viſitantibus communicarunt: perinde ac ſi hiſce ſpiritualibus favoribus donati ſtatutas Urbis Eccleſias pro Stationibus per Sedem Apoſtolicam deſignatas viſitarent. Hanc communicationem fecit Paulus V. cunctis perſonis Regularibus Conſtitutione incipiente *Romanus Pontifex*, edita ſub die 31. Maii anno MDCVI., de qua fuſe agemus *cap. ſequenti* §. 1. Idem Indultum conceſſum eſt recipientibus Bullam Cruciatæ, necnon quibuſdam Confraternitatibus ac etiam Locis piis. Verum quia de hujuſmodi Indulgentiis earumque communicationibus poſſunt nonnullæ difficultates excitari; idcirco operæpretium duximus de iis hic agere.

Quæres ergo 1.° Quibus diebus queant Indulgentiæ Stationum Urbis, Locis piis, Congregationibus & Confraternitatibus conceſſæ ſeu communicatæ comparari?

Poſſe Stationum Indulgentias, tam intra quam extra Urbem conceſſas, ſive communicatas ſingulis anni diebus acquiri, viſum eſt nonnullis Authoribus, qui Statio-

nes decuplo plures admiſere, quam in Miſſali Romano adnotentur: inter quos Rodericus in *Quæſt. Regularib. Canonic. to.* 2. *quæſt.* 86. *artic.* 2. His favere videtur Conſtitutio Clementis VII., cujus initium eſt: *Cum ſicut ex relatione*, edita ſub die 15. Januarii anno MDXXIII., & inſerta in Bullario Ordinis Prædicatorum per Franciſcum Alberinum Auditorem Cameræ in authenticam formam redacto, ubi habetur= *Eiſque* (nempe Cruceſignatis) *ut ſingulis diebus anni quinque Altaria Eccleſiæ* (*ſi tot ibi fuerint*) *aut unum loci, in quo eos eſſe contigerit, pſalmum unum genibus flexis recitando, vel quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam in quolibet Altari, Indulgentias Stationum Urbis conſequi valeant, etiam concedendi & largiendi authoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus*= Idem innuitur in ſupracitata Pauli V Conſtitutione pro Regularibus his verbis= *Præterea iidem Religioſi intra clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devote viſitaverint, & ut præfertur, oraverint, conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis, & extra eam conſequuntur in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent*=. His addit incertus quidam Author apud Trullench. in *Bulla Cruciatæ lib.* 1. §. 6. *dub.* 1. *num.* 7., ſingulis annis diebus viſitantes quinque Altaria poſſe conſequi Stationum Indulgentias: eo ductus fundamento, quia, ut refert Sorbo in *Compend. Privilegior. Mendicant.*, in Eccleſia Beati Petri Romæ per totum annum integrum ſunt Stationes: adeoque cum ſingulis etiam anni diebus Stationes fiant, poſſunt Stationum Indulgentiæ Confraternitatibus vel piis Locis communicatæ ſingulis anni diebus comparari. Quamquam Peyrinus *in Conſt.* 8. *Pauli V.* de hac conceſſione loquens dicat, id verum non eſſe: quia quando Pontifex vult Indulgentias Stationum ſingulis anni diebus acquiri, hoc explicat.

E contra in Bulla Cruciatæ ad determinatos duntaxat dies Indulgentiarum Stationum Urbis conceſſio definitur his perſpicuis verbis= *Qui dicto anno durante in ſingulis diebus Stationum Almæ Urbis, quinque Eccleſias, ſeu Altaria, ſeu in illorum defectum, quinquies unum Altare devote viſitaverint* &c. *omnes & ſingulas Indulgentias Stationum intra, vel extra muros prædictæ Urbis, tam pro ſe, quam per modum ſuffragii pro Defunctis, pro quibus viſitaverint, conſequantur*=: & ideo Trullench loco mox citato, & Paſſerinus *Quæſt.* 91. *num.* 787. arbitrantur, habentes Bullam Cruciatæ non poſſe conſequi Stationum Indulgentias ſingulis anni diebus.

Paſſerinus tamen in *Quæſt. cit.* admittit Conſtitutionem illam Clementis VII. de omnibus & ſingulis anni diebus eſſe intelligendam: additque videri ſibi, id pariter Paulum V. Regularibus conceſſiſſe in Conſtitutione incipiente *Romanus Pontifex*= *Fuiſſe vero hoc ſatis expreſſum*, (nempe quod poſſint Regulares ſingulis anni diebus percipere Indulgentias Stationum) *in conceſſione Stationum facta Regularibus per Paulum V. colligi videtur, ponderando quod abſolute dicit*: *Religioſi, qui ſuam Eccleſiam devote viſitaverint, abſque aliqua dierum deſignatione: & poſtea expreſſe concludit, quod ipſi conſequantur Indulgentias Stationum in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent* = Nihilominus tamen preſſus quibuſdam difficultatibus in contrarium adductis, fatetur rem eſſe incertam.

Nos vero reſpondemus, Indulgentias Stationum Eccleſiarum, quæ ſunt ſive intra ſive extra Urbem, communicatas Congregationibus, Confraternitatibus, Eccleſiis aliiſque Locis piis non poſſe acquiri ſingulis anni diebus. Ejuſmodi enim Indulgentiæ conceduntur adinſtar vel per communicationem Indulgentiarum Stationum Urbis: adeoque locum non habent niſi pro illis diebus, quibus Stationes in Eccleſiis vel intra, vel extra Urbem celebrantur. Porro etſi dictarum Stationum numerus non ſemper unus fuerit, & alias major alias minor inveniatur (& ideo Alphonſus Perez de Lara in ſuo *Libro trium gratiar. pag. mihi* 30. ad centum circiter Stationes enumeret, & Panvinus loco ſupracitato ætate ſua 87. dies Stationum, Eccleſias vero ad quas ſit Statio 44.) non tamen ſingulis anni diebus celebrantur. Non ergo ſingulis anni diebus Indulgentiæ Stationum per communicationem conceſſæ poſſunt acquiri, ſed iis duntaxat, quæ Romanis Pontificibus regnantibus in præſcripto, & uſu

uſu ſunt. Quamobrem Sanctus Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis necnon Archiepiſcopus Mediolanenſis rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimus, qui homines ætate ſua omnium præſtantiſſimos in conſilium adhibuerat, obtentis a Gregorio XIII. Indulgentiis adinſtar Eccleſiarum Urbis, cum Indulto deſtinandi certas Eccleſias Mediolani, ſeorſim a viris, ac mulieribus viſitandas; ita Stationes Eccleſiaſticas deſignavit, ut dies Stationum, diebus in Miſſali Romano deſcriptis reſponderent: ſicut videre eſt in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis. Et ita ab omnibus, nunc præſertim, ſentiendum eſt, propter declarationem Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum editam ſub die 29. Decembris MDCLXXI., inſertam deinde in Decreto de Indulgentiis Apocriphis edito a Sacra Congregatione ſub die 7. Martii anno MDCLXXVIII. his verbis = *Indulgentias Stationum Urbis, quæ a Romanis Pontificibus ſingulari quodam beneficio, vel communicatæ ſunt, vel communicabuntur, interdum aliquibus Locis, Ordinibus aut perſonis, diebus tantum Stationum in Miſſali Romano deſcriptis ſuffragari poſſe*.

Nec oppoſitum probari poteſt ex verbis Conſtitutionis allatæ Clementis VIII. = *Singulis diebus anni &c. In omnibus diebus perinde ac ſi Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent* = hic enim loquendi modus debet intelligi per diſtributionem accomodam: ita ut ad omnes & ſingulos dies referatur, quibus Romæ acquiri poſſunt Indulgentiæ Stationum juxta tritam Juriſtarum regulam: *Verba ſequentia interpretationem capiunt a præcedentibus*. Idem pariter dicendum eſt de modo loquendi Pauli V. in Conſtitutione incipiente *Romanus Pontifex* = *Conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis & extra eam conſequuntur in omnibus diebus* &c.

Nec aliquod faceſſit negotium id, quod ex incerto Authore objicebatur de ſeptem Altaribus Eccleſiæ S. Petri Urbis. Quamquam enim qualibet die ſeptem Altaria ejuſdem Baſilicæ viſitantibus Indulgentiæ fuerint conceſſæ; tamen ejuſmodi Indulgentiæ non ſunt Stationales, nec ſub nomine Iudulgentiarum Stationum comprehenduntur.

Quæres 2.° An per Indulgentias Stationum ex privilegio Sedis Apoſtolicæ Congregationibus Locisque piis communicatas, & quidem pro diebus in Miſſali Romano deſcriptis, ut nuper dictum eſt, intelligantur tam Stationales, quam cæteræ Indulgentiæ ex aliis titulis Eccleſiis Urbis addictæ? quas eſſe plurimas potiſſimum in ſeptem primis præcipuiſque Eccleſiis, nempe S. Joannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, S. Pauli, S. Mariæ Majoris, S. Sebaſtiani, S. Laurentii extra muros, & S. Crucis in Hieruſalem, obſervat, & refert Caſarrubius in *Compend. Verbo Indulgentia ſeptem Eccleſiarum*.

Tum Stationales tum ex aliis cauſis conceſſas Indulgentias Urbis Eccleſiis percipi a perſonis gaudentibus favore Indulgentiarum Stationum, arbitratur Rodericus; qui, ut ſupra dictum eſt, docuit, ſingulis anni diebus poſſe eas comparari = *Reſpondeo*, inquit, *dicendo, quod ſecundum aliquos Romæ eſt quotidie ad minus in tribus locis, in quibus mulieres non ingrediuntur, remiſſio Plenaria omnium peccatorum, & in octo locis ad minus tertiæ partis, & in uno loco remiſſio quartæ, & alio ſeptimæ, & in diverſis Eccleſiis ipſius Urbis Indulgentiæ quaſi innumerabiles: & ſecundum aliquos ſunt in ſumma 4000. annorum & 1500. quadragenæ Indulgentiarum. Item ſunt illæ multæ, & magnæ Indulgentiæ diverſis locis & Eccleſiis quotidie, & in dedicationibus Altarium & Eccleſiarum, & in diverſis temporibus & locis & Feſtivitatibus Sanctorum augentur Indulgentiæ, & duplicantur omnes in Quadrageſima. Ultra prædictas Indulgentias additæ ſunt aliæ nonnullæ de novo a Sixto IV. & ab aliis, maxime in Eccleſiis ab eodem factis, ſeu reædificatis, præſertim in S. Maria de Pace & in Sancta Maria de Populo in Feſtis Beatæ Virginis, & Sabbatis Quadrageſimæ, & Sabbato de Paſſione uſque ad Octavas Paſchæ, ubi eſt maximus Populi Romani concurſus. Has autem Indulgentias, ut præmittitur, poſſunt quotidie lucrari Fratres & Sorores & Novitii, Donati & perpetuo Oblati viſitando Eccleſias, in quibus morantur.* = Rurſus idem dicendum videtur de Stationum Indulgentiis Regularibus a Paulo V. conceſſis ſub hac forma = *Conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis & extra eam*

pretium multi æſtimantes, utpote quod Urbis Romæ duntaxat Eccleſiis in totius Orbis Chriſtiani bonum hactenus conceſſum fuiſſet, tantique ab omnibus habitum, ut, quo tempore Chriſtiana pietas floreret amplius, ex totius Orbis, ubi Chriſti nomen colitur, regionibus, & Provinciis illud ut aſſequerentur, numeroſus in eam Urbem videatur omnium concurſus; Paſtorali noſtro officio defuturum aliquid crederemus, niſi vobis, quanta ſit hæc peculiaris gratia, quam Deus benignus ex miſericordia ſua nobis conceſſit, explanaremus: ne (quod abſit) ſi eam ſpreveritis, aut qua debetis pietate, aut diligentia toto pectore non amplexi fueritis; ut impii, & ingrati ſeveriuſque inde divino judicio puniendi, caſtigandique habeamini: imo vero ut fideles, vereque Chriſtianos decet, devoto affectu pro hac nova miſericordia, immenſas Omnipotenti Deo gratias rependentes diſponamur, & eam piiſſime excipientes abundantiorem ad animarum ſalutem fructum inde conſequamur. Cujuſcunque ergo ſexus cunctos exhortamur, & per pretioſum Sanguinem vos omnes obſecramus, ut conſcientias veſtras ab omni peccato mundas habere, aut opitulante pœnitentiæ Sacramento, aut ſaltem habita contritione, & dolore cum agendæ Confeſſionis propoſito, quod ex morum emendatione innoteſcat, curetis: ſicque infraſcriptas Eccleſias ad Indulgentias lucrandas, a nobis diebus ſuis deſtinatas, cum omni mentis affectu humilibuſque orationibus adſcitis etiam jejuniorum & charitatis operibus viſitandas aggrediamini. Mandamus pariter & in Domino monemus, ut inceſſu a ſermonibus vanis & colloquiis omnes abſtineant, mutuoſque aſpectus minus honeſtos, & quodcunque, unde majeſtas Dei lædatur, prorſus fugiant. Nemo juxta Eccleſiæ januam, aut in vicinia, qua eo itur via, ſubſideat, Mulier cujuſcunque gradus, omiſſa in veſtium ornatu qualibet oſtentatione, modeſto, honeſtoque greſſu, velato capite, quod tam Apoſtolus Paulus, quam Sancti Patres præcipiunt, inccedat. In cunctis ſtationalibus Eccleſiis ſancte ſe omnes habeant, nec colloquia, & confabulationes exerceant, nec ibidem morentur niſi flexis genibus orationibus vacaturi, Altaribus, Baptiſterio, Vaſiluſtrico non intendentes omnes ad decentiam & cultum compoſiti: ſed loci hujus Sancti, qui Dei Domus eſt, & ſtationi aſſignatur, memores, cum omni orationum devotione & vigilantia, pietatiſque ſtudio tam interius, quam exterius, ut par eſt, in eo ſe gerant. Singuli denique devote pro ſemetipſis, deinde pro Santiſſimo Papa, pro Eccleſiæ Sanctæ exaltatione, & denique hac Civitate, ut in eo cultus Divini obſervantia creſcat, ſplendeat & ardentius in dies excitetur, deprecabuntur.

Cum Indulgentiæ Stationum non raro Principibus Supremis eorumque domeſticis ac familiaribus concedantur; ad cognoſcendum an hujuſmodi Indulgentiæ ad eorundem Principum vitam duntaxat, vel etiam ad Succeſſores ſe extendat; oportet verba Literarum Apoſtolicarum expendere, rationes, cauſas aliaſque conceſſionis circumſtantias: quæ ſi reſpiciant Principis dignitatem; etiam Succeſſores afficiunt: ſecus vero ſi ejus perſonam. Claritatem huic rei conciliat conceſſio hujuſmodi gratiæ cum aliis Indulgentiis factæ Ferdinando Archiduci Auſtriæ a Gregorio XIII. Idibus Junii MDLXXIV. his verbis = *Cum ſicut accepimus dilectus filius nobilis vir Ferdinandus Archidux Auſtriæ devotionis, in terris, & locis ſibi ſubditis Divini cultus propagandi zelo ductus, in Campo, vulgo in Sacchen nuncupato inter torrentem Sill, & flumen Oeni ſito, & non longe ab Oppido Oenipontino ſuæ ditionis Brixinenenſis Diœceſis, octo Cappellas, aliquali inter ſe diſtantia diſjunctas, quarum ultima formam Sancti Sepulchri Dominici repræſentat, cæteriſque amplior exiſtit, in memoriam octo Myſteriorum Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſumtuoſe conſtrui, & ædificari curaverit; Nos cupientes ut prædictæ Cappellæ, ad quas dictus Ferdinandus Archidux ſingularem gerit devotionis affectum, aliquo ſpeciali privilegio decorentur, & Chriſtifideles qui Coppellas prædictas, ac ſingulas ipſarum devote viſitaverint, &c.* Præſcriptis autem orationibus in ipſis recitandis, ſubdit: *Feriatis autem decem, Dominicis vero, & aliis feſtivis diebus, quibus id fecerint, vi-*

viginti annos, de injunctis eis, ſeu aliis quomodolibet debitis pænitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus. Nec non eidem Ferdinando Archiduci, ac omnibus & ſingulis ejus Domeſticis & Familiaribus continuis Commenſalibus utriuſque ſexus duntaxat, qui prædictas octo Cappellas ſingulis Quadrageſimæ diebus, quibus Stationes in Eccleſiis intra & extra Urbis muros ad id deputatis exiſtunt, devote viſitaverint; eaſdemmet Indulgentias & peccatorum remiſſiones ſive relaxationes, quas conſequerentur, ſi Eccleſias Stationum hujuſmodi eiſdem diebus Quadrageſima perſonaliter viſitarent, conſequi concedimus. Præſentibus perpetuis & futuris temporibus valituris = Hanc autem conceſſionem factam fuiſſe dignitati, atque ideo cuicunque Auſtriæ Archiduci, & Domeſticis ejus &c. aſſerere non ambigimus: tum quia perpetua eſt, nullam enim limitationem Gregorius Pontifex adhibuit: tum quia ſæpius nominans Ferdinandum, ſemper ei nomen dignitatis, hoc eſt Archiducis, adjecit. Præterea nomen Dignitatis nomini perſonæ, ubi utrunque uſurpatur, prævalere affirmat Gloſſa in *Lcum ita* 93. *de Condit. & demon.*, idemque tradit Sanchez *de Matrim. Lib.* 8. *diſp.* 27. n. 3. his verbis = *Prius ſunt alia verba, & ſubjecta materia perpendenda, & quando illis perpenſis res adhuc dubia manet, id dijudicandum eſt nominis propris Delegati, aut ejus Dignitatis expreſſione. Quare ſi verba vel materia ſubjecta indicent diſpoſitionem eſſe perſonalem; ſic erit cenſendum: et ſi ſolius dignitatis Delegati mentio fiat aliter dicendum eſt* = Circumſtantiæ vero conceſſionis, de qua agimus, favent dignitati Archiducis Auſtriæ: ac per conſequens quoties ea, aut ſimilia verba in iis, aliiſque Indulgentiarum conceſſionibus reperiuntur in Literis Apoſtolicis, conceſſiones ejuſmodi ſunt perpetuæ, atque ſucceſſoribus in principatu eodem datæ intelliguntur.

Pro eorum, quæ in hoc articulo hactenus dicta ſunt, coronide, duas de diebus, Eccleſiiſque ad ſtationes deſignatis tabulas apponimus, antiquam unam ex duobus membraneis codicibus Vaticanis excerptam lingua latina exaratam, noviſſimam alteram Eminentiſſimi Urbis Vicarii authoritate publicari conſuetam, atque in Typographia Camerali impreſſam lingua vulgari.

In-

Digitized by Google

Index Solemnium Collectarum & Stationum S. R. E. ex duobus membraneis Codicibus Vaticanis, relatus a Mabillonio in Muſæo Italico Tomo II.

Dominica I. Adventus, Statio ad Sanctam Mariam Majorem.

Dominica II. Statio ad Sanctam Crucem.

Dominica III. Statio in Baſilica Beati Petri Apoſtoli.

Feria IV. Statio ad Sanctam Mariam Majorem.

Feria VI. Ad Apoſtolos.

Sabbato ad B. Petrum.

Dominica IV. ad Sanctam Eugeniam.

Miſſa mane prima ad Sanctam Anaſtaſiam.

Die Nativitatis Domini Statio in Baſilica Beati Petri Apoſtolorum Principis.

In Epiphania Domini Statio in Baſilica Principis Apoſtolornm.

Dominica in Septuageſima ad Sanctum Laurentium foris murum.

Dominica in Sexageſima ad S.Paulum.

Dominica in Quinquageſima ad B. Petrum Apoſtolum.

Feria IV. in Cap. Jejunii, Collecta ad Sanctam Anaſtaſiam Statio ad S.Sabinam.

Benedictio Cineris. *Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus &c. Deus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras &c.*

Alia: *Deus, qui humiliatione flecteris &c.*

Alia Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui Ninivitis in cinere &c.*

Interim ponendi ſunt cineres ſuper capita ſingulorum, ita dicendo: *memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Antiphona ad Collectam: *Exaudi nos Domine, quoniam benigna eſt.*

Pſalmus: *Salvum me fac, Deus, quoniam.* Presbyter dicat *Oremus*: Diaconus *Flectamus genua. Levate.*

Oratio ad Collectam. *Concede nos Domine præſidia militiæ Chriſtianæ Sanctis inchoare jejuniis: ut contra ſpiritales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxilio. Per. Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo.* Diaconus dicit: *Procedamus eum Pace.* Reſp. *In nomine Chriſti, Amen.*

Antiphona per Paradiſum: *Immutemur habitu. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. In memoria. A porta Inferi. Requieſcant in Pace. Domine exaudi Orationem meam. Dominus vobiſcum.*

Oremus.

DEUS, cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt, famul's & famulabus tuis omnibus hic & ubique in Chriſto quieſcentibus da propitius veniam peccatorum: ut a cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur. Per eundem.

Dicta Oratione intramus in Eccleſiam cantando: *Petre amas me*, cum verſu, *Simon Johannis.* Finito reſponſorio Diaconus incipit Letanlam.

Nota, quod in Feria II. & Feria IV. & Feria VI. non dicimus *Kyrie eleiſon* in Miſſa, eo quod VIIII. *Kyrie eleiſon* dicimus in Letania, tres *Kyrie*, & *Kyrie* in principio, & tres *Kyrie* in fine.

Feria V. Collecta ad S. Nicolaum in Carcere: Statio ad Sanctum Georgium.

Feria VI. Collecta ad S.Luciam in VII. Soliis: Statio ad Sanctos Johannem & Paulum.

Sabbato Collecta ad S.Laurentium in Lucina: Statio ad S. Tryphonem.

Dominica I. in Quadrageſima ad S. Johannem Lateran.

Feria II. Collecta ad Sanctos Coſmam & Damianum: Statio ad S. Petrum in Vinculis.

Anthiphona ad Collectam: *Exurge Domine adjuva nos.* Pſal. *Deus auribus noſtris. Gloria Patri.* Verſ. *Opus quod operatur. Oremus. Flectamur genua.* Diaconus dicit. *Levate.*

Oremus.

PReces Populi tui, quæſumus Domine clementer exaudi: ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nomi-

nominis gloria miſericorditer liberemur. Per. Dominus Vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Diaconus dicit: *Procedamus in pace*. Reſp. *In Nomine Chriſti. Amen*.

Antiphona per Paradiſum. *Multa ſunt peccata noſtra*. Cætera dicantur eo ordine quo retro. *Converte nos Deus ſalutaris noſter, & ut nobis &c.*

Feria III. Collecta ad S. Nicolaum de Carcere: Statio ad S. Anaſtaſiam.

Feria IV. Collecta ad S. Petrum ad Vincula: Statio ad S. Mariam Majorem.

Feria V. Collecta ad S. Agatham in Monaſterio: Statio ad S. Laurentium panis pernæ.

Feria VI. Collecta ad S. Marcum: Statio ad Sanctos Apoſtolos.

Sabbato Collecta ad S. Mariam in Tranſpontina: Statio ad B. Petrum Apoſtolorum Principem.

Dominica II. in Quadrageſima: Statio ad S. Mariam in Domnica. *In alio Codice*: Dominica vacat. Statio ad Sanctam Mariam in Domnica.

Feria II. Collecta ad Sanctos Coſmam & Damianum: Statio ad S. Clementem.

Feria III. Statio ad S. Balbinam. *In alio Cod.* Collecta caret: Statio ad S. Balbinam.

Feria IV. Collecta ad S. Georgium: Statio ad S. Cæciliam in Tranſtyberim.

Feria V. Collecta ad S. Georgium: Statio ad S. Mariam in Tranſtyberim.

Feria VI. Collecta ad S. Agatham in Monaſterio: Statio ad S. Vitalem.

Sabbato Collecta ad S. Clementem: Statio ad SS. Marcellinum & Petrum.

Dominica III. Statio ad S. Laurentium foris murum.

Feria II. Collecta ad S. Adrianum: Statio ad S. Marcum.

Feria III. Collecta ad S. Sergium: Statio ad S. Pudentianam.

Feria IV. Collecta ad S. Balbinam: Statio ad S. Xyſtum.

Feria V. Collecta ad S. Marcum: Statio ad Sanctos Coſmam & Damianum.

Feria VI. Collecta ad S. Mariam Rotundam: Statio ad S. Laurentium in Lucina.

Sabbato Collecta ad S. Vitalem: Statio ad S. Suſannam.

Dominica IV. Statio ad Sanctam Crucem.

Feria II. Collecta ad S. Stephanum in Cœlio-Monte: Statio ad Sanctos IIII. Coronatos.

Feria III. Collecta ad Monaſterium Domnæ Roſæ: Statio ad S. Laurentium in Damaſo.

Feria IV. Collecta ad S. Mennam: Statio ad Paulum Apoſtolum.

Feria V. Collecta ad S. Quiricum: Statio ad S. Martinum de Montibus.

Feria VI. Collecta ad S. Vitum Magellum = *in alio Codice* in Macello: Statio ad S. Euſebium.

Sabbato Collecta ad S. Angelum Piſcium venditorum: Statio ad S. Nicolaum de Carcere.

Dominica V. *al.* de Paſſione: Statio in Baſilica Principis Apoſtolorum.

Feria II. Collecta ad S. Georgium: Statio ad S. Chryſogonum in Tranſtyberim.

Feria III. Statio ad S. Cyriacum in Thermis: *in alio Codic.* Collecta vacat: Statio &c.

Feria IV. Collecta ad S. Marcum: Statio ad S. Marcellum.

Feria V. Collecta ad S. Mariam in Via Lata: Statio ad S. Apollinarem.

Feria VI. Collecta ad Sanctos Johannem & Paulum: Statio ad S. Stephanum in Cœlio-monte.

Sabbato Collecta ad S. Xyſtum: Statio ad S. Johannem in Porta Latina: *in alio Cod.*: Sabbato ad S. Petrum, quando eleemoſyna datur: Collecta ad S. Xyſtum &c.

Dominica in Palmis dicimus Tertiam in S. Maria in Turre, ubi Palmæ benedicendæ ſunt: *in alio Cod.* Statio ad S. Johannem in Lateranis. In proceſſione per Paradiſum Antiph. *Pueri Hebræor. portantes &c. Pueri Hebræorum veſtim.* Antiph. *Occurrunt turbæ. Chriſtus factus eſt pro nobis obed. &c.* Hanc antiphonam cantamus ſemel tantum, & ſine Organo.

Feria II. Collecta ad S. Balbinam: Statio ad Sanctos Nereum, & Achillem.

Feria III. Collecta ad S. Mariam de Porticu: Statio ad S. Priſcam.

Feria IV. Collecta ad S. Petrum in Vinculis: Statio ad S. Mariam Majorem.

Feria V. in Cœna Domini: Statio ad S. Johannem Lateranenſem.

In Paraſceve duernalem curſum ſeparatim cantamus, & hora nona ingredimur Eccleſiam cum Domino Epiſcopo, ſive Presbytero Cardinali: & induti veſtimentis nigris abſque ullo cantu procedimus ante Altare, & Lector aſcendit Pulpitum &c.

Do-

Dominica Sanctum Paſcha: Statio ad S. Mariam Majorem.

Feria II. poſt Paſcha Statio ad S. Petrum.

Feria III. Statio ad S. Paulum Apoſtolum.

Feria IV. ad S. Laurentium foris murum.

Feria V. ad SS. Apoſtolos.

Feria VI. ad S. Mariam Rotundam.

Sabbato ad S. Johannem Lateranum.

Dominica octava Paſchæ Statio ad S. Pancratium.

In Letania Majore: Statio in Baſilica S. Petri: ad Collectam in Eccleſia S. Mariæ in Turres. *Hæc in alio Codice*.

Die Aſcenſionis Domini Statio in Baſilica Principis Apoſtolorum.

Die Sancto Pentecoſtes Statio in Baſilica Apoſtolorum Principis.

Feria II. ad S. Petrum in Vinculis.

Feria III. ad S. Anaſtaſiam.

Feria IV. ad S. Mariam Majorem.

Feria V. . . . . . .

Feria VI. ad Apoſtolos.

Sabbato ad S. Petrum.

Dom. XVI. poſt Pentecoſten.

Feria IV. Statio ad S. Mariam Majorem.

Feria VI. ad Apoſtolos.

Sabbato apud B. Petrum.

In Purificatione S. Mariæ Statio ad S. Mariam Majorem.

Indice delle Stazioni ed Indulgenze Stazionali delle Chieſe di Roma per tutto l'Anno, publicato per ordine del Eminentiſſimo e Reverendiſſimo Signor Cardinal GIO: ANTONIO GUADAGNI *Vicario di N. S. l'Anno MDCCXLIII.*

Stazioni della Quareſima.

☩ S. Sabina, S. Maria in Coſm. e S. Aleſſio.	Mercoledì primo giorno.
S. Giorgio.	Giovedì.
SS. Gio: e Paolo.	Venerdì.
☩ S. Trifone, e S. Agoſtino.	Sabbato.

S. Giovanni in Laterano.	Domenica prima.
S. Pietro in Vincola.	Lunedì.
S. Anaſtaſia.	Martedì.
S. Maria Maggiore.	Mercoledì.
S. Lorenzo in Paniſperna.	Giovedì.
SS. Apoſtoli.	Venerdì.
S. Pietro.	Sabbato.

S. M. in Domnica detta la Navicella.	Domenica ſeconda.
☩ S. Clemente, e S.M. Maggiore.	Lunedì.
S. Balbina.	Martedì.
S. Cecilia.	Mercoledì.
S. Maria in Traſtevere.	Giovedì.
S. Vitale.	Venerdì.
SS. Pietro, e Marcellino.	Sabbato.

S. Lorenzo fuori delle Mura.	Domenica terza.
S. Marco.	Lunedì.
S. Potenziana.	Martedì.
☩ S. Siſto, e SS. Nereo, & Achilleo.	Mercoledì.
SS. Coſma, e Damiano.	Giovedì.
S. Lorenzo in Lucina.	Venerdì.
☩ S. Cajo, S. Suſanna, e S. M. degl'Angeli.	Sabbato.

S. Croce in Geruſalem.	Domenica quarta.
SS. Quattro Coronati.	Lunedì.
S. Lorenzo in Damaſo.	Martedì.
S. Paolo.	Mercoledì.
☩ S. Martino de Monti, e S. Silveſtro delle Mon.	Giovedì.
☩ S. Euſebio, e S. Bibiana.	Venerdì.
S. Nicolò in Carcere.	Sabbato.

S. Pietro.	Domenica di Paſſione.
S. Criſogono	Lunedì.
S. Quirico, e S. Ciriaco in S. Maria in Via Lata.	Martedì.
S. Marcello.	Mercoledì.
S. Apollinare.	Giovedì.
S. Stefano nel Monte Celio, detto S. Stefano Rotondo.	Venerdì.
S. Gio: ante Portam Latinam.	Sabbato.

S. Giovanni in Laterano.	Dom. dell'Oliva.
S. Praſſede.	Lunedì.
S. Priſca.	Martedì.
S. Maria Maggiore.	Mercoledì.
S. Giovanni in Laterano.	Giovedì.
S. Croce in Geruſalem.	Venerdì.
S. Giovanni in Laterano.	Sabbato.

S. Maria Maggiore.	Domenica di Reſurrezzione.
☩ S. Pietro, e S. Onofrio.	Lunedì.
S. Paolo.	Martedì.
S. Lorenzo fuori delle Mura.	Mercoledì.
SS. Apoſtoli.	Giovedì.
S.M. ad Martyres detta la Rot.	Venerdì.
S. Giovanni in Laterano.	Sabbato.
S. Pancrazio.	Domenica in Albis.

Stazioni doppo l'Ottava di Paſqua.

S. Pietro.	Giorno dell'Aſcenzione.
S. Giovanni in Laterano.	Vigilia della Pentecoſte.
S. Pietro.	Giorno della Pentecoſte.
S. Pietro in Vincoli.	Lunedì.
S. Anaſtaſia.	Martedì.
S. Maria Maggiore.	Mercoledì.
S. Lorenzo fuori delle mura.	Giovedì.
SS. Apoſtoli.	Venerdì.
S. Pietro.	Sabbato.

Sta-

Stazioni dell'Avvento ſino in Quinquageſima.

S. Maria Maggiore.	Domenica prima.
S. Croce in Geruſalem.	Domenica ſecond.
S. Pietro.	Domenica terza.
SS. Apoſtoli.	Domenica quarta.
S. Maria Maggiore al Preſepio.	La Vig. e Notte della Natività del Sig.
S. Anaſtaſia.	La Meſſa in Aurora.
S. Maria Maggiore.	Giorno della Natività.
S. Stefano.	S. Stefano nel M. Celio detto S. Stef. Rotondo.
S. Giovanni.	S. Maria Maggiore.
SS. Innocenti.	S. Paolo.
Circonciſione del Sig.	S.M. in Traſtevere.
Epifania.	S. Pietro.
Domenica in Settuag.	S. Lorenzo fuori delle mura.
Domenica in Seſſageſima.	S. Paolo.
Domenica in Quinquageſima	S. Pietro.

Per le quattro tempora.

Mercoledì.	S. Maria Maggiore.
Venerdì.	SS. Apoſtoli.
Sabbato.	S. Pietro.

Per le Rogazioni.

Giorno di S. Marco.	S. Pietro.
Feria ſeconda delle Rog.	S. M. Maggiore.
Feria terza delle Rog.	S. Gio: in Laterano.
Feria quarta delle Rog.	S. Pietro.

Nel Meſe d'Ottobre.

Domenica dopo la Feſta di S. Caliſto che ſi celebra ſotto li 14. di detto Meſe S. Maria in Traſtevere:

Ne giorni dove ſono ſcritte più Chieſe notate con queſto ſegno ✠ col viſitarne una ſola ſi acquiſta l'Indulgenza delle Stazioni.

Fr. G. A. Card. Vicario.

G. Arciprete Ori Segretario.

ARTICULUS III.

Exponuntur aliæ Indulgentiæ Locales.

AD Indulgentias Locales uſitatiores, præter eas de quibus egimus ſupra, ſpectant illæ, quæ dicuntur ſeptem Altarium, ſeptem Eccleſiarum, Feriarum ſextarum menſis Martii, & Scalæ Sanctæ: de quibus ſingillatim agendum eſt, quia in earum qualibet conceſſione aliqua notatu digna obſervanda ſunt.

§. I.

Indulgentiæ Septem Altarium Baſilicæ S. Petri.

UNicum primis Eccleſiæ Sæculis Altare ad celebrandum incruentum Miſſæ Sacrificium fuiſſe conſtructum in ſingulis Templis cultui Divino dicatis, antiqua Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ tradunt monumenta. Morem hunc vetuſtiſſimum, ut notat Cardinalis Bona in *lib.* 1. *Rer. Liturgic. cap.* 14. *n.* 3., exactiſſime ſervarunt, & hactenus ſervant Græci: plura enim in ſingulis Eccleſiis non habent Altaria, nec fas eſſe arbitrantur intra ejuſdem Eccleſiæ ſepta Sacrum eadem die iterare: cujus unitatis analogiam inde accipi ferunt, quia unus eſt Chriſtus, una Eccleſia, unum Sacrificium: quanquam plura habeant ſacella ſive Oratoria ipſi Eccleſiæ proxima, muroque disjuncta, quæ Pareccleſiæ ab illis vocantur. Plura tamen Sæculo ſexto in quibuſdam Latinorum Eccleſiis Altaria erecta fuiſſe reperimus: quamobrem immerito Novatores objiciunt fuiſſe penitus inuſitatam antiquioribus Sæculis, ut in una Eccleſia plura eſſent Altaria: cum S. Gregorii Magni ætate, qui Sæculo Sexto exeunte Summus Pontifex fuit renunciatus, apertiſſime hujus rei exemplum probetur. Sanctus enim Pontifex ad Palladium Sanctonenſem Epiſcopum ſcribens in *Epiſt.* 50. *lib.* 5. petitas ad eum Sacras Reliquias mittens, ſic eum alloquitur = *Veniens lator præſentium Leuparicus veſter, inſinuavit Nobis fraternitatem veſtram Eccleſiam in honore Beati Petri & Pauli Apoſtolorum, necnon Laurentii, atque Pancratii Martyrum conſtruxiſſe, atque illic tredecim Altaria collocaſſe, ex quibus quatuor necdum dicata comperimus remanſiſſe, ob hoc, quod ſupraſcriptorum Sanctorum Reliquias illic collocare, Deo annuente, diſponatis* =

Plura Altaria erigendi more apud Latinos recepto, in Baſilica S. Petri Romæ Septem Altaria fuiſſe constructa, atque præclariſſimis Indulgentiarum muneribus ditata, ad recolendam memoriam ſeptem Stationum, in quibus humani generis Reparator ſuæ Paſſionis tempore verſatus eſt, Urbis antiqua traditio docet: idque teſtatur S. Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis in Libro inſcripto *Monita Illuſtriſſ. Cardin. Borrom.* edito in lucem Romæ anno MDLXXXIV. Hujuſmodi autem Stationes ſunt, prima in horto Gethſemani, ubi Chriſtus Sanguineum effudit ſudorem: ſecunda in domo Annæ Pontificis, ad quem primo a Judæis vinculis conſtrictus fuit perductus: tertia in domo Caiphæ pariter Pontificis, ubi alapam recepit: quarta in domo Pontii Pilati Judææ Præſidis, ubi tanquam reus a Principibus Sacerdotum ac turbis populi Judaici injuſtiſſime fuit accuſatus: quinta in domo Herodis, in qua contemtus albaque veſte indutus, ad Pontium Pilatum, cauſæ ſuæ ſententiam ſubiturus, fuit remiſſus: ſexta in Prætorio Pontii Pilati, ubi flagellis cæſus ſpineaque corona redimitus morti fuit adjudicatus: ſeptima in monte Calvario, in quo inter duos latrones Cruci fuit affixus.

De Indulgentiis ſeptem Altarium Baſilicæ S. Petri de Urbe non una eſt Scriptorum Sententia. Sunt, qui pro ſingulis ex iis ſeptem Altaribus viſitatis Indulgentiam decem & octo annorum acquiri putant, ex tabella pro inſtructione Peregrinorum veteris Baſilicæ S. Petri: cujus fidem facit Joannes Baptiſta Hordonus Subarchiviſta dictæ Eccleſiæ. Alii eaſdem eſſe credunt, quas lucrantur viſitantes ſeptem Urbis Eccleſias. Alii tandem, Indulgentiam Plenariam horum Altarium viſitatione percipi ſcribunt: & ideo nos ob hanc Authorum varietatem citra erroris periculum nihil poſſumus definire. Certum tamen

men eſt horum ſeptem Altarium Indulgentias non raro Eccleſiis tam intra, quam extra Urbem habentibus ſeptem Altaria communicari, duodecim vicibus intra annum acquirendas: ita tamen, ut dies quibus dictæ Indulgentiæ poſſunt percipi a Chriſtifidelibus, debeant a Locorum Ordinariis, vel Urbis Vicario una cum Altaribus ſpecificari.

Nec dubitari debet de earum ſubſiſtentia, quamtumvis pro Eccleſiis, vel antea vel poſt hujuſmodi conceſſionem aliud Breve fuerit impetratum Indulgentiæ Plenariæ vel in Feſto Titulari, vel ob aliam cauſam cum clauſula *Volumus autem*: ut conſtabit ex dicendis infra *artic.5.* §.1.

Adnectimus hic formam conceſſionis, ſeu communicationis Indulgentiarum Baſilicæ Sancti Petri = *Univerſis Chriſtifidelibus præſentes noſtras Litteras inſpecturis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad augendam Fidelium religionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ Theſauris pia charitate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui ſeptem Altaria (quatenus ſita ſint in Eccleſia N. nuncupata, Diœces N.) per Ordinarium ſemel tantum deſignanda, duodecim vicibus pro quolibet anno per eundem Ordinarium ſpecificandis, devote viſitaverint: & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpationem, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, qua vice prædictorum id egerint, ut eas omnes & ſingulas Indulgentias & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes, conſequantur, quas conſequerentur, ſi ſeptem Altaria in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe ſita, ad id deſignata, perſonaliter & devote viſitarent, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Præſentibus ad ſeptennium valituris. Volumus autem ut ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur; præſentes nullæ ſint. Datum Romæ apud N. ſub annulo Piſcatoris die N. menſis N. Pontificatus noſtri anno....*

Hic tamen adnotandum eſt, quod ſi aliquod ex ſeptem Altaribus Baſilicæ Sancti Petri de Urbe, eſſet Indulgentiæ Plenariæ munere decoratum, vel ob inſignem Miraculis Sancti alicujus Imaginem, vel ob aliam cauſam; non idcirco foret dicendum, per communicationem hujuſmodi Indulgentiarum, dictam Plenariam pariter communicari: hæc enim data fuiſſet hujuſmodi Altari non intuitu peculiaris Stationis ex illis ſeptem, quas Chriſtus tempore ſuæ Paſſionis habuit: quemadmodum (ut diximus in antecedenti *Articulo* §. 2.) communicatis Indulgentiis Stationum Eccleſiarum Urbis, non ſequitur alias Indulgentias communicari, quæ ex aliis cauſis competunt Eccleſiis, ubi Stationes celebrantur.

§. II.

Indulgentiæ Septem Eccleſiarum.

Quod ad Indulgentias ſeptem Eccleſiarum attinet, vetuſtiſſima docet traditio, viſitationem ſeptem præcipuarum Eccleſiarum Urbis, nempe Sancti Joannis Lateranenſis, S. Petri in Vaticano, S. Pauli, S. Mariæ Mariæ Majoris, S. Crucis in Hieruſalem, S. Laurentii extra muros & Sancti Sebaſtiani, ex pia Religione Fidelium fuiſſe inſtitutam, ſummorumque Pontificum auctoritate, mediis Indulgentiarum largitionibus comprobatam: tum ad pie recolendam eandem, de qua in antecedenti §. diximus, Paſſionis Chriſti memoriam, tum ob ſeptenarium Eccleſiarum numerum, qui peculiari non vacat Myſterio: ut obſervat Sixtus V. in Conſtitutione incipien. *Egregia Populi Romani pietas*, edita anno MDLXXXVI. Idibus Februarii ibi = *Cum multis antiquis, & religioſiſſimis Eccleſiis, quas majorum pietas magnifice extruxit, hæc Alma Urbs ornatiſſima ſit, tum illæ potiſſimum intra, atque extra mœnia poſitæ ſeptem Baſilicæ, quas veteri inſtituto Fideles pia ac ſalutari peregrinatione obire ſolent, magnam jure optimo non ſolum apud Cives, ſed apud externos populos venerationem habent: ſunt enim antiquitate, religione, Sancto-*

ctorum Martyrum venerandis Reliquiis, ſacris Indulgentiis, & denique myſtica ſeptenarii numeri ratione celeberrimæ. Nam quemadmodum Joannes Apoſtolus admirabilem illam Apocalypſim ſeptem Aſiæ Eccleſiis ſcribens, univerſam Eccleſiam adumbravit, quam Deus cœleſtibus Spiritus Sancti donis perficit, & in qua una habitat, & requieſcit; ita Romæ ſeptem Eccleſiæ magno ejuſdem numeri myſterio ſunt inſtitutæ: ut totius Eccleſiæ unio, & perfectio in ipſo Capite, unde omnium Eccleſiarum unitas dimanat, illuſtrior appareret.

Obſerva tamen, quod ut Chriſtifideles Indulgentiarum hunc fructum percipiant, oportet eos, uno die earum ſeptem Eccleſiarum viſitationem abſolvere.

Communicari ſolent iſtæ Indulgentiæ frequenter extra, raro tamen intra Italiam, ſemel duntaxat intra annum acquirendæ: data in literis Apoſtolicis facultate Locorum Ordinariis, tum ſeptem Eccleſias viſitandas præſcribendi, tum diem quo hujuſmodi Indulgentiæ debent comparari: ut ex ſequenti forma colligitur. = *Splendor paternæ gloriæ, quia ſua Mundum ineffabili claritate pia vota Fidelium de Clementiſſima ejus majeſtate ſperantium tunc benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvantur, volentes igitur ſeptem Eccleſias N. Diœceſ. N. ab Ordinario deſignandas, aliquo ſpeciali dono illuſtrare, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus, qui ſemel tantum in anno, Eccleſias hujuſmodi in uno die per eundem Ordinarium ſpecificando, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die id egerint, ut eas omnes & ſingulas Indulgentias, quas viſitando ſeptem Almæ Urbis noſtræ Eccleſias conſequerentur, conſequi poſſint & valeant, concedimus & indulgemus in forma Eccleſiæ conſueta. Regula noſtra de non concedendis Indulgentiis adinſtar, cæteriſque in contrarium non obſtantibus quibuſcunque. Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Datum Romæ apud &c.*

§. III.

Indulgentiæ Feriarum Sextarum Menſis Martii.

AD excitandos Chriſtifidelium animos in recolenda feriis ſextis menſis Martii, aut Quadrageſimæ Paſſionis Chriſti memoria, ſpeciales eiſdem a Sede Apoſtolica dari ſolent Indulgentiæ confeſſis & Sacra Communione refectis, certam Eccleſiam devote viſitantibus: Plenaria ſcilicet in una ab Ordinario loci deſignanda, ſeptem vero annorum & totidem quadragenarum in reliquis feriis ſextis: earumque Brevia ita concepta ſunt. *Univerſis &c. ad augendam &c. Omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, & Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam Civitatis, vel Terræ N. Diœceſis N. in una ex feriis ſextis menſis Martii per Ordinarium deſignanda ab ortu uſque ad occaſum ſolis feria hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper eiſdem Chriſtifidelibus etiam vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, prædictam Eccleſiam in reliquis feriis ſextis menſis Martii hujuſmodi, ut ſupra, viſitaverint, & ibidem oraverint, qua feria prædictarum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus ad ſeptennium &c. Volumus autem, ut ſi pro impetratione &c.*

Hic tamen prætereundum non eſt, quorundam eruditorum opinionem fuiſſe, quod conceſſis alicui Eccleſiæ hujuſmodi Indulgentiis (quas olim Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus & Confraternitatum Eccleſiis, paſſim dari conſuetum erat) ſi deinde novæ concederentur in aliquo Feſto eidem Eccleſiæ cum ea clauſula reſtrictiva

ctiva *Volumus autem &c*; has poſteriores eſſe firmas ac validas: ſed cum ſequens dubium ventilandum proponeretur in Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum = *An Indulgentię Feriarum ſextarum menſis Martii, quæ in aliqua Eccleſia conceſſę reperiuntur, efficiant, ut ſi quæ poſtea novæ concedantur cum clauſula Volumus autem &c., quæ de novo conceduntur, nullæ ſint?* = Reſponſum fuit ſub die 8. Aprilis MDCCX. *Affirmative, & ad mentem: & mens eſt, ut in Sacra Congregatione expendatur, quid in poſterum hac in re agendum ſit*.

Diſcuſſo propterea in ſequenti Congregatione habita ſub die 6. Julii ejuſdem anni hoc alio dubio = *An, & quomodo Brevia Indulgentiarum pro Feriis ſextis menſis Martii inpoſterum expediri debeant?* = Reſponderunt Eminentiſſimi Patres = *Publicandam eſſe declarationem, quod Indulgentiæ, quæ conceduntur cum ſolitis reſtrictivis in illis Eccleſiis, in quibus ſunt antea conceſſę Indulgentiæ pro Feriis ſextis menſis Martii, ob ſæpe dictam clauſulam: Volumus autem &c. Literis Apoſtolicis inſertam ſint nullæ: & inpoſterum eas non fore concedendas niſi ex rationabili cauſa* = Extat de hac re ſequens prædictæ Sacrę Congregationis Decretum = *Ne contra veterem ac probatam in Eccleſia conſuetudinem, Indulgentiarum numero nimis aucto, Eccleſiaſtica diſciplina enervetur; ſæpius in Brevibus apponi conſuevit clauſula illa: Volumus autem, ut ſi alias Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit; præſentes Literæ nullæ ſint. Cum autem alias pro ejuſdem clauſulæ explicatione ſupplicatum fuerit; Sacra Congregatio Indulgentiis Sacriſque Reliquiis præpoſita declaravit: ea nullatenus comprehendi Altaria Privilegiata pro Defunctis, aut certo perſonarum generi conceſſas, aut Confraternitatibus, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus peragentibus, ut Litanias, aliaſque hujuſmodi recitantibus: ac iis qui Chriſtiana Doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctiſſimi Eucharistiæ Sacramenti expoſitioni cum oratione quadraginta horarum interſunt: neque Stationum Urbis, & ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas, neque demum quæ pro unica vice conceduntur. Ceterum ſi aliæ Indulgentiæ, ſive Plenariæ, ſive non Plenariæ, in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Chriſtifidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus Altare, ſeu Cappellam viſitantibus, eodem die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in Literis Apoſtolicis mentio; has Literas ob dictam clauſulam eſſe prorſus irritas ac nullas: ut expreſſe habetur in Decreto ab eadem Sacra Congregatione deſuper edito die 23. Junii 1676. Poſtea tamen eidem Sacræ Congregationi delatum fuit, non paucos eſſe, qui prædictum Decretum non recte intelligentes, ſibi ſuadent, quod ſi in aliqua Eccleſia jam conceſſæ reperiuntur Indulgentiæ, quæ pro Feriis ſextis menſis Martii dari ſolent, & poſtea in eadem Eccleſia alia Indulgentia concedatur cum appoſitione in Brevi ſupramemoratæ clauſulæ Volumus autem &c.; Indulgentia, quæ poſtremo loco data eſt, valida ſit. Quapropter ut omnis in poſterum erroris occaſio auferatur, eadem Sacra Congregatio habita die 8. Aprilis 1710. declaravit: Indulgentiam ultimo loco jam conceſſam, ob ſæpe dictam clauſulam: Volumus autem &c. Literis Apoſtolicis inſertam eſſe nullam. Datum 11. Septembris 1716. L. Cardinalis Picus Præfectus. Raphael Coſm. de Hieronymis Secretarius*.

Editis his Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum declarationibus, pro Monialibus dubitatum fuit = *An circa ipſas, quibus ex ſtilo pro earum Cappella interiori dantur plures Plenarię in anno, & ulterius Indulgentię pro his feriis menſis Martii, ſervanda in poſterum eſſet eadem praxis?* Cui Sac. Congregatio ſub die 14. Aprilis MDCCXXII. reſpondit. *Quoad Moniales procedendum eſſe juxta ſtilum* = ut ſcilicet concederentur tum conſuetæ Plenariæ, tum Indulgentiæ Feriarum ſextarum menſis Martii.

Quanquam vero ex ſupracitato Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum Decreto conſtet, nullas eſſe Indulgentias Eccleſiis aut pro Titulo, aut pro aliis cauſis conceſſas cum

illa clauſula: *Volumus autem* &c. ſi eiſdemmet Eccleſiis antea datæ fuiſſent Indulgentiæ Feriarum ſextarum menſis Martii; non ita tamen exploratum eſt, an idem dicendum ſit de Indulgentiis Feriarum ſextarum menſis Martii conceſſis, ubi jam aliæ Indulgentiæ datæ fuerunt pro Titulo, aut pro aliis cauſis cum dicta clauſula: *Volumus autem &c.* Et profecto dubium poteſt excitari, quia tenor memorati Decreti eas tantum poſteriores Indulgentias irritas videtur declarare, in quarum Brevi clauſula: *Volumus autem &c.* inſerta eſt ibi *Indulgentiam ultimo loco jam conceſſam, ob ſæpe dictam Clauſulam: Volumus autem &c. in Literis Apoſtolicis inſertam, eſſe nullam*. In Brevi autem Indulgentiarum Feriarum ſextarum menſis Martii, dicta clauſula *Volumus autem* de ſtilo minime apponitur: quamobrem videntur dictæ Indulgentiæ, ubi ſunt aliæ pro Feſto, aut propter aliam cauſam cum dicta clauſula conceſſæ, valorem obtinere.

Fateri compellimur hanc rationem ex una parte non leve pondus ſubſiſtentiæ Indulgentiarum Feriarum ſextarum menſis Martii adjicere: ſi poſtea eas pro eadem Eccleſia conceſſio alterius Indulgentiæ aut in Feſto titulari, aut in alio cum ſæpedicta clauſula ſubſequatur: ſumus enim in odioſis, quæ reſtringenda ſunt, non amplianda: cum prælaudatum Decretum nullas declaret expreſſe Indulgentias cum ea clauſula ultimo loco datas: inter quas profecto nequaquam continentur Indulgentiæ Feriarum ſextarum menſis Martii. Cæterum ex alia non videtur prætereundum Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum Conſilium minime fuiſſe providere duntaxat, ut conceſſio Feriarum ſextarum menſis Martii alteram Indulgentiam vel pro Feſto Titulari, vel pro alia ſolemnitate datam ſequeretur, ſed præcavere ne in una eademque Eccleſia Indulgentiæ Plenariæ potiſſimum multiplicarentur: ut infra dicemus *Artic. 5.* Quamobrem, ut opinor, quid certo in hac re ſentiendum ſit periculosè definitur, donec vel Summi Pontificis, vel Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum oraculo declaretur.

§. IV.

Indulgentiæ Scalæ Sanctæ.

Inter præclariſſimas, quas antiqua docet traditio, ſervari Romæ Reliquias, recenſeri non immerito poſſunt gradus Scalæ prope Eccleſiam S. Joannis Lateranenſis conſtituti, quos humani generis Reparator mortem mox ſubiturus Divinis pedibus calcavit, atque theandrico ſuo cruore reſperſit. Quamquam vero non deſint quidam Eruditi Scriptores translationem Scalæ, ab Hieroſolymis e Prætorio ubi Pilatus olim præfuerat ad Urbem, tamquam Evangelio repugnantem traducant; cum Chriſtus Dominus Hieroſolymitanæ Urbis everſionem, quæ ſub Tito Romani exercitus Duce contigit, prænuncians, dixiſſet *Matthæi* 24. *v.* 2. = *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur*; = juxta tamen communem Sacrorum Interpretum expoſitionem id minime accipiendum eſt in præciſo, & materiali ſenſu, ſed prolatum cenſeri debet ad oſtendendum inclytæ illius Civitatis excidium: ut obſervarunt Nicolaus Lyranus, & Cornelius a Lapide *ſuper Caput* 24. *Matthæi*. Hujus Scalæ Sanctæ Hiſtoriam tranſlationis, nec non conſtitutionem ipſius prope Sancti Joannis Lateranenſis Eccleſiam diverſis temporibus a Summis Pontificibus factam ita accuratè, & erudite deſcribit Eminentiſſimus Lambertinus in ſuo ſæpe laudato opere *de Servor. Dei Beatific. & Beator. Canonizat. Lib.* 4. *p.* 2. *cap.* 25. *n.* 14. *&c.* dicens = *Fertur Scalas Sanctas ad Urbem translatas fuiſſe opera Sanctæ Helenæ matris Imperatoris Conſtantini, teſte Megiſto Abbate Cœnobii Sancti Gregorii ad Clivum Scauri, qui vivebat anno Chriſti DCCCXLIV. & ejus narratio aſſervatur in Vaticana Bibliotheca: non ita autem tranſlatio Scalarum miraculo ſit adſcribenda: humano quippe modo facta dici poteſt, & iiſdem prorſus auxiliis, quibus ab Ægypto pyramides Romam delatæ ſunt: quemadmodum impias Caſauboni irriſiones redarguendo bene animadvertit Cardinalis Perronius in Opere, cui titulus: Perroniana Thouna pag.* 341. *Scalarum gradus ſunt numero viginti & octo, & teſte citato Megiſto, collocati fuerunt ab Im-*

pe-

peratore Conſtantino in Porticu Palatii juxta Scalam, quę conducebat ad Patriarchium: cumque temporum injuria non eſſent amplius in Scalarum formam diſpoſiti; Sergius Papa II. an. DCCCXLIV. ędificio conſtructo, ante Baſilicam Conſtantinianam ipſos magnifice fecit collocari. Cum Megiſto concordat Anaſtaſius, ſeu quivis alius author in Sergii vita juxta recentem impreſſionem Vaticanam anni 1718. pag. 343: & quamvis ab aliquibus alias dubitatum fuerit, utrum verba Anaſtaſii = Et aliud quidem opus ante fores hujus venerandę Baſilicę valde optimum peregit: quia ſacra pridem, quę latebant populis, limina ſummo ſtudio omnibus manifeſta conſtituit, cum pulchre decoros ibidem Arcus a fundamentis conſtrueret, quos etiam variis picturis nitide decoravit = explicanda ſint & intelligenda de Porta Sancta an potius de Scalis Sanctis, ut videri poteſt apud Cardinalem Baronium ad annum Chriſti 844. ſub num. 13.; ceſſare nihilominus dicenda eſt quęlibet dubitatio, poſtquam Paſchalis Papa II. in ſua Bulla, edita anno 1099., quęque in authentica forma ſervatur in Archivio Lateranenſi, clare & dilucide dixit, Sergium Papam II. ſuum Anteceſſorem conſtituiſſe Sacra Limina, ſeu venerabiles gradus Sanctarum Scalarum ante Eccleſiam Lateranenſem. Cum itaque Sacra Limina, ſeu venerabiles gradus, quos Hieroſolymis Jeſus Chriſtus Dominus Noſter ſuis greſſibus, & ſanguine conſecravit, dudum Laterani latentes, in ſui Pontificatus primordiis ante fores Eccleſiæ Lateranenſis ſponſæ Noſtræ in Scalam vulgo Pilati dictam adaptaverit, Arcuſque ibidem ab eodem erectos devotis picturis exornaverit &c. A Sergio II. ad Cæleſtinum III. nulla quoad locum Scalarum Sanctarum facta eſt mutatio: at hujus Pontificis tempore facta eſt earum collocatio ante Sacrum Patriarchium juxta porticum Lateranenſem, ut ſextis potiſſimum feriis, & Hebdomada majori libere poſſent homines Baſilicam ingredi Conſtantinianam, in quam memoratis intrare non poterant diebus propter multitudinem ad Scalas Sanctas accedentium: quæ uti dictum eſt, ſitæ erant ante Baſilicam, ſicuti refert Nicolaus Proceſſi Eccleſiæ Lateranenſis Beneficiarius circa annum 1362. in ſua Additione ad Relationem Abbatis Megiſti. Tantam legimus fuiſſe copiam Virorum, & Mulierum ad iſtos gradus Scalæ Pilati venerationem genulantium Fidelium, ut ingreſſus ad Baſilicam Lateranenſem adeo difficilis eſſet, maxime feriis ſextis, & Hebdomada Majori, ut Cæleſtinus III. Filius Petri Bubonis de Domo Urſina ante Sacrum Patriarchium Lateranenſe ipſam Scalam Pilati transferret, ibidem fuſis etiam valvis æneis. Inter Cæleſtinum III. & Sixtum V. Summos Pontifices Urbis excidia, direptiones, & aliæ acciderunt calamitates: & ita quidem, ut Scalarum Sanctarum ſtatus eo redactus eſſet, ut provida translatione, & nova magnifica collocatione indigeret: quapropter Sixtus Nobile illud, quod adhuc extat, conſtruxit Ædificium & Sanctarum Scalarum gradus diſpoſuit ante Cappellam toto Orbe celeberrimam, quæ dicitur Sancta Sanctorum: uti legitur in Bulla 105 ejuſdem Sixti in Bullario Romano. Scalis ergo Sanctis in loco, in quo nunc ſunt, authore Sixto Pontifice conſtitutis, ſimulque quatuor aliis conſtructis Scalis, binis videlicet ad dexterum, aliiſque binis ad ſiniſtram, tum ne quis per eaſdem Scalas Sanctas, niſi orandi tantum cauſa & genibus flexis tranſiret, tum ne Chriſtifideles ex omnibus Mundi partibus concurrentes in aſcenſu, & deſcenſu ſeſe invicem impedirent, & ante omnes memoratas Scalas ædificata ſpectabili Porticu ferreis cratibus ſepta; longęvi temporis curſus, & frequentiſſimi per Scalas Sanctas aſcenſus nedum effecerunt ut Sanctiſſimi Dominici cruoris veſtigia, quæ tempore Sixti extabant, (ut ex ejus Bulla deprehenditur) non modo nudis Sacrorum pedum plantis, ſed eo ipſo, quem pro nobis effundebat, inæſtimabili Sanguine aſperſit, ſimulque glorioſi, Beatorum pedum, & cruoris, ex Sanctis vulneribus copioſe manatis veſtigiis, quæ adhuc extant, impreſſas, ac notatas reliquit, amplius non extent, ſed etiam, ut octavus una cum nono & decimo ex Scalarum gradibus ſit ad nihilum fere redactus, & in omnibus aliis gra-

dibus ex impreſſione genuum, & calceamentorum contactu, tales foveæ apertæ ſint ut difficilè ſit, illis genua imponere poſſe. Haſtenus Eminentiſſimus Author: ex quo conſulto hæc duximus referenda, ut omnibus pateat quam merito Summi Pontifices tam indigenas, quam peregrinos, qui ſemper confluxerunt atque aſſidue confluunt ad Paſſionis Chriſti veneranda veſtigia, hos Scalæ gradus devote aſcendentes, ibique orantes pluribus Indulgentiis locupletaverint. Prætermiſſa enim valde de veritate ſuſpecta Indulgentia unius anni a D. Sylveſtro facta, atque ad duos annos aucta a D. Gregorio Magno pro unoquoque gradu iis, qui detecto Capite in dicta Scala devote oraverint, cujus meminit Abbas Megiſtus in narratione præallegata ab Eminentiſſimo Lambertino: aliaque trium millium annorum, & totidem quadragenarum, necnon remiſſionis tertiæ partis peccatorum, in Tabula magna Lateranenſi deſcripta *col.* 2. §. *In Cappella S. Sylveſtri*; certum tamen eſt Leonem IV. qui inauguratus fuit Pontifex anno DCCCXLVII. Fidelibus pro unoquoque gradu, quem orantes devote eſſent aſcenſuri, trium annorum Indulgentiam conceſſiſſe: idque Paſchalem II. confirmaſſe, qui fuit electus Summus Pontifex anno MXCIX. adjecta ſex annorum Indulgentia pro unoquoque gradu iis, qui genibus flexis majori devotione excitati eam aſcendiſſent.

Ad aſtruendam fidem hujuſmodi conceſſionibus, libet Paſchalis II. Bullam afferre = *Paſchalis Epiſcopus Servus Servorum Dei in perpetuum. Ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigium, jam primum a Deo, nullo meritorum ſuffragio, ſed ejus inſcrutabili conſilio evocati, illud præcipue in corde habuimus, ut Sacris monumentis debiti honoris a nobis extaret obſequium. Cum itaque Sacra Limina, ſeu venerabiles gradus, (quos Hieroſolymis Jeſus Chriſtus Dominus noſter ſuis greſſibus, & Sanguine conſecravit) dudum Laterani latentes fel. rec. Sergius Secundus Prædeceſſor noſter in ſui Pontificatus primordiis ante fores Eccleſiæ Lateranen. Sponſæ Noſtræ in Scalam vulgo Pilati dictam adaptaverit, arcuſque ibidem ab eodem erectos devotis picturis exornaverit, & Beatæ memoriæ Leo Quartus etiam Prædeceſſor Noſter Indulgentiis inſigniverit, trium videlicet annorum pro quolibet gradu orando ſcandentes acquiſituri; Nos ad augendam erga præfatam Scalam intuitu Dominicæ Paſſionis Fidelium Religionem, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Apoſtolorum ejus Petri, & Pauli auctoritate confiſi, tenore præſentium, prædictas Indulgentias confirmamus: illis vero, qui majori devotione accenſi, congenulati per ipſam aſcendent, toties quoties hoc fecerint, ſex inſuper annos pro ſingulo quoque gradu de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Laterani Nonis Auguſti Pontificatus noſtri anno primo* = Cum vero Paſchalis II. die 13. Menſis Auguſti anno MXCIX. fuerit electus Summus Pontifex, teſte Pandulpho Piſano ejus vitæ Scriptore; fateri neceſſe eſt, hanc Bullam editam fuiſſe anno MC. paucis diebus antequam primum ſui Pontificatus annum expleret. Extat vetuſtiſſimum hujus Bullæ exemplar in Archivio Lateranenſi in Armario XIV. in Capſula ſignata littera *G.* una cum tranſumpto authentico, quod ne temporum injuria aut vetuſtate penitus corroderetur, jubente Lateranenſi Capitulo de verbo ad verbum tranſcriptum fuit a Simio Notario Eminentiſſimi Vicarii Urbis, & ipſius Capituli: ut apparet ex actis ejuſdem.

Hinc ad normam Scalæ Sanctæ, quæ prope Sanctum Joannem Lateranenſem colitur, aliæ extra Urbem tum intra tum extra Italiam conſtruuntur: utque fructuoſius memoria Paſſionis Chriſti recolatur, Theſaurus meritorum Chriſti, & Sanctorum per Indulgentiarum conceſſionem devote eas flexis genibus aſcendentibus, ibique orantibus aperitur. Quatuor Plenariæ in quatuor anni diebus ab Ordinario deſignandis confeſſis; & Sacra Communione refectis concedi ſolent: aliis vero diebus pro qualibet vice centum dierum.

Attenditur tamen, ne Scala ſit addicta prophanis uſibus, ſed divino cultui duntaxat, orantibus ſcilicet, eamque devote flexis genibus aſcendentibus ſit deſtinata: alias Indulgentiæ non conceduntur. Inſuper quod in eadem Regione hujuſmodi Indulgentiæ non fuerint conceſſæ: ne

ob

ob Scalam publice nóviter erectam confluentium devotio ad jam pridem conſtructam minuatur: ideoque in Congregatione Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum habita ſub die 4. Octobris MDCCXXXI. prævia Ordinarii Informatione, quod Scala Sancta in Eccleſia Clericorum Regularium Scholarum Piarum noviter erecta, quatuor leucis Polonicis ab alia exiſtente in Eccleſia Patrum Minorum de Obſervantia Conventus Coluvienſis nuncupati, diſtaret; his pro illius demolitione inſtantibus, nedum ſtatutum fuit eam non eſſe demoliendam, ſed reſcriptum fuit *Pro gratia Indulgentiarum*.

Habes hic formam Conceſſionis prædictarum Indulgentiarum = *Univerſis Chriſtifidelibus præſentes Literas inſpecturis &c. Ad augendam &c. Omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Scalam in Eccleſia N. Civitatis N. adinſtar Scalæ Sanctæ de Urbe (ut aſſeritur) conſtructam, & Orationi tantum deſtinatam, in quatuor anni diebus, per Ordinarium ſemel tantum deſignandis, flexis genibus pie aſcenderint, ibique pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; quo die prædictorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam ac remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero anni diebus, Scalam hujuſmodi ut ſupra aſcendentibus, & ibidem ut præfertur orantibus, quacumque vice id egerint, centum dies de injunctis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Præſentibus ad ſeptennium tantum &c. Volumus autem quod dicta Scala aliis uſibus non inſerviat: quodque pro impetratione &c. præſentes Literæ nullæ ſint &c.*

ARTICULUS IV.

De Indulgentia Altaris Privilegiati.

PLura in hoc Articulo de Altari Privilegiato ſeſe offerunt exponenda. Primum quid ſit Altare Privilegiatum: & quid ſpectet ad Sacerdotem in eo celebrantem? Secundum, quæ in eo Miſſa dicenda ſit, vivorumne an Defunctorum ad acquirendam Indulgentiam Plenariam per modum Suffragii pro Defunctis? Tertium, qui nam ſit mos & ſtylus concedendi Altare Privilegiatum? Quartum, quando & quomodo concedatur dictum Altare præter ſtilum? Quintum, quomodo definienda ſint dubia, quæ hujus privilegii ſubſiſtentiam concernunt?

§. I.

Quid ſit Altare Privilegiatum: & quid neceſſarium ſit, ut Sacerdos in eo celebrans Indulgentiam Plenariam pro Defuncto per modum ſuffragii lucretur?

ALtare juxta Iſidorum *lib. 15. Orig. cap. 4.* ab altitudine, quaſi alta Ara nominatum, ſeu uti ab Archidiacono *de Conſecrat diſtintione 1.* quaſi *Alta res in qua Sacerdos adolebat incenſum*, quum ſit Privilegiatum, in quo a cœteris diſtinguitur; annexum habet privilegium Apoſtolica auctoritate conceſſum, ut agente ibi Sacerdote incruentum Miſſæ Sacrificium pro aliquo defuncto, ipſius anima, quæ Deo in charitate conjuncta ex hac luce migraverit, Indulgentiæ Plenariæ ſuffragio adjuvetur.

Hoc vero privilegium nequaquam confert Sacerdotibus poteſtatem, vel diſtribuendi Eccleſiæ Theſaurum ex meritis Chriſti, atque abundantibus Sanctorum ſatisfactionibus congregatum, vel facultatem Indulgentiam communicandi Defunctis, prius ipſiſmet Sacerdotibus ab Ap-

Apoſtolica Sede conceſſam, juxta dicta *prima parte cap. 4. artic. 2.*: ſed ex vi illius ſpectat ad Sacerdotes ibi celebrantes defunctorum animas deſignare, in quarum favorem velint Indulgentiam per modum ſuffragii a ſummo Pontifice conceſſam diſtribui, & applicari: & quia ad hujuſmodi animæ deſignationem ſuffragii applicatio ſubſequitur; ideo communiter dicimus, Sacerdotes in Altaribus Privilegiatis Miſſam celebrantes habere facultatem applicandi Indulgentiam pro Defunctis. Cœterum Summus Pontifex defert illud ſuffragium, Theſaurum Eccleſiæ diſpenſando, ac ex illo partem offerens, Divinam deprecatur Majeſtatem, ut prædictæ diſpenſationis intuitu defunctorum animæ fructum percipiant.

Gabriel Wiel, qui Expoſitionem Canonis Miſſæ circa annum MCCCCXC. exaravit, *lect.* 57. retractata ſententia, quam in antecedenti Lectione fuerat ſecutus, nempe Eccleſiæ conſuetudinem applicandi Indulgentias pro defunctis nequaquam probari; inter plurima hujuſmodi conceſſionum exempla quæ ab Apoſtolica Sede emanaverant, meminit Indulgentiæ Plenariæ pro quinque Miſſis in Altari Columnæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti, exiſtente in Eccleſia S. Praxedis de Urbe. *Paſchaſius V.* (lege Paſchalis I.) *qui electus fuit Pontifex anno DCCCXVII, dedit Indulgentias Plenarias per modum ſuffragii, quas undecim Summi Pontifices confirmaverunt, ut legitur in litera authentica in introitu Cappellæ Eccleſiæ S. Praxedis de Urbe, in qua continetur Columna, ad quam Salvator in domo Pilati ligatus fuerat, ſub hac forma: Quicumque celebraverit vel celebrari faciet quinque Miſſas pro anima parentis, vel amici exiſtentis in Purgatorio, dictus Paſchaſius dat remiſſionem Plenariam per modum ſuffragii tali animæ: & ibi habetur, quod dictus Paſchaſius poſt mortem cujuſdam ſui nepotis dictas quinque Miſſas pro anima nepotis ſui in ipſa Cappella celebravit, & poſt celebrationem quintæ Miſſæ, dum eſſet adhuc in Altari, apparuit ſibi ſupra Altare in teſtitudine feneſtræ, quæ eſt ante Altare, Virgo Maria, viſibiliter extrahens nepotis animam e Purgatorio. Hæ authenticæ ſcripturæ leguntur in introitu dictæ Cappellæ* = Idem Privilegium aliis Altaribus quarundam Eccleſiarum Urbis conceſſum refert Joannes de Palz Ordinis Eremitarum S. Auguſtini in ſua *Cœlifodina in appendice q. 9.* ex Inſtrumento a Rmo Raymundo S. R. E. Cardinali Legato in Germania Alexandri VI., ſibi tranſmiſſo prædicanti Indulgentias in Miſnia = *Quantum ad tertium*, ait (videlicet de auctoritate concedendi Indulgentias pro Defunctis) *videatur publicum Inſtrumentum, quod Reverendiſſimus Dominus Raymundus Legatus ſub prima ejus promulgatione Jubilei fecit confici in Urbe Romana per Notarium & teſtes, qui ſingulas Eccleſias in Urbe viſitarunt; & ubi aliquid de Indulgentiis repererunt conceſſum, & quomodo a Summis Pontificibus fuerunt Indulgentiæ conceſſæ animabus in Purgatorio detentis in perpetuum duraturæ. Primus locus, ut dicunt in Inſtrumento, eſt Eccleſia Sanctę Pudentianæ, quæ eſt ſituata prope Eccleſiam Sanctæ Mariæ Majoris; in qua quidem Eccleſia retro magnum Altare eſt Cappella, in qua ſic ſcriptum invenerunt: Hęc eſt illa Sacratiſſima Cappella, in qua Princeps Apoſtolorum, ſcilicet Sanctus Petrus, ſuam primam celebravit Miſſam: habetque eadem Cappella gratiam, ut quicunque celebraverit, vel celebrari fecerit unam Miſſam in illa Cappella, liberet unam animam a pœna Purgatorii, ut patet in Bulla. Secundus locus eſt Eccleſia Sanctæ Praxedis, quæ etiam eſt ſituata prope Eccleſiam Beatæ Marię Majoris: in qua quicumque celebraverit, vel celebrari fecerit quinque Miſſas, liberat unam Animam de Purgatorio. Tertius locus eſt Eccleſia Sancti Laurentii extra muros: quam Eccleſiam ſi quis viſitaverit in omnibus diebus Mercurii per totum annum, habet a Deo, & Sanctis Laurentio, & Stephano iſtam gratiam extrahendi unam animam de Purgatorio. Beatus Pelagius Papa, & Calixtus, & alii quamplures Summi Pontifices confirmarunt. Quartus locus eſt Eccleſia Sancti Sebaſtiani etiam extra muros, in qua eſt ſcriptum: Apud Altare, in quo eſt reconditum Corpus Sancti Sebaſtiani Martyris: & in omni Miſſa, quæ celebratur ſuper eodem, liberatur una anima de Purgatorio. Quintus locus eſt quædam Cappel-*

pella, *vocata Scala Cœli*, *ſituata juxta Eccleſiam ad tres fontes extra Muros*, *ubi decollatus fuit Sanctus Paulus Apoſtolus*, *in qua Cappella ſic ſcriptum eſt*: *Hæc eſt ſecunda Cappella quæ fuit fundata in toto Mundo ad honorem Beatæ Mariæ Virginis*, *& vocatur Scala Cœli*, *ſuper quam meruit S. Bernardus videre Scalam erectam uſque ad Cœlum*, *in qua quicunque celebrant*, *vel celebrari faciunt pro animabus exiſtentibus in Purgatorio*, *meritis ejuſdem B. M. V. dictæ Animę cito liberantur*.

Sed quidquid ſit an tanta ſit Altarium Privilegiatorum antiquitas, & an ex dicto Inſtrumento, nec non ex inſcriptione Cappellæ Eccleſiæ Sanctæ Praxedis, cujus meminit Wiel, authenticis poſſit monumentis demonſtrari; hoc pro certo habendum eſt, non fuiſſe Gregorium XIII. eorundem Authorem, ut falſo nonnulli Scriptores exiſtimarunt: cum Julii II. ætate qui fuit Summus Pontifex renunciatus anno MDI, Altariis Privilegiati uſus viguerit. Extant enim ejus literæ in forma Brevis, editæ ſub die 1. Martii MDLII. & in Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum exhibitæ in forma authentica pro earundem confirmatione a Clemente XII. obtinenda, ſub die 20. Jannarii MDCCXXXIII., in quibus inter cæteras Indulgentias, inſtante Joanne III. Luſitaniæ Rege Confraternitati ſub titulo *de Miſericordia* erectæ Goæ, conceſſas, reperitur Altare Privilegiatum ſub hac forma = *Concedimus*, *ut Miſſę omnes*, *quas Confratres celebrare faciunt in altari Majori dictę Confraternitatis pro Animabus parentum ſuorum valeant ipſis applicari per modum ſuffragii*: *atque pro eiſdem lucrentur eaſdem Indulgentias*, *perinde ac ſi forent celebratę Romę in Altari S. Gregorii*.

Quæres tamen 1.° An pro acquirenda Indulgentia Altaris Privilegiati, ſufficiat duntaxat Miſſæ Sacrificium celebrare ex intentione lucrandi Indulgentiam per modum Suffragii pro defuncto: vel etiam neceſſario exigatur applicatio dicti Sacrificii pro eodem Defuncto?

Reſpondemus exigi etiam Sacrificii Miſſæ applicationem pro Defuncto: quia Sedes Apoſtolica iis animabus defunctorum vult Indulgentiarum ſuffragium deferri, pro quibus Miſſæ Sacrificium applicatur: & hoc expreſſe conſtat ex forma conceſſionis hujuſmodi privilegii, ibi = *Quandocunque Sacerdos Miſſam defunctorum pro anima cujuſcunque fidelis ad præfatum Altare celebrabit*; *anima ipſa de Theſauro Eccleſię Indulgentiam conſequatur* = Quod etiam tradit Suarius *in* 3. *par. D. Thom. tom.* 4. *diſp.* 53. *ſect.* 4. *n.* 3. = *Verba reſcripti*, inquit, *ſeu privilegii attente expendenda ſunt*: *nam ſi hunc tenorem contineant*; *dicendo aut offerendo Miſſam pro defuncto liberes ejus animam a Purgatorio*; *tunc neceſſarium erit fructum Sacrificii tali animæ in particulari applicare* = Non improbabile tamen arbitramur, quod ſubdit laudatus Doctor, quod ſi in Literis Apoſtolicis hæc forma adhiberetur = *Dicendo Miſſam*, vel *quoties Sacerdos Miſſam dixerit*; *toties liberet unam animam a Purgatorio*; = tunc ex vi hujuſmodi verborum ſatis eſſe pium illud opus exercere, etiamſi pro defuncto Sacrificii fructus non applicetur, ſed duntaxat Indulgentiæ beneficium.

Quod ſi obiiceres noſtram reſponſionem pugnare cum generali doctrina tradita *p.* 1. *cap.* 14. *art.* 8. de Indulgentiis per modum ſuffragii pro Defunctis applicandis, cum ex ibi dictis ad eas acquirendas neceſſe non ſit opus injunctum prout ſatisfactorium ad defunctorum levamen dirigere; poſſumus reſpondere eam generalem doctrinam eſſe veram abſolute: nihilominus tamen ſi aliud ex mente Summi Pontificis concedentis Indulgentiam conſtet; tunc opus eſſe injuncti operis applicationem ad defuncti animam ordinare. Ideoque Suarius *loco mox cit.* inquit = *Oportet accurate diſtinguere duobus modis poſſe intelligi opus hoc fieri pro animabus Purgatorii*: *primo ad effectum lucrandi Indulgentiam*: *& hoc ut minimum eſt neceſſarium*, *ut concludunt rationes factæ*. *Secundo*, *ut etiam tale opus quatenus ex ſe habet propriam ſatisfactionem vel ex opere operantis*, *vel ex opere operato offeratur pro Anima Purgatorii*, *cui Indulgentia procuratur*: *ut v. g. ſi opus illud ſit jejunium habens ſatisfactionem annexam ex opere operantis*, *quod talis ſatisfactio offeratur pro illa anima*: *& in hoc ſenſu non exiſtimo neceſſarium*, *tale opus fieri pro anima Purgatorii*, *niſi*

niſi in ipſa conceſſione expreſſe declaretur. In conceſſione autem Altaris Privilegiati juxta ſtilum Secretariæ Brevium expreſſe exigitur applicatio Miſſæ pro Defuncto.

Ex quo colliges 1.° Statum gratiæ non exigi in Sacerdote celebrante Miſſæ Sacrificium in Altari Privilegiato, ut Indulgentia Plenaria per modum ſuffragii animæ in Purgatorio exiſtenti deferatur: quia Sacerdos in eo celebrans non eſt in ſe effectum illum Indulgentiæ recepturus, ad quem gratiæ ſtatus requiritur, ſed opus duntaxat injunctum exequitur ad acquirendam Indulgentiam illam animæ, quæ Deo in charitate conjuncta ex hâc luce migravit. 2.° hoc verſari diſcrimen inter Indulgentiam, Miſſæ Sacrificium ex opere operato inſpectum, & quodcunque opus bonum pro pœna temporali ad defuncti utilitatem dirigendum, quod tam Miſſæ Sacrificium quam Indulgentia ex Chriſti meritis ſuum valorem obtineant: opus vero bonum ſive in linea meriti ſive in linea ſatisfactionis conſideretur, ab operante gratia & charitate prædito deſumatur. Et quia in ſtatu peccati lethalis exiſtens, nequit hunc valorem ſuo operi communicare, hinc eſt quod nequit eo mediante aut pro ſe, aut pro aliis ad pœnæ temporalis remiſſionem ſatisfacere: e converſo tam Miſſæ Sacrificium quam Indulgentiæ cum non a Sacerdote ſuum valorem recipiant, quantunvis Sacerdos in Altari Privilegiato celebrans ſit in ſtatu peccati lethalis; adhuc poteſt Defunctis in Purgatorio exiſtentibus ſuffragium afferre.

Quæres Secundo. An Sacerdos obligatus celebrare ad Altare Privilegiatum a conferente eleemoſynam ſatisfaciat ſuæ obligationi celebrando Miſſam in alio Altari, & applicando Indulgentiam Defuncto ex calculo, vel medalia provenientem?

Diana *Tom. 9. tract. 2. de Altaribus Privilegiatis Reſol. 12.* Reſpondet affirmative = *Quia* (inquit) *iſte Sacerdos non violavit fidem datam niſi materialiter: nam formaliter loquendo iſte implevit Teſtatoris voluntatem, quæ aliud non intendebat niſi liberari a flammis purgantibus: quum liberationem celebrans & utens numiſmate, vel calculo privilegiato æquipollenti medio, a Deo impetrat. Neque verum eſſe credimus damnum aliquod inferri animę teſtatoris; quia vel hoc damnum ſequitur illi ratione inæqualis ſacrificii; & hoc non: quia Miſſa in utroque Altari facta ejuſdem eſt valoris. Vel attenditur hoc damnum, eo quod aliud Altare in quo celebravit non ſit privilegiatum; & hoc non: quia liberatio a purgantibus pœnis medio calculo vel numiſmate a Papa benedicto, eſt æque certa, infallibilis, atque ejuſdem prorſus utilitatis cum illa, quæ medio Altaris privilegio habetur. Neque refert quid ex æquipollentibus fiat l. final. ubi gloſſa ff. mandati. Et licet inæqualis eſſet certitudo inter numiſmatis & Altaris privilegium; attamen non cogor eligere certiorem partem, ſed ſufficit probabilem eligere, vel me non habere rationabile dubium, tale numiſma non eſſe privilegiatum, cum illud acceperim a fide digno* = Dianæ conſentit Hieronymus Garzias *in Summa Morali in. 3. diſt. 11. dub. ult. n. 24.* Rubeus *de Sacrificio Miſſæ lib. 3. diſp. 2. queſt. 2. dub. 5. n. 10.*

Reſpondemus nos negative cum Lezana *in ſumma queſtion. moral. verbo Miſſa n. 45.* Cardinali de Lugo *de Sacram. diſp. 27. n. 39.*: nedum quia Indulgentia Medaliis aut Coronis affixa non eſt plerumque ita authentica, nec tanta gaudeat certitudine, quanta reperitur in Altari privilegiato: verum etiam, & potiſſimum quia volens Miſſam in Altari Privilegiato celebrari, non determinavit Miſſam utcunque, ſed illam, habentem annexam ex Summi Pontificis conceſſione Plenariam Indulgentiam: adeoque in alio Altari celebrans, & applicans per modum Suffragii Indulgentiam pro Defuncto, in hoc caſu nedum materialiter, ſed etiam formaliter fidem violaret, quam omnino ſervare deberet eleemoſynam conferenti.

§. I. Quæ

§. II.

Quæ Miſſa dicenda ſit in Altari Privilegiato pro Defunctis ad acquirendam Indulgentiam Plenariam per modum ſuffragii animæ exiſtenti in Purgatorio?

Certum eſt ex dictis in ſuperiori §., oportere Miſſæ Sacrificium in Altari Privilegiato celebrandum defuncto per Sacerdotem applicari, ut Indulgentiæ Plenariæ affixæ dicto Altari ſuffragium deferatur. Verum difficultate non vacat an ad id Miſſa de Requiem indiſpenſabiliter requiratur, vel etiam de Feſto currenti, aut de feria celebranda ſufficiat cum expreſſe in Literis Apoſtolicis Miſſa de Requiem non exprimatur: ut habetur ex verbis, quibus ut inplurimum hæc privilegia concedi conſueverunt, & nunc concedi ſolent = *Concedimus ut quoties Miſſa ad prædictum Altare celebrabitur pro anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit; ipſa de Theſauro Eccleſiæ Indulgentiam conſequatur?* =

Per utranque Miſſam percipi a Defuncto Indulgentiæ Plenariæ ſuffragium, docuit Navarrus in *tom. 2. conſilior. lib. 5. de pœnit. & remiſſ. conſil. 37.* hoc enim ſibi propoſito dubio = *Reſpondeo*, inquit, *quod ad præfatam Indulgentiam quærendam, vel impetrandam pro anima defuncti, ſufficit quælibet Miſſa tam de Sancto, quam de feria, quam de defunctis. Tum quia beneficium principis late interpretandum eſt, modo non ſit ambitioſum. Tum quia Bulla D. N.* (Gregorii XIII.) *generaliter ſine reſtrictione concedit præfatam Indulgentiam pro qualibet Miſſa ſine reſtrictione ad Miſſam de defunctis, vel de aliquo Sancto, vel feria: & diſpoſitio generaliter loquens, generaliter eſt intelligenda. Tum quia omnes Miſſæ ſunt æqualis valoris quoad valorem, quem ex opere operato operantur. Tum quia licet valor Miſſæ pro defunctis valeat aliquid amplius quoad valorem operis operantis, ea ratione, quod totus fere tenor ejus reſonet defunctorum commemorationem; alio tamen reſpectu valet minus, quia brevior eſt, & brevius & minus attente ut plurimum dicitur, quam alia: illo item, quod frequenter memoria novi Sancti, & novitas officii auget devotionem miſſantis, ex qua pendet valor operis operantis. Tum denique, quod frequentiſſime contingit aliquem mori veſpere, vel mane alicujus magni Feſti, cujus animæ deſiderant propinqui opitulari: & non poſſent ope hujuſmodi Miſſæ, quæ eſſet maximum & præſens remedium. Quo fit ut ego, qui habeo privilegium S. D. N. datum, eo quod non exeo domo, ut Miſſa, quam domi dixero pro aliquo defuncto, tantum proſit ei, quantum ſolebat prodeſſe illa, quam dicere ſolebam, cum exibam domo in Altari Privilegiato Sanctiſſimæ Trinitatis; interdum ſoleam dicere Miſſam de defunctis, & frequentius alias, quæ occurrunt de Sanctis & aliquot feriis* = Hactenus Navarrus, qui quantum ad Miſſæ valorem tum ex parte operis operati, tum ex parte operis operantis, cohæret omnino AngelicoPræceptori *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 1. Ad quintum dicendum, quod in officio Miſſæ non ſolum eſt Sacrificium, ſed etiam ſunt ibi orationes: & ideo Miſſæ ſuffragium continet duo horum, quæ hic Auguſtinus numerat, ſcilicet orationem, & Sacrificium. Ex parte igitur Sacrificii oblati Miſſa æqualiter prodeſt defuncto, de quocunque dicatur, & hoc eſt præcipuum quod fit in Miſſa: Sed ex parte orationum magis prodeſt illa, in qua ſunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iſte defectus recompenſari poteſt per majorem devotionem, vel ejus qui dicit Miſſam vel ejus qui facit dici, vel iterum per interceſſionem Sancti, cujus ſuffragium in Miſſa imploratur.* = Sed ea, quæ peculiaria ſunt Miſſæ de Requiem, plurimumque conferunt ad valorem ex parte operis operantis, per Miſſam de Feſto currenti poſſe ſuppleri, non eſt communiter apud omnes receptum = *Videat Lector* (inquit Vendelinus Stambachus Burzbachenſis), *ſi opus operans totius Eccleſiæ, quæ ſpecialiter hoc officium pro defunctis inſtituit, poſſit compenſari, & quando merito perſonali, & opere operantis unius*

Miniſtri: eſt enim Eccleſia Fidelium multitudo ..... Forte ſi pauci eſſent de Eccleſia, & præcellens ſanctitas Miniſtri; procederet id commune dictum Doctorum, ne ope orationes Eccleſiæ pro mortuis in Miſſa de Requiem devotione Sacerdotis compenſari: verum ita raro contingit interceſſione Sancti animam a Purgatorii pœnis liberari, ut ſi quando auditum ſit, miraculo ſimile reputetur: ſed orationes in Miſſa defunctorum cum Eccleſiæ nomine recitentur, Deo ſere acceptæ ſunt uti omnes fatentur.

Proſper Fagnanus olim Sacræ Congregationis Concilii a Secretis in *commentar. ad 3. lib. Decretal. in cap. quidam de celebr. Miſſar. n.* 28. in hujus difficultatis deciſione ſubſcribit Navarro = *Cum privilegii verba nihil aliud requirant, niſi ut ad dictum Altare celebretur Miſſa pro anima cujuſvis Fidelis; utique verba hujuſmodi verificantur etiam in dicente ad dictum Altare Miſſam de Sancto, ſi illam integram celebrans offerat pro anima defuncti. Ergo & diſpoſitio verificabitur l. 1. §. bis qui navem ff. de exercit. & l. non aliter ff. de leg. 3. Angelus Aretinus conſ. 31. viſo ſupradicto n. 2 Paulus de Caſtro conſ. 154. ſuper primo quæſito in princ. lib. 1. Secundo per privilegium hoc exigitur tantummodo in genere, ut Miſſa pro defuncto celebretur. Ergo electio erit ipſius debitoris l. comprehenſum, ff. de contrahen. empt. modo id quod ſolvitur, ſit integrum, ſeu utile, ut notat ibi Gloſſa. Facit inſtit. de legatis, § ſi generaliter, & regula in alternativis, de regul. jur. lib. 6. cum ſimil. Sive igitur ſolvatur Miſſa de Requiem, ſive de Sancto, vel feria; cum præſtetur id, ad quod quis eſt obligatus, conſequens eſt ut liberatio ſequatur & Indulgentia obtineatur d. l. 3. de ſtat. lib. Et cum privilegii verba ſint generaliter ſine diſtinctione concepta; non debemus nos ea reſtringere, nec diſtinguere: vulgata l. de pretio ff. de public. in rem act. Unde S. Antoninus, Sylveſter, & alii ſupracitati nu. 6. tenent, in ſimili ſatisfieri præcepto de audienda Miſſa die feſto, etiamſi audiatur Miſſa de Sancto, vel feria, & non de ipſomet Feſto: quia lex tantummodo nos obligat, ut eo die Miſſam in genere audiamus, & tamen eo caſu articulus erat magis dubitabilis: nam dum Eccleſia præcipit, ut audiamus Miſſam die feſto, videtur quodammodo velle, ut audiamus Miſſam ab Eccleſia inſtitutam pro honore dicti Feſti, ſeu Sancti: adeo ut propterea Angelus & alii tenuerint non ſatisfieri præcepto de audienda Miſſa de Officio currenti, ut dixi eod. n. 6........ Ex quibus videtur concludendum pro conſecutione liberationis animæ Purgatorii ſufficere, ſi pro eadem anima celebretur Miſſa de Feſto, vel etiam de feria, imo & votiva de Sancto: nam qui applicat tale ſacrificium defuncto, vere dicitur Miſſam celebraſſe pro anima talis defuncti, & hoc ſufficienter probatur hic in illis verbis: ſed ſi voluerit, ut ſibi Miſſæ cantentur, de eodem die Miſſas audiant pro ſalute vivorum, & etiam defunctorum: Ex quibus innuitur, ut qui celebrant Miſſam de Feſto, ſi offerant pro ſalute animæ defuncti; dicantur celebraſſe Miſſam de defuncto, ut latius dictum eſt ſupra in 3. not. & hoc etiam habet communis uſus loquendi: qui enim petunt Miſſam de Requiem ſolent dicere, dicite mihi Miſſam defunctorum.* =

Hæc autem argumenta quanquam olim reddiderint Navarri & Fagnani opinionem ſpeculative probabilem; oppoſitum tamen tenendum arbitramur: quia cum mens Summi Pontificis perſpicue non innoteſcit, operæ pretium eſt formam conceſſionis privilegii ſecundum Canones interpretari: ut habetur *cap. Eccleſia veſtra il ſecondo de elect.* verba autem conceſſionis Altaris Privileg., nimirum = *concedimus ut quoties Miſſa ad prædictum Altare celebrabitur pro anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta hac luce migraverit; ipſa de Teſauro Eccleſiæ Indulgentiam conſequatur:* = obligationem important celebrandi Miſſam de Requiem: cum in ſacris Canonibus hæc vel ſimilia verba: *celebretur Miſſa pro Defunctis*: de dicta Miſſa intelligantur *can. ſufficit de conſecrat. diſt.* 1. ibi = *Quidam tamen pro defuncto unam Miſſam faciunt, & alteram de die* = ubi ea verba *Miſſam pro defuncto* idem important quod Miſſa de Requiem. Quamobrem Abbas *conſil. 99. incipiente Videtur primo, vol* 2. concludit, Miſſas debere celebrari de Requiem,

quiem, quia talis præſumitur mens teſtatoris in caſu legati facti per hæc verba = *Quod omni die poſt mortem ejus pro anima ipſius teſtatoris in perpetuum celebrari debeant triginta Miſſæ mortuorum per triginta Presbyteros* = Et profecto obſervatione dignum eſt, aliud eſſe Miſſam pro defuncto applicare, aliud vero Miſſam pro anima defuncti celebrare. Sacerdotem celebrantem Miſſam de Feſto currenti, vel feria, eandem applicare poſſe pro defuncto, dubium non eſt: ſed ita Miſsæ Sacrificium offerentem pro defuncto celebrare, nec admittere poſſumus nec debemus. Ille enim pro defuncto celebrare dicendus eſt, qui eo ritu, & orationibus peculiaribus utitur in Miſsæ celebratione, quas Eccleſia in Miſsa de Requiem ſolet adhibere. Ergo cum velit Summus Pontifex, Altare Privilegiatum forma conſueta concedens, ut Miſsa pro anima Defuncti celebretur = *concedimus ut quoties Miſſa ad prædictum Altare celebrabitur pro anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit; ipſa de Theſauro Eccleſiæ Indulgentiam conſequatur* = recte ejus mens præſumitur atque interpretatur de Miſsa de Requiem. Maxime quia hanc miſſam novimus ab Eccleſia potiſſimum inſtitutam ad liberandum animas a Purgatorii pœnis: ut habetur *cap. Quicunque 26. queſt.* 5., cui ſi regula communis addatur, de qua *in l. Plenum* §. *Equitii de uſu & habitu*, ſcilicet verba eſſe intelligenda ſecundum propriam rei conditionem, de qua pertractatur; perſpicue colligitur, in materia noſtra, quæ ad defunctorum utilitatem emanavit, verbum *Miſſa* de ea eſſe interpretandum, quæ eſt, & dicitur de Requiem. Et noſtra ſententia tanquam omnino certa ab omnibus eſt modo recipienda: quia Sacra Rituum Congregatio in Piſtorien. ſub die 1. Junii anno MDCLXI. & in Toletana ſub die 3. Julii ejuſdem anni declaravit = *Altari Privilegiato pro defunctis debere celebrari Miſſas de Requiem, alias indultum non ſuffragari*.

Caveant tamen Sacerdotes, ne intuitu Indulgentiæ Plenariæ per modum ſuffragii pro defunctis applicandæ, in Feſtis Duplicibus celebrent Miſſam de Requiem in Altaribus Privilegiatis contra Miſsalis Romani Rubricam de non celebrandis Miſſis privatis defunctorum, ob ſequens Decretum Sacræ Congregationis Rituum = *Cum Sanctiſſimus Dominus Noſter in viſitatione Eccleſiarum Urbis acceperit, in plerique Eccleſiis abuſum irrepſiſſe celebrandi Miſſas privatas pro defunctis etiam in Feſtis Duplicibus contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani, eundenque abuſum Decreto Congregationis eliminari præceperit: innotuit vero Sacrorum Rituum Congregationi hujuſmodi abuſum etiam in aliis Eccleſiis ubique gentium exiſtentibus inductum pariter reperiri; Sacra eadem Congregatio, ut Miſſalis Rubricæ inviolate ſerventur, diſtricte præcipit omnibus, & ſingulis Sacerdotibus tam ſæcularibus, quam Regularibus cujuſvis Ordinis Congregationis, Societatis, & Inſtituti etiam neceſſario exprimendis ut inpoſterum dictam Rubricam ſervent, ita ut Miſſas privatas pro defunctis, ſeu de Requiem in Duplicibus nullatenus celebrare audeant vel præſumant. Quod ſi ex benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in Feſtum Duplex; tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit: ſed dicantur de Feſto currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorundem benefactorum. Curentque Eccleſiarum Rectores, Sacriſtæ, aliique ad quos pertinet, ut hujuſmodi Decretum inviolate ſervetur, & in Sacriſtia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conſpici, & legi poſſit. In eos autem, qui contrafacere auſi fuerint, vel præmiſſa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii, tum ſeculares, tum Regulares pro modo culpæ animadvertant. Die 5. Auguſti 1662. Et facta de prædictis Sanctiſſimo relatione, Sanctitas ſua annuit, & cum applicatione Sacrificii ſatisfieri, ac Benefactorum mentem impleri voluit. Eadem die 5. Auguſti 1662. Jo: Epiſcopus Sabinen. Card. Sacchettus. Franc. Maria Phœbeus Sac. Rit. Congr. Secret.*

Sed cum edito hoc Decreto, plurimæ Miſsæ de Requiem ad Altaria perpetuo Privilegiata ex diſpoſitione teſtatorum celebrandæ retardarentur, citra ſpem eaſdem celebran-

 di

di diebus ſubſequentibus; Capitulum Eccleſiæ Oſtunen. has preces exhibuit memoratæ Sacræ Congregationi Rituum, ut huic incommodo aliqua ſuper hac re declaratione oportune provideret = *Il Capitolo della Catedrale d'Oſtuni eſpone umilmente all'EE.VV. come nella Cappella del Santiſſimo Sacramento di detta Chieſa, per eſſer Altar Privilegiato perpetuo conceſſo dalla felice Memoria di Pio V., vi ſono per tutto l'anno quotidianamente Meſſe d'obligo la magior parte de Requiem. E perche nelle riſoluzioni uſcite da queſta Sagra Congregazione ſi vieta il celebrar de Requiem ne giorni de Santi doppii, per il che verrebero a reſtar in dietro gl'adempimenti di Meſſe con poca ſperanza di poter ſupplire in altri giorni; per tanto ſupplica umilmente l'EE. VV. dichiarare, che detto Decreto non comprenda gl'Altari Privilegiati dove ſono peſi continui: o pure dichiarare che ſi ſodisfa a' detti peſi con celebrare del Santo Corrente. Che il tutto &c.* = Quibus precibus reſcribendum exiſtimarunt Eminentiſſimi Patres dictæ Sacræ Congregationis ſub die 27. Novembris MDCLXVI. = *Fiat verbum cum SS. pro Declaratione* = & die 1.ª Decembris facto verbo cum Sanctiſſimo declaravit = *Satisfieri obligationibus, & ſuffragari eiſdem Indulgentiis cum Miſſa de Feſto currenti* = idque confirmatum fuit Literis Apoſtolicis Alexandri VII. ſequentis tenoris = *Creditæ nobis cœlitus diſpenſationis officium ſalubriter exequi adjuvante Domino jugiter ſatagentes, & quam plurima dubia in diverſis partibus orta, & in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris Ritibus Præpoſitorum deducta, occaſione Decreti ejuſdem Congregationis die 5. Auguſti 1662. editi, a Nobis approbati de non celebrandis Miſſis de Requiem in Feſtis Duplicibus, tollere, atque dirimere cupientes; de memoratorum Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus in primis aliud Decretum prædictæ Congregationis editum in una Navaricn. die 22. Novembris 1664. quo declaratum fuit: Anniverſaria & Miſſas cantatas de Requiem relictas ex diſpoſitione teſtamentaria, quotannis in die ipſorum obitus etiam in Duplici Majori contingentes non comprehendi in dicto Decreto: ulterius quod Altaria perpetuo Privilegiata, & in quibus proinde quotidie etiam in Duplicibus celebrandæ ſunt Miſſæ de Requiem ex obligatione, auctoritate & tenore prædictis declaramus: per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti ſatisfieri dictis obligationibus, & ſuffragari cum eiſdem Indulgentiis perinde, ac ſi eſſent celebratæ Miſſæ de Requiem ad formam privilegiorum: Salva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate dictæ Sacræ Congregationis. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXII. Januarii MDCLXVII. Chorinthien.*

Sed ex recitato Alexandri VII. Brevi non levis fuit excitata controverſia inter Doctores: an ſcilicet Alexandri VII. declaratio tam de Altaribus Privilegiatis quotidianis perpetuis, quam de conceſſis ad ſeptennium, & pro aliquibus hebdomadæ feriis eſset intelligenda? Rationes eam controverſiam excitandi erant, quod ex una parte hoc Breve loquebatur duntaxat de perpetuis, in quibus ex diſpoſitione teſtatorum quotidie Miſſæ de Requiem eſsent celebrandæ: ex alia vero eadem ratio, qua ductus Alexander VII. declarationem edidit de Altaribus Privilegiatis quotidianis perpetuis, urgere videbatur in conceſſis ad tempus determinatum: & idcirco in Sacra Congregatione Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum diſcuſſum fuit hoc dubium = *An in Declaratione Alexandri VII. de Altaribus Privilegiatis comprehendantur Altaria Privilegiata, quæ minime perpetua ſunt, ſed ad ſeptennium, & etiam pro aliquibus hebdomadæ diebus conceſſa, ſive ubi Miſſæ celebrantur ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione?* = Cui dubio ab Eminentiſſimis Patribus dictæ Sacræ Congregationis ſub die 2. Julii MDCLXIX. reſponſum fuit = *Quod Privilegia extendantur etiam quoad Altaria Privilegiata ad tempus, & per Sacram Congregationem Rituum fieri extenſionem* = Ut majus robur obtineret prædicta extenſio, Clemens IX. hoc edidit Breve = *Cum felicis recordationis Alexander Papa VII. Præde-*

deceſsor noſter dubia in diverſis Mundi partibus occaſione Decreti Congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium ſacris Ritibus Præpoſitorum die 5. Auguſti 1662. emanati, & ab ipſo Alexandro Prædeceſsore approbati, de non celebrandis Miſſis Defunctorum in Feſtis ritus Duplicis, exorta dirimere cupiens, aliud ejuſdem Congregationis Decretum in una Novarien. die 22. Novembris 1664. editum approbaverit, quo declaratum fuerat: Aniverſaria & Miſsas Defunctorum cantu ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis ipſorum obitus die celebrandas, tametſi dies obitus hujuſmodi in Feſtum ritus Duplicis majoris inciderit, non comprehendi in primo dicto Decreto: ac ulterius quoad Altaria privilegio Apoſtolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie etiam in Feſtis ritus Duplicis celebrandæ eſsent Miſsę defunctorum ex obligatione, declaraverit: per celebrationem Miſsarum de Feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per ejuſmodi privilegia Apoſtolica conceſsas Animabus fidelium defunctorum in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari perinde, ac ſi celebratæ fuiſsent Miſsæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum: & alias, prout in ejuſdem Alexandri Prædeceſsoris Literis deſuper in ſimili forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſerto haberi volumus, uberius continetur: cumque (ſicut ad aures noſtras pervenit) etiam dubitetur, utrum dictorum Venerabilium Fratrum diſpoſitio quoad Altaria pariter quidem privilegiata, ſed non in perpetuum, nec non pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Miſſæ non ex obligatione, ſed ex ſola fidelium devotione celebrantur, locum habebat? Hinc eſt, quod Nos dubitationes hujuſmodi ex injunctæ Nobis cælitus paſtoralis ſollicitudinis munere dirimere pariter, atque decidere cupientes; de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum, qui rem mature perpenderunt, conſilio, declarationem a memorato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc, & in futurum quandocunque Privilegiata auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus: & proinde ut Miſſæ, quæ ibidem de feſto currenti, in quo Miſſæ defunctorum celebrari non poſſunt, ſive ex obligatione, ſive ex ſola fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragentur: ita ut animæ Chriſtifidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas conſequantur in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebratæ fuiſſent, auctoritate, & tenore prædictis, concedimus, & indulgemus &c. Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die 23. Septembris 1669. Pontificatus noſtri anno tertio.

Editis Alexandri VII. necnon Clementis IX. Declarationibus, aliam novimus controverſiam excitatam: num ſcilicet dictæ Declarationes eſſent intelligendæ de diebus Dominicis, aliiſque privilegiatis, quibus juxta Eccleſiæ ritum adhuc Miſſæ Defunctorum, ſeu de Requiem nequeunt celebrari? privilegia enim contra verborum proprietatem non poſſunt interpretari: juxta Gloſſam *in Clement. per Literas de Prębend. verbo directas*: neque ob rationis identitatem extenduntur *Cap. ſane de Privileg.* Alexandri autem necnon Clementis Declarationes tantummodo dies Feſto Duplici impeditos exprimunt, quibus per celebrationem Miſſæ Feſti currentis in Altari Privilegiato perinde defunctis ſuffragetur, ac ſi eſſent celebratæ Miſſæ de Requiem ad formam privilegiorum. Porro ne inpoſterum de Miſſis in Altaribus Privilegiatis celebrandis eſſet dubitationi locus; ventilandum ſibi propoſuit Sacra Rituum Congregatio, ſub die 3. Aprilis anno MDCLXXXVII, ſequens Dubium = *An Declarationes Alexandri VII., & Clementis IX. locum ſibi vindicent in diebus Dominicis, aliiſque privilegiatis, quibus quanvis a Feſto Duplici non impedirentur, adhuc Miſſæ Defunctorum, juxta ritum Eccle-*

Digitized by Google

cleſiæ celebrari non poſſunt : ad quod reſponſum fuit = *Declarationes eſſe intelligendas pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Miſſæ defunctorum celebrari non poſſunt* =Hanc declarationem confirmavit Innocentius XI. per ſequens Breve = *Alias poſtquam felicis recordationis Alexander Papa VII. Prædeceſſor noſter, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditas literas, dubia in diverſis partibus, occaſione Decreti Congregationis tunc exiſtentium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum, die quinta Auguſti 1662. emanati, & ab ipſo Alexandro Prædeceſſore approbati, de non celebrandis Miſſis defunctorum in Feſtis Ritus duplicis, exorta, dirimere cupiens, inter cætera quoad Altaria Privilegio Apoſtolicò pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata: & in quibus proinde quotidie etiam in Feſtis ritus Duplicis, celebrandæ fuiſſent Miſſæ defunctorum ex obligatione, declaraverat per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per ejuſdem Privilegia Apoſtolica conceſſus animabus fidelium Defunctorum in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari perinde, ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ defunctorum, ad formam dictorum Privilegiorum; recolendæ memoriæ Clemens Papa IX. pariter Prædeceſſor noſter aliam ſubinde ortam dubitationem : utrum ſcilicet dictarum Alexandri Prædeceſſoris Literarum diſpoſitio quoad Altaria pariter quidem Privilegiata, ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Miſſæ non ex obligatione, ſed ex ſola Fidelium devotione celebrarentur, locum haberet : ſimiliter tollere deſiderans; Declarationem a memorato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur non in perpetuum, ſeu ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, ſeu longius tempus, ac in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, tunc & in futurum quandocunque privilegiata, authoritate Apoſtolica extendit : & proinde ut Miſſæ quæ ibidem de Feſto currenti, in quo Miſſæ defunctorum celebrari non poſſent, ſive ex obligatione ſive ex ſola fidelium devotione celebrandæ eſſent, ſuffragentur ita, ut animæ Chriſtifidelium pro quibus celebrantur, Indulgentias per Privilegia hujuſmodi conceſſas conſequerentur in omnibus & per omnia perinde, ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebratæ fuiſſent, eadem authoritate conceſſit, & indulſit, & alias, prout in ipſius Clementis Prædeceſſoris Literis etiam in forma Brevis die 23. Septembris 1669. deſuper expeditis, quarum & præfatarum Alexandri Prędeceſſoris Literarum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem poſtmodum, ſicut accepimus, novum circa præmiſſa excitatum fuerit dubium, videlicet : an ſupradictę Alexandri & Clementis Prædeceſſorum Declarationes, ſibi pariter locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, & infra octavas Paſchatis, Reſurrectionis, Pentecoſtes & Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus licet a Feſto duplici non impediantur; adhuc tamen Miſſæ defunctorum juxta ritum, & morem Eccleſiæ celebrari nequeunt : quatenus nimirum, Miſſæ quas iiſdem diebus celebrare licet, ſervata cæteroquin dictorum Privilegiorum forma, ad præfata Altaria Privilegiata celebrentur : Noſque dubium hujuſmodi Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Prępoſitorum examinandum commiſerimus, ac eadem Cardinalium Congregatio re mature diſcuſſa, nuper per ſuum Decretum die 3. Aprilis proxime præteriti editum præfatas Alexandri, & Clementis Prædeceſſorum Declarationes intelligendas eſſe pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas, Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, reſponderint; hinc eſt quod Nos ex commiſſæ Nobis cœlitus diſpenſationis munere fidelium defunctorum animarum in Purgatorio exiſtentium ſuffragiis per amplius conſulere cupientes, Decretum hujuſmodi a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, Apoſtolica authoritate tenore preſentium confirmamus, & approba-*

bamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Salva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ſupradictæ Congregationis Cardinalium &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die quarta Maji milleſimo ſexenteſimo octuageſimo octavo Pontificatus noſtri anno duodecimo. J. F. Card. Albanus.

Ea, quæ hucuſque ex Sacrarum Congregationum Rituum, & Indulgentiarum Declarationibus, Brevibus Apoſtolicis a Summis Pontificibus confirmatis de Altaribus Privilegiatis ſive ad tempus, ſive quotidianis perpetuis dicta ſunt, nequeunt non perpetuis conceſſis cum clauſula *ad dies non impeditos* congruenter aptari: ut reſpondit Sacra Congregatio Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum, ſub die 16. Julii MDCCXVI.: lex enim favorabilis extendi poteſt, ſi non habeat clauſulam expreſſe limitantem. Cum autem clauſula *ad dies non impeditos* expreſſe, & in terminis reſtringatur ad dies illos ſolos, quibus permiſſum eſt Miſſas de Requiem celebrari; hinc eſt quod reſpectu illorum duntaxat dierum privilegium illud conceſſum intelligatur.

§. III.

Mos & ſtilus Sedis Apoſtolicæ pro conceſſione Altaris Privilegiati.

Citra quamlibet dierum limitationem nulla adhibita conditione taxativa Miſſarum Sæculo decimo ſexto Gregorii XIII. potiſſimum ætate concedebatur paſſim Altare Privilegiatum. Mandavit tamen Paulus V. Summus Pontifex renunciatus anno MDCV., Indulgentiarum moderationi ſedulo inſiſtens, S.R.E. Cardinalibus Aſculano, Baronio, & Perronio, ut ſuper eiſdem inpoſterum reformandis, ac moderandis maturo conſilio pertractarent: qui ita ſtatuendum exiſtimarunt. = *Retinendum quidem eſſe uſum concedendi Altaria hujuſmodi Privilegiata pro Defunctis, ex quo jam in Eccleſia eſt authoritate Summorum Pontificum inductus: verum non paſſim eſſe concedenda, ſed magna tantum ex cauſa, eaque perpetua, ſi privilegium perpetuum detur, & non niſi in locis inſignioribus, quibus hactenus conceſſa non fuerunt* = Hinc Cardinalis Bellarminus data epiſtola ad Antonium Lincurt, ſub die 16. Octobris MDCVI. (relata in Sacra Congregatione Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum ab Abbate Michaele Angelo Riccio, ſub die 5. Julii MDCLXXII.) de nova Altaris Privilegiati conceſſione a Summo Pontifice obtinenda requiſitus, inquit = *Quod de Altari Privilegiato, (ſic enim vulgo dicuntur) petis, omnino arduum eſt, hoc præſertim tempore, quo hic Romæ de moderandis Indulgentiis ſerio agitur: & ſi ullæ ſunt Indulgentiæ, quæ moderatione indigeant; illæ potiſſimum eſſe videntur, quæ ad Altaria Privilegiata ſpectant.*

Modus autem, ſtiluſque, qui nunc ſervatur eſt, ut Altare Privilegiatum quotidianum perpetuum concedatur duntaxat Eccleſiis, ubi dietim quadraginta Miſſæ celebrantur: hæ ſiquidem inter inſigniores merito reputantur.

Quanquam vero hæc lex pro Altari Privilegiato quotidiano perpetuo ſervetur; ubi tamen minor Miſſarum numerus quotidie expletur, præter diem commemorationis omnium fidelium defunctorum, ſinguloſque dies illius octavæ, pro una, aut pluribus feriis cujuslibet hebdomadæ hujuſmodi Privilegium obtinetur (& quidem nullo exhibito ſupplici libello Summo Pontifici) in Secretaria Brevium, ſi in Eccleſia ſeptem Miſſæ dietim celebrentur, pro una Feria: ubi vero quatuordecim, pro duabus: eo vero exhibito libello Sacræ Congregationi Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum pro Eccleſiis, in quibus ſingulis hebdomadæ diebus quotidie quinque Sacerdotes rem Divinam faciunt, pro una feria Altare Privilegiatum conceditur: ubi decem, pro duabus: & hac proportione ſervata numeri Miſſarum, idem datur indultum pro pluribus feriis. Eccleſiis tamen Monialium, etiam ſi de dicto Miſſarum numero doceatur; non ſolet concedi Altare Privilegiatum: niſi fortaſſe ſint Parochiales. Ab hac autem lege excipe Eccleſias Regni Poloniæ, quibus ob Sacerdotum paucitatem, etſi dietim quatuor,

aut

aut tres Miſſæ celebrentur; adhuc a Sacra Congregatione Altaris Privilegiati Indultum pro una Feria: & ubi octo, vel ſex, pro duabus conceditur. Debet tamen certo conſtare Sacræ Congregationi eas Miſſas vere celebrari quotidie in Eccleſiis, quarum nomine proponuntur preces: ideoque exponentibus oratoribus in ſupplici Libello, quinque Sacerdotes plerunque in Eccleſ. N. rem divinam facere ſingulis diebus; petitam S. Congregatio denegat gratiam. Porro ut id certo eidem Congregationi innoteſcat, Ordinarii informatio ſuper certo numero Miſſarum quotidie in Eccleſia celebrandarum, pro qua petitur hæc gratia, debet exhiberi: juxta ſequens Decretum, editum ſub die 29. Januarii anno MDCCXXVIII. *Sacra Congregatio Indulgentiis & Sacris Reliquiis præpoſita cenſuit, inpoſterum non eſſe concedendas niſi cum atteſtatione Ordinarii, illas Indulgentias, quæ largiuntur ob aliquod opus, aut ob aliquas circumſtantias, quæ prius verificari merentur. Itemque obſervandum pro verificatione numeri Miſſarum in concedendis Indulgentiis pro defunctis, ſeu Privilegiis Altarium: nec non de illis Indulgentiis, quæ non ſunt de ſtilo. L. Cardinalis Picus Præfectus. Jo: Archiepiſcopus Tyri Secretarius.*

Ne quemquam lateant conditiones, ſub quibus concedi ſolent per Sedem Apoſtolicam Altarium Privilegia pro Defunctis juxta ſtilum; apponimus hic eorundem formulam. *Omnium ſaluti paterna charitate intenti Sacra interdum loca ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adiutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem per Dei miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur Eccleſiam N. Diœc. N. in qua aliud Altare non reperitur conceſſum, & in ea ſitum Altare per Ordinarium deſignandum*, vel *Sancti N. ad præſens privilegio minime decoratum hoc ſpeciali dono illuſtrare; dummodo in dicta Eccleſia N. Miſſæ N. quotidie celebrentur; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ut quandocunque Sacerdos aliquis ſæcularis, vel Regularis Miſſam defunctorum in die commemorationis defunctorum, & ſingulis diebus intra illius octavam, ac in una feria cujuslibet hebdomadæ per Ordinarium deſignanda*, vel *feriis N. cujuslibet hebdomadæ per Ordinarium deſignandis pro anima cujuſcumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit; anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur: ita ut ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſuffragantibus, a Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus: in contrarium non obſtantibus quibuſcunque. Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris.*

Plura vidimus Brevia Altarium privilegiatorum perpetuorum, limitata duntaxat ad Sacerdotes quarundam Eccleſiarum, pro quibus factæ fuerunt hujuſmodi conceſſiones: ideoque loco illarum particularum = *Sacerdos aliquis ſæcularis vel Regularis &c.* = ſequentes inſeruntur = *Sacerdos aliquis ejuſdem Eccleſiæ duntaxat*: = quibus expenſis conceſſionibus, ſi in dictis Altaribus exteri Sacerdotes rem divinam fecerint; Indulgentiam plenariam per modum ſuffragii pro defunctorum animabus non obtineri, dicendum eſt.

Poſſet hic quæri: An appellatione Sacerdotum Eccleſiæ veniant etiam Confratres Societatis in eadem Eccleſia canonice erectæ?

Reſpondemus negative, quando Preſbyteri Confratres, illius Eccleſiæ redditibus non aluntur: nec eidem aſſidue inſerviunt, ſed domi ſuæ ex ſuo viventes, interdum, ſeu raro in ea Eccleſia ſacrificium offerunt: adeoque tales cenſendi non ſunt Sacerdotes, quos tanquam illius Eccleſiæ Sacerdotes in Brevibus Romani Pontifices commemorant.

Ubi Altaris privilegio pro defunctis, vel pro aliquibus feriis impetrato, ejuſdem extenſio pro aliis feriis, vel aliud perpetuum poſtulatur, ex quo jam conceſſum implendis oneribus ad dictum Altare non ſufficiat; ut in Indulti conceſſione, aut negatione mature deliberans procedat Sacra Congreg. Indulg. & Sacrar. Reliquia-

quiarum, ſi ex Ordinarii informatione deprehendat quæri hujuſmodi Indultum propter Miſſas manuales, ſeu adventitias; gratiam denegat petitam: injungendo obſervantiam Decretorum Urbani VIII. & Innoc. XII. ſuper celebratione Miſſarum, ubi habetur = *Eleemoſynas vero manuales, & quotidianas pro miſſis celebrandis ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant: alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa: Eleemoſyna pro Miſſis: vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur* = Si vero certior fiat ex informatione Ordinarii propter Miſſas perpetuas ex lege Teſtatorum hoc adjecto onere relictas, Altare, aut quotidianum perpetuum, aut pro determinatis feriis conceſſum, non ſufficere; tum ne depereant piæ decedentium voluntates, tum ne Fideles, quod animas Defunctorum privari ſuffragiis videant, a ſimilibus charitatis operibus retrahantur, vel *pro gratia ſecundi Altaris Privilegiati perpetui* reſcribit, vel *pro conceſſione Indulti: ita ut Miſſæ, quæ ad Altare Privilegiatum celebrari deberent, perinde iis diebus, quibus Altare Privilegiatum non viget, ſuffragentur, ac ſi celebratæ eſſent in Altari Privilegiato*: injungendo ne inpoſterum recipiantur onera Miſſarum ad Altare Privilegiatum niſi pro feria, aut feriis, pro qua aut quibus conceſſum eſt Altare Privilegiatum: adjectaque inſuper conditione apponendi tabellam onerum Miſſarum in publico loco, juxta Decretum alias a Sacra Congregatione Concilii editum ſub die 3. Julii anno MDCXXVIII. tenoris ſequentis = *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum benigne annuit petitioni Oratorum, ac cenſuit: ſupradictas eleemoſynas tuto accipi poſſe: dummodo Sacriſta vel Miniſter Miſſarum admoneat ſingulos, qui eleemoſynam offerunt, tam magno celebrandarum numero ſatisfieri non poſſe, ſed tantum participes fore Miſſarum, quæ ſingulis diebus in eadem Eccleſia celebrantur: id vero ut commodius fieri queat, affigatur Tabula loco, quo apponuntur eleemoſynæ, in qua eadem declaratio deſcripta eſt.*

Nunquam vero tertium Altare Privilegiatum conceditur, quanquam duobus perpetuis pro eadem Eccleſia jam impetratis, exponatur in ſupplici libello, adhuc ſatisfieri non poſſe oneribus affixis ad dicta Altaria. Sacra enim Congregatio Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum hujuſmodi precibus reſcribit = *Ut quoad Miſſas quæ ſuperſunt, diſtribuantur aliis Eccleſiis, ubi Altare Privilegiatum reperitur* = diſtricte pariter prohibendo = *ne inpoſterum recipiantur onera Miſſarum ad prædictum Altare* = Cum quandoque contingat a duabus ſocietatibus vel Confraternitatibus Altaris Privilegium pro una, aut pluribus feriis ſub expreſſione certi numeri miſſarum, quæ in eadem Eccleſia dietim celebrantur, pro diverſis Cappellis obtineri cum clauſula = *Volentes Eccleſiam N. in qua aliud Altare non reperitur conceſſum, & in ea ſitum Altare N. ad præſens privilegio minime decoratum hoc ſpeciali dono illuſtrare* = cum ſolitis clauſulis obtineri; ut innoteſcat quid Sacra Congregatio reſcribat ad tollendas excitatas controverſias, erit utile hic referre quid in Veneta reſponſum fuerit.

In Eccleſia Parochiali, & Collegiata Sanctorum Apoſtolorum Civitatis Venetiarum duæ Confraternitates, una videlicet ſub titulo Sanctorum duodecim Apoſtolorum, & altera ſub invocatione Sancti Angeli Cuſtodis canonice erectæ reperiebantur: cum vero unaquæque privilegium Altaris habere contenderet, nec ſatis de facti veritate conſtaret; literæ de more datæ fuerunt a Sacra Congregatione ad Patriarcham Venetiarum ſuper hac re: qui reſpondit ut ſequitur = *Injunctis mihi ab Eminentiis Veſtris obſequendo mandatis, ſuper ſupplici inſerto libello Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ porrecto ex parte & nomine Sæcularis Confraternitatis, quæ ſub invocatione Sancti Angeli Cuſtodis in Eccleſia Parochiali, & Collegiata Sanctorum Apoſtolorum canonice erecta reperitur,*

Apoſtolicum Indultum Altaris Privilegiati impetratum ab altera ſæculari, antiquiori tamen Confraternitate, ſub invocatione duodecim Apoſtolorum in eadem Eccleſia canonice exiſtente, ad gravia & notabilia ſcandala evitanda, humillime inſtat revocari. In re hac mihi propoſita, quod veritati conſonum eſſe reperii, ea qua decet veneratione tantummodo referam: ut inde etiam, quod Eminentiarum Veſtrarum, & iſtius Sacræ Congregationis infallibili ſapientia ſtatutum fuerit, humillime amplectar.

Pietatis forſan æmulatione ducuntur præfatæ duæ Sæculares Confraternitates ad decorandum proprium Altare ſpeciali hujuſmodi dono, quod cum unicum in quacunque Eccleſia haberi ordinaria lege ſancitum ſit, non levis contentio orta eſt inter eaſdem Confraternitates, quæ in eo obtinendo debeat alteri præferri. Confraternitas enim ſub invocatione duodecim Apoſtolorum de anno MDCCVII. pro ſuo Altari, quod etiam titulare eſt ipſius Eccleſiæ, ſimile Indultum pro tribus feriis in qualibet hebdomada ad ſeptennium impetravit, & Ordinarii authoritate executum uſque ad annum MDCCXIV. perduravit: ſubſequente vero ſeptennii lapſu, & expirata gratioſa hujuſmodi facultate, recurſum denuo Confratres habuere ad Apoſtolicam Sedem pro renovatione Indulti: quod pariter impetratum fuit, ea tamen lege & conditione, ut decem & octo ſaltem Miſſæ qualibet die in Eccleſia præfata celebrarentur: quæ conditio cum verificari minime potuerit, nec Confratres de hujuſmodi Miſſarum numero, Ordinarium docere valuerint; ſuſpenſum propterea, ſeu inexecutum remanſit Apoſtolicum Breve ad hæc uſque tempora, in quibus de menſe Maii MDCCXVIII. altera Confraternitas ſub invocatione Sancti Angeli Cuſtodis pro tribus feriis Breve Altaris Privilegiati in qualibet hebdomada per Ordinarium deſignandis obtinuit. Hinc Eminentias Veſtras pro veritate inveſtiganda latere minime fas eſt, hujuſmodi Indultum fuiſſe executioni demandatum, & uſque ad menſem Martii currentis anni in ſua executione & obſervantia perſtitiſſe, expoſito etiam ad Altare titulo Altaris Privilegiati pro diebus Martis, Mercurii & Veneris: attentaque publica notitia Fideles devotionis cauſa animabus defunctorum perſolvebant ſuffragia. Videntes propterea Confratres Sanctorum duodecim Apoſtolorum ſe in hujuſmodi Indulto ab altera Confraternitate ſuperari, indoluerunt: & recurrentes ad Apoſtolicam Sedem, ſub die 29. Martii proxime elapſi, impetrarunt aliud ſimile Indultum pro ſuo Altari, cum adjecta clauſula: ut aliud Altare Privilegiatum, ad tempus nondum elapſum conceſſum, Apoſtolica authoritate revocatum remaneret. Hinc igitur orta eſt contentionis, & porrectæ ſupplicationis cauſa, dum Confraternitas jus utraque ſuum tueri ſtudet. Id tamen in hac re conſideratione dignum referre puto, quod cum fuerit in voluntate Confraternitatis Sancti Angeli Cuſtodis Miſſarum numerum augere eo fine, ut locus daretur impetrationi hujuſmodi Indulti, in ejuſdem etiam poteſtate ſit, eundem numerum in præfata Eccleſia diminuere (quod forſan non ſine pietatis & devotionis detrimento eveniret) ne quod Confratres proprio ære inſtituerunt, per eoſdem adimpleta conditione tendat in alterius favorem. Iis igitur pro veritate ſic ſtantibus, quæ nam ex ſupradictis Confraternitatibus Indulto gaudeat, hoc ſapientiſſimo Eminentiarum Veſtrarum judicio reſolvendum eſt.

Hac attenta informatione, propoſitum fuit dubium = *Quod nam ex dictis Privilegiis in ſuo robore permaneret?* = ad quod prædicta Sacra Congregatio ſub die 31. Julii anno MDCCXIX. reſpondit = *Suſtineri Privilegium ſecundæ Confraternitatis: & ad mentem. Mens autem eſt, quod exquiratur a Patriarcha Veneto, utrum expedire poſſet pro diſſidiis componendis, quod Privilegium transferatur ad aliud Altare ejuſdem Eccleſiæ, & inſimul concedatur Privilegium Altaribus utriuſque Confraternitatis pro Confratribus tantum.*

§. IV.

§. IV.

De Conceſſione Altaris Privilegiati Perpetui pro Eccleſiis Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus & Cathedralibus: vel ad tempus pro Parochialibus aliiſque Eccleſiis, ac Cappellis præter regulam & ſtilum in antecedenti §. expenſum.

NE Eccleſiæ Collegiatæ, ac Parochiales, in quibus dietim quadraginta Miſſæ celebrantur, Privilegio quotidiano Altaris ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ ad ſeptennium, vel aliud tempus determinatum, gauderent: ac nonnullæ digniores, in quibus quotidie prædictus Miſſarum numerus nequaquam impletur, eo manerent deſtitutæ; Benedictus XIII. illud conceſſit in perpetuum omnibus Eccleſiis Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus, & Cathedralibus ſemel tamen deſignandum: declarando tamen ſe eas hujuſmodi Eccleſias minime comprehendere ſimili Privilegio decoratas, ut habetur ex ſequenti Brevi.

BENEDICTUS XIII.
Ad futuram rei memoriam.

OMnium ſaluti paterna charitate intenti Sacra interdum Loca Spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus; ut inde Fidelium Defunctorum animæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem, per Dei miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur omnes, & ſingulas Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales totius Orbis Catholici Eccleſias, in quibus Altare privilegiatam quotidianum perpetuum, forſan non reperitur conceſſum: & in eis Altare per Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos reſpective Locorum, gratiam & communicationem Sedis Apoſtolicæ habentes, ſemel tantum deſignandum, hoc ſpeciali dono illuſtrare, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi; ut quandocunque Sacerdos aliquis Sæcularis, vel cujuſvis Ordinis Congregationis, ſeu Inſtituti Regularis Miſſam defunctorum pro anima cujuſcunque Chriſtifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur; ita ut ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus, a Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 20. Auguſti 1724. Pontificatus noſtri anno primo. F. Card. Oliverius.

Quanquam inſuper dictum Altaris Privilegium minime pro Eccleſiis inferioribus concedatur, niſi attento certo Miſſarum numero dietim celebrandarum; cenſet tamen Sacra Congregatio Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum recedendum ab hoc ſtilo. Primo ob excellentiam Sanctuarii: ut in Aretina ſub die 18. Decembris MDCCXIV. in qua hujuſmodi privilegium dedit Altari Cappellæ, ubi S. Franciſcus Aſſiſienſis Sacris Stigmatibus fuit a Chriſto mirabiliter inſignitus. 2. Si Eccleſia, pro qua preces exhibentur, ſit in locis ſub hæreticorum dominio conſtitutis, vel eiſdem conterminis. 3. pro Altaribus ſeu Cappellis Hoſpitalium, cum clauſula tamen = *Pro Decedentibus in eodem Hoſpitali* =. Ubi obſerva, in hoc caſu aliiſque mox referendis non poſſe apponi ſuper Eccleſiæ Altaribus inſcriptio *Altare Privilegiatum pro Defunctis*: deciperentur enim fideles exiſtimantes quibuſcunque Miſſis ibi celebratis annexam eſſe Indulgentiam Plenariam pro quolibet defuncto, pro quo Miſſæ Sacrificium applicatur: ſed cum limitatione pro animabus duntaxat, pro quibus ex Literis Apoſtolicis indul-

dulti conceſſio deprehenditur. 4. pro Altaribus, ſeu Cappellis affectis jurepatronatus. Pro quo obiter adverte, quod etſi antiquitus ſuper Eccleſiis, aut Cappellis ædificatis,a Patronis ipſis nullum jus acquireretur, ſed ſtatim eædem cum ſuis dotibus ab Epiſcoporum diſpoſitione in omnibus dependerent: ut *cap. decretum cap. Noverint* 10. *quæſt.* 1. & notatur *cap. Piæ mentis* 16. *quæſt.* 7.; tamen deinde lege ſtatutum eſt, ut Patroni haberent in Eccleſiis, vel Cappellis certa jura, prout expreſſe legitur *in cap. nobis de Jurepatronat.*, ut hac via facilius inducerentur Fideles ad eas conſtruendas, & dotandas: & non obſcure colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de reformat*: Hinc Sacra Congregatio Indulgent. & Sacrar. Reliquiar. ubi de vero conſtat jurepatronatus (ut dictum eſt) ita hoc Indultum concedit = *quod Miſſæ quæ celebrantur in Altari jurispatronatus familiæ N. ſingulis feriis ſecundis* vel *ſextis, ſuffragentur pro defunctis dictæ Familiæ duntaxat, perinde ac ſi ad Altare Privilegiatum celebratæ eſſent*=5. pro Cappellis Eccleſiarum Monialium pro una feria cujuslibet Hebdomadæ cum clauſula = *Pro anima cujuſcunque Monialis earumque conſanguineorum, & affinium primi, & ſecundi gradus, nec non dicti Monaſterii benefactorum* = Nomine tamen benefactorum Monaſterii non veniunt ii, qui propter legata perpetua Miſſarum relicta Monialibus, eiſdem commodum accreverunt: adeoque eorum animabus non ſuffragatur Altare Privilegiatum dicta clauſula conceſſum, ut reſpondit Sacra Congregatio Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum in Novarien. ſub die prima Septembris MDCCXXXII. 6. pro Cappellis Confraternitatum, pro una feria cujuslibet hebdomadæ cum clauſula = *Pro anima cujuſcunque Confratris, & Conſororis* = & quandoque in caſu, quo celebratio Miſſarum nequeat expleri eodem die in dicto Altari, obtinetur indultum a Sacra Congregatione = *ut Miſſæ quæ ſuperſunt in alio Altari celebrentur cum eodem privilegio* = ut in Melphien anno MDCCXXXVII. ſub die 11. Maii. 7. In Eccleſiis, ubi certa die officium, ſeu anniverſarium generale pro fidelibus defunctis celebratur, indulget Sedes Apoſtolica = *ut omnes & ſingulæ Miſſæ, quæ die præfata ad quodcunque Altare ejuſdem Eccleſiæ pro anima cujuſcunque Chriſtifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabuntur, animæ hujuſmodi, pro quibus celebratæ fuerint perinde ſuffragentur, ac ſi ad Altare Privilegiatum celebratæ fuiſſent* = 8. pro Eccleſiis Parochialibus pro una feria cujuslibet hebdomadæ.

Quæres 1. an prius obtento præter ſtilum Brevi Altaris Privilegiati pro Confratribus, & Conſororibus defunctis, ac deinde etiam alio ſub certo Miſſarum numero, vel e converſo; utrunque Altaris Privilegiati Indultum ſubſiſtat?

Videtur negative reſpondendum dubio, ob ſequentia verba in uno ex his Brevibus exprimi conſueta = *in qua aliud Altare Privilegiatum non reperitur conceſſum*=; quamobrem a Summo Pontifice ita concedente non ſupponitur datum aliud hujuſmodi Privilegium, alias novum non concederetur.

Sed reſpondemus affirmative, quia etſi Summus Pontifex ita loquens, non ſupponat aliud Privilegium ſimile, ejuſdemque rationis, ſecus vero diſſimile & diverſæ rationis. Porro cum Altare Privilegiatum poſterius conceſſum ſit pro omnibus defunctis: primum duntaxat pro Confratribus, utrunque eſt omnino diverſum & diſſimile. Idque eruitur ex verbis ſequentibus in eodem Brevi pro Cunctis Fidelibus Defunctis conceſſo = *Et in eo ſitum Altare &c. ſimili ad præſens Privilegio minime decoratum* =

Major fieri poſſet difficultas in eo, quod alicui Religioni generale Indultum Altaris Privilegiati concederetur, ſub conditione certi numeri Miſſarum = *prævia revocatione cujuſcunque antea Eccleſiis dictæ Religionis conceſſi*=an inquam, ex vi hujus generalis revocationis derogaretur privilegio Altaris conceſſo ad tempus citra expreſſionem numeri Miſſarum alicui Eccleſiæ ejuſdem Religionis ob peculiarem aliquam juſtam cauſam?

Reſponderi poſſet affirmative ob clauſulam in hujuſmodi generalibus Indultis apponi conſuetam = *Quatenus aliud Altare Privilegiatum perpetuum, vel ad tempus nondum elapſum reperiatur conceſſum, per præſentes authorita-*

ritate Apoſtolica revocamus.

Sed negative reſpondendum eſt:etenim conceſſio gratiæ quando alicui peculiari cauſæ innititur, per poſteriorem generalem revocationem non intelligitur abrogata: juxta firmata per Barboſam *Clauſula* 70. *num.* 27. *Rota deciſ.*103. *num.* 16. *coram Peutingerio*. Et hoc poteſt confirmari ex reſponſione Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum in Parentina ſub die 9. Maii MDCCXXIX: obtento ſiquidem a PP. Minoribus de Obſervantia Privilegio Altaris bis in hebdomada pro Cappella propriæ Eccleſiæ, citra expreſſionem numeri Miſſarum celebrandarum in dicto Altari, eo quod ad aliam Eccleſiam,ubi jam Altare Privilegiatum reperiebatur conceſſum, transfretare coacti, ſæpe vitæ diſcrimini exponerentur; cum ſubinde Univerſæ Religioni S.Franciſci conceſſum fuiſſet indultum Altaris Privilegiati ſub conditione certi numeri Miſſarum; prævia revocatione dictiAltaris antea Eccleſiis memoratæ Religionis conceſſi; propoſito ſequenti dubio = *An ſub revocatione contenta in generali Indulto comprehendatur Privilegium antea conceſſum oratoribus*: Reſponſum fuit *Negative*.

§. V.

Quid ſentiendum ſit de Privilegio Altaris ubi Miſſarum numerus in Literis Apoſtolicis expreſſus non impletur?

CUM plurima Altarium Privilegiatorum Brevia expediantur in Curia Romana ſub expreſſo certo numero Miſſarum, difficultati locus factus eſt; An eo numero deficiente Privilegium conceſſum in ſuo robore perſeveret?

Bordonus *in Conſil.Regul.tom.*2.*Reſ.*91. *n.* 8. Difficultati propoſitæ affirmative reſpondet=*Quando in Brevibus* (ait) *exprimitur Sacerdotum numerus tantum narrative deſumptus ex ſupplicatione petentium privilegium; eo caſu ille numerus non eſt conditio neceſſaria ad valorem privilegii: cum non ſit conditio, ſed potius narrativa ex ſupplicatione, quæ nec conditionem, neque jus facit: ex cap. ex literis de fide inſtrumentorum: & regulariter numerus Sacerdotum expreſſus non eſt eſſentialis conditio neceſſaria ad valorem Privilegii. Aliter ſequeretur inconveniens, quod Eccleſia perderet hujuſmodi privilegium jam rite acquiſitum, ſi ab initio non habuiſſet tot Sacerdotes, quot numero in Brevi exprimuntur in caſu, quo ſine culpa aut negligentia deſinerent ibi eſſe Sacerdotes juxta præfixum numerum: vel dico quod ſufficit ab initio tot de familia fuiſſe Sacerdotes pro ſervitio Eccleſiæ, quot exprimuntur in Bulla Altaris, quia ſufficit conditionem ſemel adimpletam fuiſſe, licet poſtea deſit. l. ſi quis hæredem. ff. de inſtit. & ſubſtit. in caſu quo Bulla contineret vere conditionem. Quod ſi Superior localis a ſuo Provinciali petat Sacerdotes ad complendum numerum pro quiete ſuæ conſcientiæ, & illi proviſum non fuit; adhuc ſatisfacit pro Altari Privilegiato: quia conditio cum non ſtat per eum ad quem pertinet quo minus impleatur, haberi debet perinde ac ſi impleta fuiſſet, Reg. Juriſ. 66. l. Jure civili ff. de Condit. & demoſtr. Paſqualig. de Sacrificio Miſſæ q.* 747.

Oppoſitum arbitratur Menochius *Conſil.*918. dicens=*Quando dictio dummodo adjungitur ei quod venit implendum, antequam actus perficiatur; ſignificat conditionem* = citans ad hoc probandum Baldum, Bartolum, Butrium, Caſtrenſem, Alexandrum: ſubditque = *conditio autem formam importat: ut tradunt Baldus, Pariſius, & copioſe Tiraquellus: & propterea conditione, ac forma non obſervata actus corruit*=Idem tradidit Lavorius *de Indulg.p.* 2. *cap.* 30. *n.* 115. Quod certe cenſemus aſſerendum; ad Menochii rationem id addentes, quod ea conditio Privilegio adſcripta = *dummodo in ea Eccleſia quinque Miſſæ celebrentur*=ſit de genere indiviſibilium, quæ debet impleri in totum, ut privilegium in ſuo robore permaneat. *l. qui duobus* & *l. cui fundus ff. de conditionibus*. Accedit quod Sedes Apoſtolica, ante Privilegii conceſſionem, requirere conſuevit, ut §. antecedenti dictum eſt, Miſſarum numerum,

Digitized by Google

rum, ita certo eſſe conſtitutum, ut ſi oratores aſſerant plerunque in Eccleſia quinque Miſſas celebrari; eorum preces repellat. Idque tandem confirmatur ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii, relato ab Eminentiſſimo Lambertino *in ſuis Notificationib. Notif. 15. ex Lib. 44. Decretor. dictæ Sacræ Congregationis pag. 467.* = *Cum juxta ſtilum Secretariæ Brevium Apoſtolicorum in Indulgentiis Altarium pro animabus fidelium defunctorum a pœnis Purgatorii liberandis, ut vocant, privilegiatorum, præfiniri ſoleat certus numerus Miſſarum in Eccleſiis, in quibus Altaria hujuſmodi ſita ſunt, quotidie celebrandarum adjecta nimirum clauſula: Dummodo in dicta Eccleſia tot Miſſæ quotidie celebrentur: frequenter vero contingat ejuſmodi conditionem non ita exacte adimpleri, & nihilominus nonnulli favorabiliter illam interpretantes aſſerant, ſufficere, quod Miſſæ in iiſdem Indultis, ſicut præmittitur, præfinitæ pluribus ſaltem diebus cujuslibet hebdomadæ celebrentur, nec neceſſe ſit, illas ſingulis diebus celebrari; idcirco exortum fuit dubium de mandato Sanctiſſimi Domini noſtri in hac Sacra Congregatione diſcutiendum: an attenta clauſula ſupradicta neceſſario omnino ſit ſingulis diebus celebratio Miſſarum in Indultis hujuſmodi præfinitarum, vel potius ſufficiat aliquibus, licet non omnibus diebus cujuslibet hebdomadæ &c.* = *die 5 Junii* 1694. *Sacra &c. reſpondit: affirmative quoad primam partem, negative quoad ſecundam: ac proinde celebrationem Miſſarum in Indultis præfatis, ut præfertur, præfinitarum omnino neceſſariam eſſe ſingulis diebus in eadem Eccleſia. Et facta de præmiſſis relatione Sanctiſſimo die 17. Julii ejuſdem anni Sanctitas Sua Sacræ Congregationis ſententiam benigne approbavit, & publicari mandavit. Die* 11. *Septembris* 1694.

Advertimus tamen cum Zypæo dictam conditionem = *Dummodo in Eccleſia quinque Miſſæ celebrentur* = non deficere, ſi forte contingeret, paucis duntaxat diebus intra annum prædictum Miſſarum numerum non impleri, quia accipienda eſt moraliter, non methaphyſice *l. 3. 4. & 5. ff. de Legibus*: nam alioquin nullibi locum haberet Privilegium, cum feria quinta in Cœna Domini, & Sabbato Sancto unica tantum Miſſa juxta Ritum Eccleſiæ poſſit, ac debeat celebrari. Idque declarat Sylvius *part. 2. variar. Reſol.* in *Verbo Altare* = *Poſito, Brevis clauſulam quindecim ſaltem Miſſas requirere: ſi ſemel atque iterum contingat, non fieri quindecim Sacra, ſed ſolum tredecim, vel quatuordecim; non propterea ceſſat Privilegium, modo hoc per accidens & raro contingat, per ſe autem, ſeu ordinarie quindecim ſemper celebrentur: quoniam verba Brevis accipienda ſunt moraliter de eo, quod per ſe, & ſemper, ſeu quaſi ſemper fieri ſolet.*

Hæc, quæ de Altaribus Privilegiatis diximus, mirifice illuſtrat aliud prædictæ Sacræ Congregationis Concilii Decretum = *Cum in conceſſione Indulgentiarum Summus Pontifex ſoleat præfigere certum numerum Miſſarum celebrandarum quolibet die in Altari Privilegiato, pro parte nonnullorum Religioſorum porrectus fuit Sanctiſſimo ſupplex libellus pro reſolutione infraſcriptorum dubiorum; quo ad hanc Sacram Congregationem remiſſo ſub die 23. Aprilis proxime præteriti reſcriptum fuit: Exhibeatur formula Indulgentiarum, & ponatur in folio. In executionem hujuſmodi reſcripti exhibetur formula Indulgentiarum, quæ eſt tenoris ſequentis: Ad futuram rei memoriam. Omnium ſaluti paterna charitate intenti Sacra interdum Loca ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus decorare, ut inde Fidelium animæ, Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem, per Dei miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur Eccleſiam Metropolitanam Mediolanen. in qua nullum aliud Altare Privilegiatum reperitur conceſſum, & in ea ſitum Altare S. Caroli hoc ſpeciali dono illuſtrare, dummodo in dicta Eccleſia quinquaginta Miſſæ quotidie celebrentur; Auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ut quandocunque Sacerdos aliquis ſæcularis, vel cujuſvis Ordinis Regularis Miſſam defun-*

cto-

ctorum pro anima cujuſcunque Chriſtifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit ad præfatum Altare celebrabit, Anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur; ita ut ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus a Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus: in contrarium facientibus, non obſtantibusquibuſcunque. Preſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Datum &c. Ad futuram &c. Omnium ſaluti &c. Volentes igitur Eccleſiam Conventus Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum nuncupatorum Civitatis Tuſculanæ, in qua nullum aliud Altare Privilegiatum &c. illuſtrare, dummodo in dicta Eccleſia quatuordecim Miſſæ quotidie celebrentur; auctoritate &c. confiſi, ut quandocunque Sacerdos aliquis Sæcularis, vel cujuſvis Ordinis Regularis Miſſam Defunctorum in die Commemorationis Defunctorum, & ſingulis diebus infra illius octavam, ac ſecunda & ſexta feriis cujuslibet hebdomadæ pro anima cujuſcunque Chriſtifideli: &c ut ſupra. His igitur præhabitis EE. VV. non dedignabuntur ſapientiſſime de more reſpondere: 1. An abſentibus Religioſis ex cauſa prædicationis tempore Quadrageſimæ & Adventus, vel quando occaſione Feſtivitatum, vel funerum, aut ſimilium a Superioribus ad celebrandum alibi traſmittuntur, Indulgentiæ conceſſæ cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas cauſas adimpleri non poteſt, prorſus ceſſent: vel pro eo tempore, quo numerus non fuerit adimpletus, ſint ſuſpenſæ, vel potius remaneant in ſuo robore? 2. An idem ſit ſtatuendum deficiente præfixo numero Miſſarum ob infirmitatem Sacerdotum tam Regularium, quam Sæcularium? 3. An pariter idem ſit ſtatuendum deficiente dicto numero Miſſarum ob abſentiam ab Eccleſiis Sæcularibus Canonicorum & Sacerdotum per aliquos dies & menſes? Die 30. Julii 1706. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum: ad primum quoad primam partem, pro tempore Adventus & Quadrageſimæ, cenſuit remanere ſuſpenſas: non autem in reliquis, dummodo raro contingat. Ad ſecundum cenſuit non remanere ſuſpenſas. Ad tertium ſatis proviſum in primo. B. Card. Panciaticus Præfectus: Vincentius Petra Secretarius.

Conſone ad hoc Sacræ Congregationis Concilii Decretum Sacra Congregatio Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum ſub die 9. Aprilis MDCCXX. diſcuſſo dubio = *An in Eccleſia S. Caroli Civitatis Mutinenſis, deficiente per tres vel quatuor menſes exacto in Literis Apoſtolicis Miſſarum numero, vigeret adhuc Privilegium Altaris?* = Reſpondit *Negative*.

Nota tamen quod deficiente numero Miſſarum Lege Pontificia ſtatuto, licet non maneret juxta dictam Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum Reſponſionem in ſuo robore ad tempus Altaris Privilegium, non ideo penitus deſineret, aut omnino periret: etenim ubi tribus vel quatuor menſibus elapſis, Miſſarum numerus in Literis Apoſtolicis præfinitus impleretur, denuo vigeret, propter impletam conditionem a Concedente requiſitam, nondum expirato ſeptennio.

Cum plurima reperiantur Altaria Privilegiata pro defunctis, in quibus Sacerdotum numerus in Eccleſiis celebrantium, pro quibus petitur ejuſmodi Indultum, non juxta formam nunc adhiberi conſuetam exprimatur = *Dummodo in dicta Eccleſia N. Miſſæ N. quotidie celebrentur &c.* = ſed juxta aliam ætate Gregorii XIII. quandoque his terminis, vel ſimilibus expreſſam = *Concedimus Eccleſiæ N. in cujus domo decem vel viginti degunt Sacerdotes Altare Privilegiatum &c.* = ut quid de vigore hujuſmodi Privilegiorum ſentiendum ſit, ubi expreſſus Sacerdotum numerus ſucceſſu temporis non perſeveret, innoteſcat; afferrimus hic reſponſionem Sacræ Congregationis in Firmana, editam ſub die 20. Januarii anno MDCCXXXIII. Eccleſiam S. Franciſci Oppidi Murri Vallium & Cappellam Beatæ Mariæ Virginis Angelorum in eadem Eccleſia ſitam Privilegio Altaris pro Defunctis decoraverat Gregorius XIII. per Literas in forma Brevis, 15. Calendas Octobris anno MDLXXIX. his ver-

verbis = *Quo circa ut Eccleſia domus S. Franciſci Oppidi Murri Vallium, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia Firmanæ Diœceſis viginti duorum Fratrum ejuſdemque Ordinis Profeſſorum numero fulcita, nec ſimili uſque adhuc Privilegio decorata, ac in ea Altare, ſitum in Cappella Beatæ Virginis Mariæ Angelorum, quod majus non eſt, hoc ſpeciali dono illuſtretur, concedimus* &c.= Cum vero ex reſponſionibus Sacrarum Congregationum Concilii, nec non Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum ſupra relatis conſtaret, Altaris hujuſmodi Privilegium ceſſare, ſi per aliquot menſes præfinitus Miſſarum numerus in Literis Apoſtolicis minime impleretur; in dubium quidam dictæ Eccleſiæ Regulares revocarunt: an prædictum Altaris Privilegium olim a Gregorio XIII. perpetuis futuris temporibus conceſſum adhuc vigeret; cum tot Religioſi, quot in Brevi conceſſionis memorantur, in eadem domo minime degerent: quia ſcilicet verba illa *viginti duorum Fratrum numero fulcita* vim conditionis taxativæ videntur habere, qua conditione non exiſtente Privilegia non ſubſiſtunt, juxta tradita a Bordono *in tom. 2. reſolut. 90. n. 8. & a Diana p. 9. num. 2. reſol. 9.* Alii e contra, dictum Privilegium adhuc vigere, exiſtimare non dubitarunt: aut Pontificem illis verbis tantummodo narrative loqui aſſerentes, & juxta libellum ſupplicem Sedi Apoſtolicæ pro hujus gratiæ impetratione porrectum; quæ proinde non verificata conditionem neceſſario requiſitam non faciunt, ex *cap. ex literis 3. de Fide inſtrumentor.*: aut ibi, a Summo Pontifice numerum viginti duorum Fratrum, non tanquam cauſam motivam, cui conceſſio innitebatur, ſeu potius ut cauſam impulſivam exprimi, qua lapſu temporis deficiente non corruere gratiam videbatur, ad *text. in l. 17. §. fin. ff. de conditionib. & demonſtrationib. l. 1. Cod. de his.* Datis ad Archiepiſcopum Firmanum literis a Sacra Congregatione, ut ſuper hac re informaret, reſpondit: numerum viginti duorum Fratrum fuiſſe ibi a Gregorio XIII. præſcriptum, potius *ad Eccleſiæ S. Mariæ elogium, quam ad conditionem perpetuis futuris temporibus ſervandam.* Sed propoſitis his dubiis in dicta Sacra Congregatione. 1. *An Privilegium a Gregorio XIII. præfatæ Eccleſiæ conceſſum ſubſiſtat: & quatenus negative? 2. An ſit de novo concedendum?* = Reſponderunt Eminentiſſimi Patres ad primum *negative.* Ad ſecundum: *doceant de numero Miſſarum.* Eandem reſponſionem ad primum dubium dederat eadem Sacra Congregatio in Mediolanen. ſub die 20. Decembris anno MDCCXVIII. diſcuſſo Privilegio ejuſdem Pontificis conceſſo Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Stephani his verbis = *ut Eccleſia Sancti Stephani Præpoſito, & decem & octo Canonicis ornata &c.* & in Beneventana ſub die 16. Julii anno MDCCXXVII.

§. VI.

Quid dicendum ſit de Altaris Privilegio, ſi Altare in alium locum transferatur, vel alibi reædificetur?

ALtare Privilegio ſuffragandi animas defunctorum inſignitum, ſive caſu, ſive temporum injuria multoties poteſt aut omnino deſtrui, aut maxima ex parte immutari. Hinc dubitatio exoritur: an ſi in eodem, vel diverſo ſitu intra ejuſdem Eccleſiæ terminos reædificetur; dictum Privilegium perſeveret, vel amittatur? Amitti, eruitur ex eo, quod antiquitus deſtructo ædificio, quanquam novum conſtrueretur; non idem ad civiles effectus putaretur: ideoque excitato dubio= *an diruta domo, & nova ædificata uſusfructus perduret?*=Ulpianus *ext lngui* reſpondit. Idemque dictum eſt de navi penitus collapſa, ac denuo reſtituta, eſto in eadem area iiſdemque cœmentis, ac tabulis reficeretur: ut probant verba textus in *l. quid tamen ver. in navis ff. quibus modis uſuſfruct. amittatur.* Inſuper *cap. privilegium de regul. jur. in 6.* ſtatuitur, quod quemadmodum privilegia perſonalia mortua perſona expirant; ita etiam realia deſtructa re. Quæ maxime urgere videntur, ubi agitur de Altari deſtructo.

Communiter tamen Doctores ſententiam oppoſitam amplectuntur. Ita Imol. *conſil. 44.* Suarius *de Indulg. diſp. 52. ſect. 1. n. 8.* Filliucius *de Sacram. Pænit. tr. 8. c. 6.*

c. 6. q. 3. Bonacin. *de Indulg. diſp. 5. n. 5.* Bologninus *de Indulg. n. 79.*, ea ducti ratione, quod novum Altare idem ac primum moraliter cenſendum ſit: præcipue ſi in eodem loco, & poſt tempus modicum denuo conſtruatur. Idque pariter verum generaliter exiſtimamus, quando, concedentem Altaris Privilegium ſingularem Eccleſiæ prærogativam, aut certum numerum Miſſarum, quæ dietim in Eccleſia celebrandæ ſunt, inſpexiſſe, innoteſcat. Et ita reſolvit Sacra Congregatio Indulgentiarum &c. in Murana ſub die 13. Septembris anno MDCCXIII. Cæterum ſi Altaris Privilegium conceſſum fuiſſet intuitu inſignis imaginis Deiparæ, aut Sancti alicujus, aut ſpecialis conſecrationis; cum hæc Altari combuſto deficerent, licet alicubi Altare ſub eadem invocatione denuo conſtrueretur; non perſeveraret Privilegium: ceſſaret enim tum phyſice, tum moraliter cauſa conceſſionis, ſi imago illa una cum Altari fuiſſet deſtructa: ſecus autem ſi imago illa adhuc ſubſiſteret integra vel in majori parte; conſecratio item Altari diruto amittitur, ut omnes norunt.

ARTICULUS V.

Clauſulæ, & Formulæ quædam, quæ in Literis Apoſtolicis Indulgentiarum Localium apponuntur.

CLauſularum perfecta notitia pro Indulgentiam adepturis neceſſaria eſt: iis enim non expenſis plurimæ Indulgentiæ, quæ veræ non ſunt, verè exiſtere, & validæ eſſe ab incautis & indoctis exiſtimabuntur. Iſtæ nullitates oriri ſolent, vel quia elapſum eſt tempus annorum conceſſionis, vel ſpatium temporis ad acquirendas Indulgentias præfinitum, vel ob concurſum alterius Indulgentiæ præexiſtentis, vel tandem ob turpem munerum exhibitionem, aut temporale lucrum intuitu Indulgentiæ obtinendæ: Quæ omnes nullitates in clauſulis ſingillatim hic ſubiiciendis ſignificantur, quas ſeorſim ſingulas exponemus, atque dubia circa illas incidentia ex operis inſtituto reſolvemus.

§. I.

Clauſula: *A primis veſperis uſque ad occaſum Solis.*

IN Literis Apoſtolicis, quæ pro feſtivis Sanctorum diebus ſolent expediri in Curia Romana, hæc clauſula inſeritur = *A primis veſperis uſque ad occaſum Solis* = eaque denotatur, temporis ſpatium, intra quod poſſunt Chriſtifideles ad Eccleſiam viſitandam confluere Indulgentiæ Plenariæ beneficium percepturi, incipere a primis veſperis vigiliæ Feſtivitatis, protrahique ad Solis occaſum diei Feſtivitatis ejuſdem.

Ad pleniorem hujus clauſulæ intelligentiam operæ pretium eſt obſervare, Veſperarum nomen in Literis Apoſtolicis nequaquam uſurpari, ut olim apud veteres Latinos, qui non raro illud accipiebant ad extremam diei partem ſignificandam: ut videre eſt apud Statium *Thebaidos lib. 8. v. 159.*

.... Sed veſper opacus
Lunares jam ducit equos.

& apud Tullium *ad Attic. lib. 12. ep. 15.* = *Cumque mane me in ſylvam abſtruſi denſam, & aſperam, non exeo inde ante veſperum* =. Hinc horæ veſpertinæ circa Solis occaſum primis ſæculis cantabantur: ut habetur ex Iſidoro in *lib. de Offic. Eccleſiar. cap. 20.* = *Veſpertinum diurni finis officium diurnæ & alternæ lucis occaſu eſt. Hoc tempore veterum ſacrificia offerri, adolerique Altario aromata, & thus mos erat: cujus rei teſtis eſt hymnidicus ille Regio ac Sacerdotali functus officio dicens: dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine: elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. In novo quoque Teſtamento eo tempore Dominus ac Salvator cœnantibus Apoſtolis myſterium ſui corporis & ſanguinis initio tradidit, ut tempus ſacrificii veſpertini oſtenderet ſæculis* = Et *lib. 6. cap. 19. ethymolog.* = *Veſpertinum officium eſt in noctis initio vocatum a ſtella Veſpere, quæ ſurgit oriente nocte* =: ideoque hora veſpertina Lucernalis ab antiquis

Patribus dicebatur = *Ad extremum undecima* (inquit Caſſianus *lib. 3. inſtitut. cap. 7.*) *in qua lucernalis hora ſignatur* = Idem tradit D. Baſilius in *Epiſt. ad Amphilochium c. 29.* = *Viſum eſt Patribus noſtris beneficium veſpertini luminis non ſilentio ſuſcipere, ſed ſtatim ut apparuit, gratias agere. At quiſnam fuerit auctor lucernariæ gratiarum actionis, dicere non poſſumus* = Eadem voce utitur S. Auguſtinus (vel quiſquis eſt author Regulæ Monaſticæ ſub nomine S. Auguſtini) *regul.* 2. ad veſperas ſignificandas = *Poſtquam ſe refecerint ſive in horto, ſive ubicunque fuerint; faciant opus uſque ad horam lucernarii* = Tandem D. Epiphanius *lib. 3. adv. hæreſes in fine* inquit = *Matutini etiam hymni in ipſa Sancta Eccleſia perpetuo fiunt, & orationes matutinales, lucernaleſque ſimul ac orationes* = Vide Cardinalem Bona in *Pſalmod. c.* 10. §. 5. *n.* 2., & Marcellum Francolinum *de temp. hor. canon. p.* 1. *c.* 17. *a n.* 8.

Cum vero mos deinde invaluerit veſperas in Choro recitandi poſt meridiem, & ante Solis occaſum; ut commode illis populus intereſſet, hoc nomen *Veſper* ſeu *Veſperæ* ad dictum tempus ſignificandum acceptum eſt: & hoc eſt tempus, quod in Literis Apoſtolicis Indulgentiarum deſignatur. Feſtivi enim dies juxta Eccleſiæ ritum non a media nocte ad aliam, neque ab ortu Solis uſque ad ejus occaſum, ſed a veſperis præcedentis diei uſque ad finem diei ſubſequentis celebrantur: & ideo Medina, Navarrus, Suarius, Coninck. Reginaldus, quos citat, & ſequitur Bonacina *diſp. 5. de interdict.* aſſerunt, dies feſtos a jure ſtatutos pro interdicti ſuſpenſione, initium ſumere a tempore, quo in eorum vigiliis Veſperæ in Eccleſiis cantantur. Quamobrem neque Abbas in *Cap. 1. de feriis* ab occaſu Solis unius diei, uſque ad occaſum Solis alterius diei, neque Covarruvias in *lib. 4. variar.* aut Rodericus in *Quæſtionib. regularib. canonic. tom. 2. quæſt.* 87. *art.* 5. a ſero unius diei ad occaſum Solis alterius diei, recte & clare tempus proprium acquirendi Indulgentias hac clauſula præfinitum exponunt: licet Covarruvias aliquanto melius & veritati conformius locutus ſit, quam alii Doctores allegati, ut ex ſequentibus apparebit.

Hic tamen duo ſine obſervatione nequeunt præteriri: primum, quod ſi contingat horas veſpertinas vel non cantari in Eccleſia, cui pro Feſto in ea celebrando Indulgentia conceſſa eſt, vel in aliam horam differri, ut majori confluentium concurſui detur locus; non propterea ſequi ex hoc, illius Indulgentiæ acquiſitionem retardari: adhuc enim Chriſtifideles Indulgentiæ Plenariæ theſauro perfrui poſſent eo tempore, quo juxta Eccleſiæ praxim ſolent, aut poſſunt in illo oppido aut loco Veſperæ in choro recitari. Ita Quintanadvenas in *Append. ad Sacroſ. Pœnit. Sacram. tr. 3. dub. 3.* Diana *p. 1. tr. 10. reſol. 4. n. 2.* Gobat in *Theſ. Indulgentiar. p. 2. c. 36. q. 5. n. 650.* Cottonius *lib. 2. controv.* 11. *n.* 84. Paſſerinus *quæſt. 95 n. 715.*, & paſſim omnes Doctores. Quamobrem infertur: quod ſi quæratur, quando præciſe initium habeat tempus Veſperarum ad acquirendam Indulgentiam, determinatum per illa verba *a primis Veſperis*, expedita reſponſio eſt: ea hora illud tempus incipere, quo Veſperæ poſſunt in Choro recitari: adeoque ex illa hora Indulgentiæ initium deſumi. Hæc autem hora, ut optime advertunt Quintanadvenas, & Diana *reſol. moral. p. 12. tract. 13. reſ. 4.* eſt, cum primo populus per campanæ pulſationem ad Veſperas invitatur: cum vere ex tunc tempus Veſperarum inchoetur. Unde habes, quod ſi Veſperæ ſolemnes in Eccleſia aliqua tardius quam in aliis cantari incipiant, eandem Eccleſiam viſitantes Indulgentiam lucrentur a primo eo tempore, quo juxta receptum & approbatum Eccleſiæ morem poſſunt dictæ Veſperæ in choro recitari: niſi magis placeat ſentire, in eo caſu Indulgentiæ acquirendæ tempus incipere, quando poſt campanæ meridianæ ſignum ſequens Feſtivitas per ſolemnem pulſationem indicatur, ut ex *c. de feriis infra citando* non obſcure argui poteſt. Secundum, quod cum tempore Quadrageſimæ horæ Veſpertinæ tam feſtivæ quam feriales ante meridiem recitantur, etiam in hoc caſu ab eodem tempore Indulgentiam incipere; ut docent Authores mox citati, quos ſequi tenentur aſſerentes, Interdicti ſuſpenſionem pro Feſto Paſchatis initium ſumere a Miſſa vigiliæ, quæ in Sabbato Sancto canitur. Idque potiſſimum ex natura ipſius

Digitized by Google

ipſius legis favorabilis eruitur, quæ in omni extenſione debet ampliari ex *c. odia de reg. jur. in 6.* Favor itaque Indulgentiæ Veſpertinæ ampliandus eſt, ut initium ſumat ante meridiem, ſi Veſperæ eo tempore celebrentur: cum integer in eo caſu maneat ſenſus concedentis Indulgentiam *a primis veſperis*. Ubi inſuper obſerva Feſta diebus ferialibus Quadrageſimæ occurrentia, quoad Indulgentiæ Plenariæ conſecutionem, majorem temporis extenſionem habere, quam alia per annum, in quarum celebratione Indulgentia Plenaria eadem expreſſione conceditur: hoc autem provenit ex ritu ab Eccleſia præſcripto, ut ante meridiem per eas ferias Veſperæ in choro perſolvantur. Quo fit, ut Feſtum in Quadrageſima occurrens, quantum ad Indulgentiæ acquiſitionem *a primis Veſperis*: ſit melioris conditionis, quam Feſta per annum: hoc autem habet non ratione ſui, ſed ratione alterius advenientis, nempe antemeridianæ Veſperarum recitationis per idem tempus ſtatutæ.

Sequentes particulæ = *uſque ad occaſum Solis* = terminum ſignificant ad Indulgentiam acquirendam præfinitum. Occaſus autem Solis juxta intelligentiam Aſtronomicam expoſitus, *eſt Veſpertina Solis occaſio: cum ſcilicet ab Oriente in Occidentem vergit, ac Occidens noctem inducit.* Quo tempore olim (quod etiam nunc obſervatur apud nonnullos Regulares, inter quos ſunt noſtri Carmelitæ Excalceati) Completorium canebatur: ut colligit Suarius *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 5. de diviſ. Offic. Divin.* ex Cypriano & Ambroſio = *Cyprianus*, inquit, *etiam libro de Oratione prius numerat illas orationis horas, & poſtea inquit: recedente item Sole, ac diſcedente neceſſario rurſus orandum eſt: ubi in primo verbo Veſperas, in ſecundo Completorium videtur intelligere, nam poſtea ponit nocturnas preces. Ambroſius etiam in lib. 3. de Virginibus inter alia tempora orandi ponit horam incenſi pro Veſperis: & cum pergimus cubitum pro Completorio. Pro qua hora cum aliis, hymnos etiam compoſuit* = Ideoque Completorium ita vocari, quia dies completur illa hora, qua Sol occidit, dicit Archidiaconus *in can. ſolent de conſ. diſt. 1.* & probat Francolinus ſupracitatus *p. 1. cap. 18. n. 1.* illud hora diei duodecima celebrandum eſſe, quando Chriſtus ſepulturæ fuit traditus in die Paraſceves.

Hinc colligit Quintanadvenas in *tr. cit. dub. 4. n. 3.* toto tempore, quo in choro recitatur Completorium, poſſe Indulgentias hac clauſula adjecta Eccleſiam viſitantibus conceſſas comparari = *Igitur, qui Eccleſiam,* inquit, *pro lucrando Jubilæo aſſignatam viſitaverit ante finitam Completorium, cum hoc ultima diei hora, ſeu ſub Solis occaſum dicitur, aut dici ſolet, illud lucrabuntur: durat enim uſque ad Completorium: cum hoc ſit complementum Officii Divini illius diei: illo enim, ut loquitur Gemma lib. 2. cap. 64. completur dies ſervitutis noſtræ, ſeu in eo ſumma eſt perfectio Divinorum Officiorum: ut loquitur Amalarius de Ordine Antiph. cap. 7. Complementum ergo erit per conſequens illius Feſtivitatis, pro qua Jubilæum conceſſum eſt. Feſtivitas enim Eccleſiaſtica a primis veſperis inchoatur, & uſque ad Completorium perſeverat. Completorium etiam pars eſt Officii præcedentis, quod ex ipſo, & aliis Horis recitatis coaleſcit, & per illud totum Officium Divinum completur: ut ait Beda lib. medit. paſſion Chriſti c. 1.*

Ab authore hic relato diſſentiunt Cottonius, & Paſſerinus locis mox citatis, qui putant terminum pro comparandis Indulgentiis illis verbis determinatum = *uſque ad occaſum Solis* = eſſe punctum illud, in quo horizon planus (nulla habita ratione montium) Solem ſecat: vel tunc ſtatim, poſtquam Sol totus occubuit. Ex quo inferunt, non poſſe Indulgentias hac clauſula conceſſas acquiri, quando poſt punctum occaſus Solis Completorium, aut pars ejuſdem protrahitur.

In hoc Authorum diſſidio ut res preſſius ventiletur, non erit hic ſermo de crepuſculorum tempore, quo durante juxta Theologorum ſententiam Sol non plene, & totaliter occidit, ſed de tempore etiam ad illa crepuſcula immediate ſequente. Dubium itaque hic diſcutiendum eſt: an elapſis crepuſculis Indulgentia, quæ ex vi conceſſionis a Veſperis diei antecedentis noſcitur determinata, in ea Eccleſia percipi valeat, in qua per id tem-

pus, horarum Officii celebratio, puta ſecundarum Veſperarum, aut Completorii poſt crepuſcula, adhuc completa non eſt?

Ad claritatem huic rei conciliandam de nonnullis obſervandis Lectorem operæpretium eſt admonere. Obſervet igitur primo, diem Feſti, pro quo Indulgentia conceditur, de qua eſt ſermo, non eſſe diem Solarem Aſtronomicum, neque Solarem vulgarem, neque item eſſe diem artificialem, ſed eſſe diem Eccleſiaſticum. Non eſt Solaris Aſtronomicus, quia Indulgentiæ terminus inchoativus, atque completivus non eſt meridies, nec media nox. Non item eſt Solaris vulgaris, quia non incipit Indulgentia ab ortu Solis ad alium ortum, neque ab occaſu Solis ad alium occaſum. Tandem non eſt artificialis: non enim incipit ab ortu Solis ad occaſum ejuſdem, in quo operarii diurni ſolent labore manuum victum ſibi providere. Eſt ergo Eccleſiaſticus, hoc eſt totum illud temporis ſpatium, quod ex Eccleſiæ præſcripto, Sancti alicujus memoria recurrente per annum, ad venerationem eidem Sancto Eccleſiaſtico ritu exhibendam ſtabilitur. Cum autem Eccleſiæ conſuetudo ſit, ſolemnem Sanctorum memoriam præviis primis Veſperis recolere, illamque ad totum diem ſequentem protrahere; hinc eſt, quod totum tempus, quod pro hac ſolemni veneratione inſumitur, eſt in propria acceptione dies Eccleſiaſticus; quamobrem initium & finem accipere compertum eſt, per actionem Eccleſiaſticam eo temporis ſpatio præfinitam = *Fatendum eſt* (opportune inquit Francolinus citatus *p.2. cap. 29. num. 2. & 3.*) *quod pro diverſitate factorum & cauſarum diverſimode etiam dies incipere & finire cenſeantur juxta gloſſam in c. 1. de conſecr. diſt. 3. & in c. 2. de fer.* = Ubi memoria recolendum eſt, diem Eccleſiaſticum non ſolo vigintiquatuor horarum ſpatio concludi, ſed ad minus tres horas continere: tempus enim pro primis Veſperis in hyeme, quando Sol ſupra hæmiſpherium pauciori tempore apparet quam reliquo anni curſu, eſt hora ſecunda poſt meridiem: occaſus autem Solis die ſequenti eſt hora poſt meridiem quinta. Dies proinde Eccleſiaſticus *incipit in Veſperis quantum ad Officii celebrationem ... & canonicam computationem fictione juris &c.* (ſunt verba Gloſſæ in *cap. 2. de fer.*)

Obſervet 2. Eccleſiæ Theſaurum per Indulgentiæ Plenariæ conceſſionem aperiri in die feſto non ratione diei materialiter conſiderati, ſed in gratiam & intuitu Feſti: ut videre eſt in authographis Brevium dies feſtos Indulgentiarum muneribus decorantium, quæ his verbis exprimuntur = *Univerſis &c. qui Eccleſiam N. Civitatis N. DIE FESTO S. N. a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis DIEI HUJUSMODI* (nempe Feſti ut ſupra) *devote viſitaverint &c. Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem in Domino concedimus* = Mens itaque Summi Pontificis Indulgentiæ Plenariæ munus elargientis in die Feſto eſt, favore proſequi illum diem per totum illud temporis ſpatium, quo ille dies feſtus eſt, tota feſtiva eadem celebritate perdurante.

Obſervet 3. quam bene in hac re quorundam Sacri juris Interpretum errorem notaverit Eminentiſſimus Bona in *Pſalmodia c. 11. §. 2.* his verbis = *Non ideo tamen quorundam Canoniſtarum errorem ſequi debemus exiſtimantium, Completorium unam eſſe ex nocturnis vigiliis. Quamvis enim poſt ſolis occubitum celebretur; diurnis nihilominus Officiis tanquam ipſorum complementum deputatur* = Si ergo ſententia Completorium ab Officio diurno ſejungens minime recipienda cenſetur; ex oppoſito dicendum eſt Completorium ad diurni Officii complementum pertinere: adeoque toto eo tempore, quo illud canitur in choro, dicti diei Officium diurnum perſeverare.

Obſervet 4. id quod Paſſerini ſententiæ vires penitus enervat, textum nempe clarum, & quidem non authoris cujuſpiam privati, ſed Summi Pontificis Alexandri III. in *c. 2. de fer.* ita decernentis = *Licet ſcriptum ſit: de Veſpera in Veſperam celebrabitis Sabbata veſtra; Feſtorum tamen principium & finis juxta eorum qualitatem, & diverſarum regionum conſuetudinem debet attendi: & ſicut magnitudo dierum exigit prius incipere, & TARDIUS TERMINARI.* = Quamobrem abſonum non eſt ab Eccleſiaſtico ritu & præſcripto, ſi Completorium (quod immi-

minente nocte præſcribitur perſolvendum, ubi diei magnitudo (ut verbis utar allegatæ Decretalis) id exigat, poſt Solis occaſum per aliquod temporis ſpatium ultra protrahatur. Rurſus quia Feſtivitas atque Feſtus dies ab Officii celebratione menſuratur (ut per ſe patet & explicat Gloſſa ſupra allegata) toto tempore, quo durat hoc Officium, durat etiam dies feſtus. Si opponatur, per noviſſima edicta in occaſu Solis finem Feſtorum determinari; bifariam poſſet reſponderi, primo, illis edictis non terminum Feſti, ſed aliud longe diverſum intendi: quare ſi Completorii recitatio Solis occaſum longius ſubſequatur, non propterea ex vi eorum decretorum diem Feſtum compleri, ſed expleta ejus recitatione perdurare. Secundo, quod quantunvis illicita atque peccaminoſa ejus Feſti protractio quantum ad Eccleſiæ Miniſtros, ubi Officium perſolvitur, eſſet exiſtimanda; nihilominus Indulgentiæ eo die Feſto percipiendæ nihil officeret: quandiu enim Feſtivum perdurat officium, tandiu dies Feſtus ad Indulgentiam acquirendam præfinitus perſeverat: ſicut Miſſæ aſſiſtens Sacrificio præceptum audiendi Sacrum impleret, licet Sacerdos illud offerens per eam celebrationem graviter peccare quomodolibet ſupponeretur. Feſtum enim hic intelligimus juxta Eccleſiaſticæ diſciplinæ legem ritu ſolemni celebratum, non vero juxta aliam quomodolibet devotam populi Feſtivitatem, quæ ad Officium Eccleſiaſticum non pertineat. Hinc quanvis non raro poſt elapſum noctis ſpatium accenſa luminaria, igneas machinas quarundam Feſtivitatum occaſione erectas inſpiciamus; hæc tamen minime ad Feſtorum dierum rationem, de quibus agimus, ſpectare dicenda ſunt.

His itaque obſervatis ſerio perpendat Lector, an Cottonii, & Paſſerini opinio oppoſitæ ſit præferenda, an e converſo. Quod ſi conſideret Indulgentiam, de qua agimus, pro Feſto ejuſque intuitu concedi, adeoque tandiu percipi poſſe, quandiu perdurat Officium; inſuper ſi Completorium animadvertat ad Officium Feſtivum & quidem diurnum diei antecedentis pertinere; ſi item diem, pro quo conceditur Indulgentia, non ab alio quam ab Officii celebratione, quæ pro diei magnitudine tardius abſolvitur, compleri diſcat; ſi hæc omnia, inquam, præ oculis habeat, probabiliorem eſſe Quintanadvenæ opinionem arbitrabitur. Eo fortius & potiſſimum, quia percipi nequit, Indulgentiam die Feſto, & intuitu Feſti conceſſam non perdurare per totum tempus, per quod Feſtum adhuc perſeverat. Cognoſcet tandem ex hac aſſertione magis allici Chriſtifideles ad Sanctos in Feſtivis eorum diebus devote recolendos atque ad eorum Eccleſias in ejumodi Feſtivitatibus viſitandas: eamque eſſe piam Eccleſiæ largitatem, ut quandiu aliquod Sancti Feſtum celebratur, Indulgentiæ Plenariæ beneficium impenſum tandiu poſſit comparari.

Ex hactenus dictis colliges 1. quiſnam ſit eorum verborum intellectus = *uſque ad occaſum Solis* = ſignificant ſiquidem Solis occaſum, non quidem Aſtronomicum, ſed Eccleſiaſticum: ſicut ex dictis conſtat, dies pro quibus Indulgentia Plenaria conceditur, non Aſtronomice ſed Eccleſiaſtice menſurari. Senſus itaque illius clauſulæ eſt: *uſque ad Officii divini complementum, quod in Solis occaſu ſolet expirare*. Nec iſtam interpretationem dixeris imaginariam aut violentam, quin imo rei de qua agitur maxime cohærere; quandoquidem ſi hujus diei initium Aſtronomico calculo non ſubjacet, qua ratione hujus terminus reputabitur ab Aſtronomica menſura dependere? Hanc vero Sacros Canones minime agnoſcere compertum eſt. Alexander enim III. ſupracitatus, de initio ac fine Feſti petractans, & legem ſtatuens, nullo modo de Solis occaſu Aſtronomico ſermonem inſtituit. Neque hic reponas: per verba illa = *uſque ad occaſum Solis*, quæ in Literis Apoſtolicis Indulgentiarum inſeruntur, eam Feſti ampliationem fuiſſe reſtrictam, quæ in eo Canone poterat apparere: ea ſiquidem verba cum a Completorii recitatione, etiam poſt Solis occaſum, Officii Feſtivi rationem non auferant; minime præſtant, illud extra Feſtum illius diei fuiſſe recitatum: ac proinde Alexandri III. ampliationem, ut ſupra dictum eſt, minime reſtringunt. Et profecto ſi res examini committatur, perſpicue conſtabit, hanc noſtram clauſulam non eſſe reſtringentem, ſed potius ampliantem, atque gratioſam. Con-

ceſſa

ceſſa enim Indulgentia Plenaria Eccleſiam viſitantibus in die Feſto, eo ſpatio temporis expiraret, quando Eccleſiaſtica feſtiva celebritas terminaretur. Cum autem, ut inplurimum ac fere ſemper contingat, Officium Feſtivum Completorii ante Solis occaſum abſolvi; hinc ad ampliandam, atque extendendam Indulgentiæ percipiendæ commoditatem, ad occaſum uſque Solis, ſeu Feſtivæ celebrationis terminum hujuſmodi remiſſionis fructum Summos Pontifices indulſiſſe: arbitrantes, quod fere ſemper contingit, Officium Feſtivum jam eſse terminatum atque abſolutum. Itaque ſi propter diei ſolemnitatem quandoque tempore occaſus Solis Officium Eccleſiaſticum minime foret perſolutum; quis contendet Indulgentiæ Plenariæ munus comparari eo die, qui Officii Eccleſiaſtici celebratione menſuratur, ac ſicut diei ſolemnitas poſtulat, tardius terminatur?

Colliges 2.° hanc ſententiam non eludere, ſed firmius vulgatum axioma ſtabilire=*Indulgentiæ tantum valent quantum ſonant* = ac ſolum ab oppoſita diſcrepare, quod illa accipiat verba duntaxat ut ſonant in ſenſu Aſtronomico, hæc vero ut ſonant in ſenſu Eccleſiaſtico, alteri in Feſtis Eccleſiaſticis celebrandis temporiſque menſuram habentibus præferendo; quæ certe menſura Aſtronomica non eſt ſed Eccleſiaſtica. Itaque hæc ſententia ad ſalvandum quod verba Indulgentiæ tantum valent quantum ſonant; propugnat, quod ſi Completorii Officium poſt Solis occaſum protrahatur;eo abſoluto locus amplius non ſit etiam per momentum ad Indulgentiam acquirendam: licet exiſtimet, toto Completorio durante poſt Solis occaſum Indulgentiæ conceſſæ fructum poſſe comparari. Quamobrem ſi res bene ponderetur; axioma illud Quintanadvenæ opinioni favere nemo non dixerit. Etenim dum oppoſita ſententia vult ex una parte verba Indulgentiarum tantum valere præciſe quantum ſonant, ita ut nihil omnino ad præciſum & proprium verborum ejus ſenſum ſuperaddatur; Quintanadvenas merito ex alia arbitratur, ea verba valere præciſe quantum ſonant, ita ut de proprio & præciſo eorum ſenſu nihil minuatur, aut detrahatur. Et quidem potiori jure, quia cum Indulgentia ex ipſius Paſſerini teſtimonio *quæſt. 93. n. 707.* ſit lex favorabilis non reſtrictiva; ita conceſſionis Indulgentiæ ſenſus debet exponi, ut in nihilo deficiat. Si igitur Indulgentia pro die Feſto conceditur; ea debet intelligi, ut nihil de Feſto minuatur: ita ut toto Feſto durante Indulgentia in ſua robore perſeveret. Exigitur itaque ad Indulgentiam pro Feſto,ut nulla ſit ejus Feſti hora in qua ejus fructus percipi non valeat. Uno verbo per illam Completorii recitationem in choro poſt Solis occaſum vel duratFeſtum,vel non. Si primum dicatur;etiam Indulgentiam perſeverare neceſſe eſt pro die Feſto ejuſque intuitu conceſſam. Si ſecundum; quomodo continuatur Feſtum eo non durante? Feſtum enim continuari per hanc Completorii recitationem nemo ibit inficias. Ergo ut indulgentiæ valeant quantum ſonant, debet Indulgentia ſuum effectum obtinere pro toto Feſto, pro quo illa pœnæ temporalis remiſſio ab Eccleſia conceditur.

Ut omnino hanc materiam abſolvam, non poſſum non advertere, duas eſſe clauſulas, quæ quantum ad eorum ſenſum inter ſe pugnare videntur. Prima eſt *in die feſto* & *in die hujuſmodi* = quæ ampliationem exigunt, atque extenſionem: Secunda *uſque ad occaſum Solis*, quæ præſefert limitationem atque reſtrictionem. In clauſulæ ampliativæ cum clauſula reſtrictiva conflictu attendenda eſt legis natura cum his clauſulis conceptæ: cum autem lex Indulgentiæ favorabilis ſit, conſequens eſt; oportere clauſulam reſtrictivam per ampliativam & non e converſo moderari, nullumque præjudicium Indulgentiæ comparandæ occaſum Solis Aſtronomicum afferre, ſi ea Indulgentia intuitu Feſti conceſſa ſit, quando hoc per Completorii recitationem poſt Solis occaſum Aſtronomicum perſolvatur.

Hæc conſulto duximus afferenda, ut Quintanaduenæ Sententiam optime genuino Canonum ſenſui conformem eſſe, contrariæque opinionis difficultatibus ſufficienter occurrere, quiſquis intelligat, nec ita feliciter Cottonii ac Paſſerini ſententiam procedere: hæc enim nullo Eccleſiaſticæ legis præſidio niſi materialiter inſpectæ fulcitur, nec oppoſitæ ſententiæ momentis reſpondere facile poteſt.

Clau-

§. II.

Clauſula : *Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris*.

AD determinandum tempus, quo ex mente Summorum Pontificum Brevia conceſſionum Indulgentiarum perdurant, in eiſdem inſeritur hæc clauſula = *præſentibus ad ſeptennium tantum valituris* = non ſolum pro iis, quæ Feſtivitatum Eccleſiaſticarum intuitu conceduntur, ſed etiam pro aliis Localibus, imo & Perſonalibus: de qua quæri poteſt: a quo tempore ſeptennium conceſſionum Indulgentiarum decurrere incipiat?

Quintanadvenas in *Append. ad Sacram. Pœnit. tract. 2. dub. 3. n:* 3. agens de Jubilæo quadraginta horarum, tanquam opinionem probabilem recipit ſententiam aſſerentem, non a die datæ ſeptennium decurrere, ſed a tempore, quo uti voluerint ii, in quorum gratiam Indulgentiæ conceduntur = *Major*, inquit, *difficultas eſt: an ſeptennium hujus Jubilæi* (ſic vocant Hiſpani quamlibet Indulgentiam Plenariam) *neceſſaria computandum ſit, ex quo ad notitiam pervenit eorum, in quorum gratiam eſt conceſſum, vel pro ipſorum arbitrio differri valeat poſt duos aut tres annos, & poſt hos per ſeptem annos integros duret? In quo dubio non ſine probabilitate, in hunc ſecundum modum hos annos computandi propendeo: Pontificis enim intentio eſſe videtur, ut Fideles per ſeptem annos hujus Jubilæi gratia in hac Eccleſia fruantur, nec determinat hos potius vel illos annos futuros & mediate vel immediate ſequentes conceſſionem, vel publicationem, cum non dicat: præſentibus ad ſeptennium ſubſequens valituris: & ſenſus eſt, hoc Jubilæum, ſeu hujus Jubilæi conceſſionem per ſeptem annos duraturam eſſe, ac ſi dicat: Concedo ut ſeptem annis hanc Indulgentiam Plenariam ſepties lucrentur Fideles in ſingulis annis. Sicut ſi Rex abſolute alicui concederet, ut per ſeptem annos vectigalium onere eximeretur, annos vero quoad illorum initium non determinaret, aut limitaret; poſſet privilegiatus eligere ſeptem annos, quos vellet.*

Rodericus *tom. 2. quæſt. Regular. quæſt.* 98. putat ſeptennium eſſe a die publicationis auſpicandum: quia ante quam publicentur Literæ Apoſtolicæ Indulgentiarum, nequit a Fidelibus earum fructus percipi, cum Populus hujuſmodi conceſſionem ignoret, & in iis, quæ concernunt animam, requirantur ſcientia, acceptatio, & receptio Literarum: ignoranti enim non currit tempus: *l. quandiu C. qui admitti ad bon. poſſeſſ.* Quamobrem ſicut Summi Pontificis Epiſtolæ Decretales vim legum non obtinent, niſi publice intimentur; ita Indulgentiarum Brevia, quæ maxime Pontificiis Epiſtolis aſſimulantur, utpote quæ ad Univerſos Chriſtifideles diriguntur, valorem & robur non habent antequam illis, in quorum favorem conceſſæ ſunt, innoteſcant. Sententiam Roderici amplectitur Zypæus *tit. de pœnit. & remiſſ.* quanquam non omnino certam arbitretur, ubi ait = *Iterum hæc verba: præſentibus ad ſeptennium tantum duraturis, quamvis publicari non poſſint ſine Ordinarii licentia juxta Concil. Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 9., *& ſic computandum videri poſſit Indulgentia per ſeptennium præſertim in remotis partibus; nihilominus ſecurum illud non videtur per rationem cap. 7. de Sponſa duorum; nam mens Pontificis expreſſa eſt, ne valeat ultra ſeptennium.*

Nos vero omnino certum exiſtimamus, ſeptennii initium deſumendum eſſe non a die publicationis Indulgentiarum, neque a tempore, quo uti voluerint ii, in quorum gratiam Indulgentiæ conceduntur, ſed a die datæ. Quia in reſcriptis, datæ tempus attenditur *cap. mandatum, cap. Literas, & Cap. Capitulum de reſcriptis*: adeoque a data, non vero a publicatione incipit tempus, quo Eccleſiæ, cui Indulgentia conceditur, ad eandem Indulgentiam jus acquiſitum eſt, ut infertur ex Rebuffo *Conſil.* 199. Rurſus cum duratio gratiæ a concedentis voluntate dependeat, magis veroſimile eſt Sedem Apoſtolicam diem datæ potius, quam publicationis attendere velle: in ſimilibus enim, ubi tempus a publicatione incipere vult, verba hæc loco illarum apponi ſolent *a die pu-*

publicationis: ut recte adnotavit Zypæus in *reſponſis de Jur. can. lib.5. de pœnit. & remiſſionib. reſponſ. 5. n. 6.* Inperceptibile autem videtur, Summos Pontifices ita rem arbitrio obtinentium gratiam committere voluiſſe, ut ſi illi per multos annos Brevium publicationem negligerent, poſtea a die publicationis ſeptennium inciperet. Tandem quum Indulgentiarum Brevia in Regiones diſſitas mittenda ſunt, non ad ſeptennium, ſed vel ad decennium, vel ad quindennium dantur: quod ſane perſpicue declarat, rationem haberi longioris temporis in itinere ab ea deferentibus inſumendi; nulla autem foret hujus diverſitatis ratio, ſi per ſeptennium Indulgentia duratura non a die datæ, ſed a die publicationis inciperet. Exemplum habes in literis, quas obtinent ad Regiones alicui Regi ſubjectas profecturi, ubi dies apponi ſolent per quos illæ ſuum valorem obtineant; quod ſi diebus ibidem taxatis elapſis ejuſmodi literæ minime exhibeantur, nihil penitus eas habentibus proſunt.

Hinc ad exemplum exemtionis a vectigali ſupra a Quintanadvenas allatum facile reſpondemus: duobus modis longum tempus in reſcripto Principis deſignari, 1° ut tempus illud ſtatim ab ipſo reſcripto incipere debeat, & uſque ad ſpatium temporis præfinitum continuari, 2.° ut quomodolibet, & quandocunque incipere poſſit ad obtinentis arbitrium. Reſcriptum autem in terminis clauſulæ, quam exponimus, eſſe primi generis, evincunt graviſſima monumenta allata, & afferenda: & hoc frequenter contingere in Principum conceſſionibus, hic allato exemplo ſatis apparet.

Ea quæ ad noſtræ ſententiæ præſidium attulimus maximum pondus accipiunt ex ſequenti Sacræ Congregationis Indulgent. & Reliq. Decreto = *Diſcuſſo dubio in Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum: an attentis verbis, quæ in Brevibus Indulgentiarum apponi ſolent: præſentibus ad ſeptennium tantum valituris: ſeptennii initium a die publicationis Brevis deſumendum ſit? Eadem Sacra Congregatio ſub die* 18. *Maii MDCCXI. declaravit: non a die publicationis, ſed a die datæ Brevis ſeptennii tempus incipere. Et facta relatione SS. D. N. per me infraſcriptum Secretarium die* 20. *ejuſdem menſis, Sanctitas ſua Congregationis ſententiam approbavit. J. M. Cardinalis Gabriellus Præfectus. Raphael Coſmus de Hieronymis Secretarius.*

§. III.

Clauſula: *Volumus autem, ut ſi alias Chriſtifidelibus, in quocunque alio anni die dictam Eccleſiam, ſeu Cappellam, aut Altare in ea ſitum viſitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, præſentes Literæ nullæ ſint.*

Ut Indulgentiarum debitæ moderationi Summorum Pontificum provida diſpenſatio proſpiceret, clauſulam hanc Plenariæ non raro annexam in nonnullis Literis Apoſtolicis Indulgentiarum Localium potiſſimum conſuevit apponere: quanvis non ſemper iiſdem omnino terminis ibi expreſſa legatur.

Matthias Grovvels in ſua *Portiunc. Theologice expenſa* plura recitat Brevia Bonifacii IX., qui, ea ætate, qua Indulgentia Plenaria per Sedem Apoſtolicam Eccleſias viſitantibus, vel ad earum ædificium manus porrigentibus adjutrices facile concedi cœpit, his verbis hanc clauſulam exprimi curavit = *Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad ejus conſervationem, ſeu fabricam manus porrigentibus adjutrices, aut alias ibi pias eleemoſynas erogantibus, aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad tempus nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit; præſentes Literæ nullius exiſtant roboris vel momenti*=Eandem clauſulam Cancellariæ regulis inſeruit Innocentius VIII., ac ſubinde Paulus V., poſt S. Pium V. amota jam penitus conſuetudine dandi Indulgentias pro porrigentibus manus adju-

adjutrices ſub his terminis = *Volumus, quod in Literis Indulgentiarum ponatur clauſula, quod ſi Eccleſia, vel Cappella, vel alias aliqua Indulgentia fuerit per ipſum conceſſa, de qua inibi ſpecialis mentio facta non ſit; hujuſmodi Literæ nullæ ſint* = Hinc factum eſt, ut hæc clauſula poſtea his verbis fuerit expreſſa = *Volumus autem, quod ſi alias Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam viſitantibus, aliquam aliam Indulgentiam conceſſerimus; præſentes. Literæ nullæ ſint.*

Hujus clauſulæ ſenſum ita exponit Quintanadvenas: ut concedens Indulgentiam intuitu Eccleſiarum, loquatur de conceſſa omnino ſimili, non vero de diſſimili. Ejus verba ſunt ſequentia in *Append. ad Sacram. Pœnit. tract. 2. dub. 4. n. 1.* = *Fundatur hæc clauſula in Regula 57. Cancellariæ, ſtatuente (ut notavit Suarius diſp. 57. de Indulg. ſect. 2. n. 12.) duas Indulgentias eſſe incompatibiles in eodem loco, ſi nulla facta fuit mentio prioris in impetratione poſterioris: tunc autem non excludit poſterior priorem, ſed potius poſterior eſt nulla: eo quod poſterior per ſubreptionem impetrata cenſeatur. Sed ad intelligendam præfatam Regulam, ſubjectamque clauſulam explicandam, ſtatuendum eſt, tunc nullam eſſe Indulgentiam, ſeu Jubilæum ultimo conceſſum, quando aliud omnino ſimile, hoc eſt conceſſum pro eodem loco, tempore, Feſtivitate, & perſonis, ac cum eiſdem diligentiis, & aliis requiſitis extat: ſi enim quoad aliquam circumſtantiam magni momenti diverſum eſt; ultimum valet* = Et *n. 4.* objectionem in contrarium præveniens ſubdit = *Sed opponcs, verba illa: Aliquam aliam Indulgentiam: in quibus omnes aliæ Indulgentiæ ſimiles vel diſſimiles ub illa Eccleſia eo die videntur excludi, cum ſint nomina univerſalia omnes Indulgentias complectentia. Reſpondetur, quod licet pluribus in clauſulis nomina Aliquis & Alius ita accipiuntur, ut ex utriuſque juris Doctoribus probat Barboſa dictione 14. & 17. & in pluribus aliis dictio Aliquod vel Aliquid in modico verificatur, & ad quid minimum refertur; ut ex l. ſi ſervus §. Prætor ait ff. de acquirenda hæreditate, ex Tiraquello, Menochio, Surdo, Bertazol, Franciſco a Souſa, Zenedo, Gratiano, Benedicto, Ægidio, & aliis probat idem Barboſa ſupra dict. 14. Similiter dictio Alius ſimilitudinem denotat, & eſt repetitiva ſimilium, ut idem docet dict. 17. ex l. quidam relegatus, ex Bartolo, Tiraquello, Menochio, Azebedo, Manuele Roderico, Surdo, Flaminio, Tuſcho, Joſepho de Seſſe, Azorio, Zenedo, Velaſco, & pluribus aliis. Unde hæc & ſimilis clauſula intelligenda eſt in præſenti: ita ut aliquam aliam Indulgentiam, idem ſit, ac cum eiſdem circumſtantiis, ſeu omnino ſimilibus quoad locum, tempus, perſonas, diligentias &c. Et ſatis hoc innuit Pontifex, dum dicit: Ut ſi alias Chriſtifidelibus in dicta Eccleſia præmiſſa peragentibus aliquam aliam &c. Præterea cum hæc gratia favor ſit Principis; late intelligenda eſt: & late explicandam eſſe Indulgentiarum conceſſionem affirmant Suarez d. 52. n. 2. Henriquez lib. 7. cap. 3. Nugnus q. 27. art. 4. dif. 3. & Bonacin. diſp. 6. p. 1. q. 1. n. 4.* = Idem docuerunt Gavantus in *Manual. Epiſcopor. verb. Indulgentia num. 17.*, Lezana in *Summa quæſt. regular. t. 3. verbo clauſula n. 25.* & Martinus de S. Joſeph *in Monit. Confeſſar. t. 1. l. 2. tr. 10. de Indulg.*, & plures Epiſcopi hanc ſententiam, teſte Riccio citato in ſuis MSS., olim ſecuti ſunt: ac Literas Apoſtolicas habentes ejuſmodi clauſulam pro Eccleſiis, quæ aliis Indulgentiis decorabantur, publicari mandarunt.

Ad tollendam tamen horum Doctorum falſam interpretationem, atque ad perſpicue ſuam mentem explicandam, in quibuſdam Indulgentiarum Localium conceſſionibus eam reformari ſtatuit Urbanus VIII., aliiſque terminis exprimi = *Urbanus VIII.,* (inquit Sylvius *in var. reſol. p. 2. verbo Indulgentiæ*) *Pontifex Maximus anno 1641. juſſit in Brevibus Indulgentiarum deinceps clauſulam iſtam: Volumus autem: non nihil differenter exprimi. Rmus nanque Dominus Stravius Suffraganeus Leodienſis Reverendo Domino Van Lauretem Præpoſito Atrebatenſi, & Sedis Vacantis Vicario Generali, Leodio ſcripſit 2. Maii 1642. in hunc modum: Sua*

Digitized by Google

Eminentia Dominus Cardinalis Barberinus, per epiſtolam de data 5. Menſis Aprilis, mihi mandat: quod Sua Sanctitas, ad intentionem ſuam melius explicandam, contra interpretationem dictæ clauſulæ per aliquos Religioſos datam ſtatuit, ut deinceps in iiſdem Indulgentiis inſeratur ſequens clauſula: Volumus autem, ut ſi alias præChriſtifidelibus in quocunque anni die dictam Eccleſiam, ſive Cappellam, aut Altare in ea ſitum viſitantibus, aliquam aliam Indulgentiam etiam diſſimilem perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſerimus; præſentes nullæ ſint = Hinc factum eſt, ut ipſemet Sylvius, Diana, aliique, qui cum Quintanadvena, aliiſque allatis Authoribus in ejus clauſulæ expoſitione idem aſſeruerant, poſtea ſententiam mutaverint.

Poſt clauſulæ reformationem ab Urbano VIII. editam, putarunt nonnulli Doctores, verbum illud *conceſſerimus* in ea inſertum individuam, & ſingularem perſonam concedentis Indulgentias, non vero Sedem Apoſtolicam ſignificare: adeoque quancunque Indulgentiam Eccleſiis datam cum qualibet alia Indulgentia a Prædeceſſoribus conceſſa cohærere. Ita Garzias *p. 5. cap. 1. n. 651.*, aliique: & ſignanter Lavorius *p. 2. cap. 14.* exponens ea verba *per nos conceſſæ fuerint* ſic ait: = *Notandum, quod dicit per nos, ad excludendum alios Pontifices, vel Epiſcopos: a quibus ſi conceſſæ fuerint Indulgentiæ, non annullantur* = Cæterum hæc interpretatio nequit congruenter aptari formulæ, quæ modo in uſu eſt: cum neque verbum illud *conceſſerimus*, neque iſta *per nos conceſſa fuerit* in ea reperiantur: & ita exprimatur = *Volumus autem ut ſi alias Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam quolibet anni die viſitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit; præſentes Literæ nullæ ſint.* = Quamobrem hæc clauſula per ejuſmodi mutationem Indulgentias omnes a quocunque alio Summo Pontifice Eccleſiis datas complectitur: idque ex triplici capite poteſt probari. 1.° ex proprietate verborum: iſta enim conditio = *ſi aliqua alia Indulgentia conceſſa fuerit* = ob dictionem *alia* ſimilem ſignificat, non in ſpecie ut ita dicamus atoma, ſed ut Cardinalis Verallus oſtendit *p. 2. deciſ. 296.* quomodocunque ſimilem, ſive in ſpecie, ut eſt Plenaria Indulgentia Plenariis, ſive in genere, ut Plenaria non Plenariis: unde eas omnes innuit, quæ viſitantibus Eccleſiam conceſſæ ſunt 2.° ex obſervantia, ſtiloque poſt talem mutationem inducto. Mos autem Sacræ Congregationis eſt, a ſupplicantibus pro Indulgentiarum conceſſionibus Eccleſiarum obtinendis, exquirere omnes prius conceſſas non a Pontifice ſedente tantummodo, ſed etiam a Prædeceſſoribus ejus datas; obſervantia autem ſubſecuta eſt optima cujuslibet diſpoſitionis interpres: ut ex multiplici Doctorum teſtimonio tradit Mantica. 3.° ex fine concedentis Indulgentias = *Si dubitetur* (inquit Mantica laudatus *dec 59.*) *de mente; ſemper recurrendum eſt ad cauſam finalem, ex qua colligitur congrua interpretatio: l. ultima ff. de hæred. inſtit.* = Finis autem Summorum Pontificum eſt Tridentini moderationem in dandis Indulgentiis adhibere, ac proinde earundem, quæ Eccleſiis dandæ ſunt, exorbitantem cumulum impedire: ut obſervat Lavorius *p. 2. de Indulgentiis cap. 14. n. 115.*

Cum a Sacra Congregatione Indulgentiarum &c hujus clauſulæ ſenſum expeteret Archiepiſcopus Cameracenſis ſub die 23. Junii MDCLXXV.; re diſcuſſa declaraverunt Eminentiſſimi Patres: Clauſulam *Volumus autem &c.* de qualibet Indulgentia, ſive Plenaria, ſive partiali, perpetua, vel ad tempus ab eodem vel alio Pontifice Eccleſiis conceſſa, eſſe intelligendam: ita ut ſi aliqua ex his conceſſa prius fuerit; nequeat ea, in cujus Brevi dicta clauſula inſerta eſt, valida eſſe ac ſuſtineri: exceptis tamen Altaribus Privilegiatis pro defunctis, Indulgentiis certo perſonarum generi, aut certum pium opus in ipſis Eccleſiis peragentibus, nec non conceſſis Stationum Urbis, ſeptem Altarium Baſilicæ S. Petri de Urbe, ac iis quæ pro unica vice conceduntur: ut plenius habetur in ſequenti Decreto = *Cum a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacriſque Reliquiis præpoſita Cameracenſis Archiepiſcopus quæſiviſſet: quæ vis & ſententia clauſulæ, quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi ſolet: Volumus autem, ut ſi alias Chriſtifidelibus dictam Eccle-*

Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit; præſentes literæ nullæ ſint. Sacra Congregatio, re diligentius examinata, clauſulam ſic explicandam cenſuit, ſi videbitur SSmo Domino noſtro. Ea minime contineri Altaria Privilegiata pro defunctis: neque Indulgentias, aut certo perſonarum generi conceſſas: aut Confraternitati, Regularibus & Capitulo: aut certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus, ut Litanias, aliaſve hujuſmodi preces recitantibus, ac iis qui chriſtiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti expoſitioni, cum Oratione quadraginta horarum interſunt: neque Stationum Urbis: & ſeptem Altarium Indulgentias inſtar Altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas: neque demum quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum ſi alia Indulgentia ſive Plenaria, ſive non Plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Chriſtifidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus Altare; ſeu Cappellam viſitantibus eodem anni die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apoſtolicis mentio; has literas ob adjectam clauſulam eſſe prorſus irritas ac nullas. Datum die 23. Junii 1676. De his autem facta relatione ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum die 18. Martii 1677. Sententiam Congregationis approbavit. C. Card. Maximus: Michael Angelus Riccius Secretarius.

Quæres hic: an nondum completo ſeptennio, ad quod conceſſa eſt Indulgentia pro aliquo Feſto, ſi ſimilis pro eodem Feſto ad aliud Septennium impetretur; valida cenſenda ſit?

Zypæus *tom. 2. lib. 5. tit. de Pænit. & remiſſ. reſp. 5. n. 4.* hanc pertractans difficultatem de Altaribus Privilegiatis, pro utraque parte propoſitis rationum momentis concludit, ſecurum non eſſe hujuſmodi Brevia publicare = *Hæc autem verba: ſimili ad præſens privilegio minime decorata, an ſubreptitiam faciant gratiam, cum nondum finitum eſſet ſeptennium, ad quod jam ante ſimile privilegium erat conceſſum, ſatis dubia videntur: quanvis enim ſignificatum dicatur, quando aliud privilegium eſſet datum, & intelligi ex eo poſſet nondum eſſe finitum; ſolent tamen frequenter formularii, ſollicitatores libellos ad ſe miſſos mutare, ſecundum verba privilegii inſeri ſolita: & quanvis etiam dici poſſet, Eccleſiam non habere privilegium pro eo tempore, quo petebatur; non tamen ſenſus ille obvius eſt, nec ſolent eum intellectum illa verba communiter generare, ſecundum quem intelligenda videntur arg. cap. 7. de Sponſalib. Eoque magis eſt dubias, quod etſi quidam Indulgentias exiſtiment ut favores, ampliandas; tamen alii, ut Navar. de pœnit. & remiſſ. conſil. 38. cenſent ſtricte eſſe interpretandas arg. cap. 1. §. de privileg. poſt Gloſſ. quam dicit receptam, & rurſus conſ. 35. num. 3. quippe tanquam diſpenſationes, eoque ſtricte accipiendas: ideoque ſecurum non videtur, eas ſine alio Pontificis beneplacito publicare* =

Diana *t. 9. tract. 2. de Altarib. Privil. reſol. 10.* expenſis Zypæi rationibus affirmative dubio reſpondet = *Sed aliquibus viris doctis hæc, quæ protulit Zypæus, nimis ſcrupuloſe videntur dicta. Et quidem ego adhæreo opinioni aſſerenti, Indulgentias eſſe late interpretandas: & ita tenet ex Suar. Bonacin., & Nugno, & doctus Pater Quintanad. in Theol. mor. tom. 1. tract. 2. Append. ſingul. 5. n. 4. quod probatur: quia Indulgentia eſt res favorabilis: ergo. Probatur antecedens: quia eſt beneficium Principis: ſed beneficium Principis ampliſſime eſt interpretandum, quando fit ſine præjudicio tertii, ut habetur in l. ult ff. de Conſtit. Princ. ergo. Secundo probatur: quia ſine dubio Indulgentia eſt res favorabilis, ſiquidem eſt opus miſericordiæ. Nec obſtat dicere, quod licet Indulgentia videatur favor reſpectu ejus, cui conceditur; tamen ſimpliciter loquendo, eſt res odioſa, atque adeo reſtringenda: quod probatur ex uſu Eccleſiæ: quia hac ratione in cap. cum ex eo de pœnit. & remiſſ. facta eſt magna reſtrictio in Indulgentiarum conceſſione. Et redditur ratio: quia per nimias Indulgentias ſatisfactio pœnitentialis enervatur: ergo computanda*

da eſt Indulgentia inter res odioſas. Secundo probatur: quia diſpenſatio in jure communi eſt odioſa: ſed Indulgentia eſt quædam diſpenſatio in Jure Divino: ergo eſt odioſa. Non inquam hæc obſtant; nam ad primum reſpondetur, in his rebus attendendum eſſe ad homines particulares, reſpectu quorum ſine dubio Indulgentia magis eſt favorabilis. Et ſimiliter reſpondetur ad ſecundum, quod quando diſpenſatio in jure communi ordinatur ad bonum particularium, etiam eſt favorabilis.

Cottonius vero *lib. 2. de SacramControv. 11. n. 95.* ita Dianæ ſententiam moderatur= *Ego media via incedendum puto. Neque enim credo per quodvis tempus valide anticipari hujuſmodi petitiones: adeoque ſi quis ſecundo, vel tertio anno primi, impetret pro ſecundo ſeptennio; ſubreptitia erit conceſſio. Ergo prudenter procedendum penſat diſtantia loci a Curia Romana, & qualitate Indulgentiarum: nam loquendo de ea, quæ conceditur pro die anniverſaria alicujus Sancti, nimiam anticipationem exiſtimo, ſi petatur ante ultimam Feſtivitatem: ſi autem de Altari Privilegiato, quod valet hebdomadatim; puto peti poſſe eo tempore: ut ſecundæ Literæ perveniant in locum in uno menſe ante expletum ſeptennium: Indulgentiæ ſeptem Altarium, quæ ſunt quotidianæ, ut perveniant quindecim ante diebus.*

Nos vero reſpondemus cum Paſſerino *qu. 95. nu.* 720. abſolute & citra quamlibet limitationem non valere. In Apoſtolicis enim reſcriptis dies affixa debet attendi: adeoque ſi tempore, & die novi reſcripti, primi ſeptennii tempus expletum non eſt, & de hoc mentio non fiat in ſubſequenti Brevi; deficit conditio ſub qua Literæ Apoſtolicæ expediuntur: ideoque novæ Indulgentiæ conceſſio cum ea clauſula nullius prorſus momenti cenſenda eſt. Cujus rei ratio potiſſima eſt: quia Indulgentia ſubſequens nequit dici eadem bis conceſſa. Si autem nondum elapſo termino ſeptennii primæ ſuperveniret; eſſet bis conceſſa: cum eodem ipſiſſimo tempore etiam valeret ſecunda. Quod profecto abſurdum eſt, & a Majeſtate Sedis Apoſtolicæ concedentis Indulgentias alienum.

§. IV.

Clauſula: *Volumus autem ut ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur; præſentes Literæ nullæ ſint.*

Dictum eſt *p. 1 hujus tract. diſſert. proœmial. hiſtor. §. 5. pag. 57. col. 1.* Pium IV. Conſtitutionem promulgaſſe ſub die 7. Novembris anno MDLXII., incipientem *Decet Romanum Pontificem*, qua prohibuit S. R. E. Cancellariis, Scriptoribus, Referendariis, Abbreviatoribus, aliiſque Romanæ Curiæ Officialibus, ne ullam taxam aut cujuſvis generis ſolutionem, ſub pœna excommunicationis majoris ipſo facto incurrendæ, pro expediendis Indulgentiarum Brevibus reciperent: iis exceptis, quæ haberent clauſulam *pro porrigentibus manus adjutrices*: abſurdum & indecorum exiſtimans, pro hujuſmodi ſpiritualibus gratiis exigi aliquid temporale præter ſolutionem *Regiſtraturæ*= *Quapropter* (verba ſunt Conſtitutionis) *inconveniens eſſe cenſentes, pro conceſſionibus Indulgentiarum, quæ in ſolis meritis Paſſionis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejus glorioſorum Martyrum & Sanctorum conſiſtunt, aliquid temporale exigere; Nos præmiſſis, prout noſtro incumbit officio de remedio opportuno providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia dilectis filiis modernis, & pro tempore exiſtentibus S. R. E. Vicecancellario, ejuſque in Cancellaria Apoſtolica Locumtenenti, nec non Summiſtæ, Scriptoribus, illorumque pro tempore Referendario, Computatori, Receptori & Defenſoribus, necnon Secretariis Literarum Apoſtolicarum, illarumque tam Majoris, quam Minoris Præſidentiæ Abbreviatoribus ac Sollicitatoribus, plumbique & Regiſtri Magiſtris, Collectoribus, earundem Literarum Apoſtolicarum Regiſtratoribus,*

bus, Bullatoribus, Fratribus Barbatis nuncupatis, & illorum famulis, nec non in Regiſtro ſupplicationum manu & in præſentia noſtra ſignatarum Magiſtris, & Scriptoribus, aliiſque Romanæ Curiæ Officialibus & perſonis etiam eorum officia ex cauſa quantunvis oneroſa obtinentibus, cujuſcunque qualitatis & conditionis exiſtant, ac quocunque nomine appellentur, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub majoris excommunicationis latæ ſententiæ, nec non amiſſionis ad ſemeſtræ omnium emolumentorum, eorum officiorum, quæ ipſo jure, quoties contrafecerint, Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe applicata eſſe cenſeantur, & creſcente inobedientia, etiam privationis eorundem officiorum ipſo facto incurrendis pœnis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium præcipimus & mandamus, quatenus videlicet in Regiſtro ſupplicationum Magiſtri, & Scriptores hujuſmodi ultra ſalarium inibi pro ſignaturis ordinariis exigi ſolitum, alii vero Officiales Literas Apoſtolicas tam ſub plumbo, quam in forma Brevis, ſuper gratiis Indulgentiarum, & peccatorum remiſſione etiam Plenaria tam pro vivis, quam pro defunctis, tam ad tempus, quam perpetuo, ad futuram ſeu perpetuam rei memoriam, vel alia forma, ac cum quavis narrativa, pro quibuſvis particularibus perſonis, ſeu Eccleſiis etiam Cathedralibus, & Collegiatis, Monaſteriis, Prioratibus, Cappellis, perpetuis Cappellaniis, Oratoriis, Hoſpitalibus, Capitulis, Collegiis, Conventibus, Confraternitatibus, Societatibus, Univerſitatibus, & quibuſcunque aliis Piis locis, a Nobis & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, etiam facultatem eligendi Confeſſorem eum votorum commutatione in ſe continentibus pro tempore, citra tamen clauſulam porrectionis manuum adjutricum conceſſis, & concedendis, conficiendis gratis pro Deo ubique per eorum officia, abſque aliqua taxa regalium, ſeu jocalium, aut cujuſvis alterius generis ſolutione, vel exactione, quantunvis ordinaria, vel extraordinaria, omnibus recuſatione, & contradictione ceſſantibus, illico, nullo alio a Nobis aut altero deſuper exacto mandato expediant .... expeditas tradant & conſignent = Verum ut avaritiæ aut ſimoniæ, quæ prætextu impetrationis, præſentationis, publicationis eorum Brevium ſubrepere poterat, aditus præcluderetur; voluit Sedes Apoſtolica illos actus omnino gratis exhiberi: addita pœna nullitatis Indulgentiarum per hanc clauſulam in earum Literis inſertam = *Volumus autem, ut ſi pro impetratione, præſentatione, ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte recipiatur; præſentes Literæ nullæ ſint.*

Putat tamen Quintanadvenas *Append. ad Pœnit. Sacram. tract. 2. dub. 5. n. 3.* hac clauſula prohiberi duntaxat ea, quæ poſſunt ſapere emtionem ac venditionem Indulgentiarum, ſecus vero aliquid dari Notariis, Abbreviatoribus, aliiſque Officialibus, qui citiſſime præſentarunt, expedierunt, aut publicarunt earum Brevia tum titulo vel gratitudinis, vel redimendæ vexationis cauſa, tum ratione laboris impenſi= *Prohibet Summus Pontifex clauſula hac quancunque exactionem, ſolutionem, lucrum, quæſtum, quæ quovis modo redoleant emtionem aut venditionem, in Jubilæorum ac Indulgentiarum conceſſione, aut expeditione: & ita hoc prohibet, ac prohibetur in jure c. 1. de Simon. aliquid dari ab eo, qui ordinatur, & in c. ſicut Epiſcopum 1. q. 2. quod Epiſcopus ac miniſtri ejus aliquid petant, & in c. 1. §. penult. de cenſibus in 6. Prælato Diœceſim ſuam viſitanti dicitur: caveat ut, ipſe aut quiſque ſuorum aliquod munus, quodcunque ſit, & qualitercunque offeratur, præſumat accipere. In his enim & ſimilibus, non qualibet datio vel acceptio ut ſimoniaca prohibetur: ſed ea tantum, quæ fiat intuitu religionis & juſtitiæ in tali materia, & quæ aliquo modo ſpectat ad commutationes voluntarias ſacrarum rerum: ut tales ſunt etiam cum vilipendio, & injuria earum..... Hinc colliges pluribus titulis poſſe aliquid dari, & accipi pro præſentatione, admiſſione vel publicatione horum Jubilæorum. I. titulo gratitudinis, quia ſcilicet gratum me exhibere volo Notario, Abbreviatori, Referen-*

ferendario, vel cujuis alteri Officiali, quia ſine ulla mora & alacriter præſentavit, expedivit, aut publicavit Pontificium Indultum Indulgentias continens. Nec cenſendum eſt, Pontificem voluiſſe me avertere a gratitudinis actu aut illius virtutis exercitio. II. titulo laboris in ea impenſi: nimis enim defatigatus eſt in Jubilæo præſentando, & publicando, ac ita dignus eſt mercede ſua. III. ratione ſuſtentationis: ex officio enim præſentandi, aut publicandi has Indulgentias alitur Officialis, & ſalarium aliunde ſignatum non habet. IV. titulo redimendæ vexationis: ſcio enim Notarium, vel Officialem hunc minime literas expediturum: imo eas Indulgentias impediturum, ni ei donum aut pecuniam porrigam. Nec credendum eſt Pontificem velle, ut ob Officialis avaritiam, aut injuſtitiam, favore ego priver Indulgentiarum: neque quod ipſe Officialis præmio, ſcientiæ, ac corporali ipſius labori debito, & ad victum neceſſario privetur=Et poſt pauca, ea quæ in oppoſitum objici poterant præveniens, ſubdit=*Neque obſtant verba illa: vel ſponte oblatum: eadem enim apponuntur in Trident. ſeſſ. 12. de reform. c. 1. Quoniam ab Eccleſiaſtico Ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet; nihil pro collatione quoruncunque Ordinum etiam Clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, neque pro alia quacunque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & alii Ordinum collatores, aut eorum Miniſtri, quovis prætextu accipiant: & tamen aliquo ex titulis aſſignatis aliquid dare, vel accipere poſſe pro Ordinum collatione, aut examine, probatum eſt ſingulari 15. Tract. 6. & Reginaldus hanc Tridentini prohibitionem explicans dicit: poſt ipſam collationem Ordinis, liberaliter, ac ſponte, non in compenſationem oblatorum recipi poteſt aliquid ab Epiſcopo, dummodo abſit ſcandalum ex cap. ſicut Epiſcopum 1. q. 2. & ex c. dilectus §. 1. de Simonia. Similiter Ordinarii & alii Officiales, quibus a Sede Apoſtolica committuntur diſpenſationes matrimoniales, & aliæ, prohibentur, aliquid etiam ſponte oblatum recipere: ſed exigere hos poſſe pro labore, receptione, & examinatione teſtium, docent Th. Sanch. l. 8. de matrim. d. 15. n. 11. & Salas de leg. d. 20. ſect. 10. quod quidem introductum eſt conſuetudine, nam ut ex horum DD. mente Caſtrop. t. 3. tr. de ſimonia d. 3. pun. 12. n. 12. (licet oppoſitum ſentiat) ait, etſi in reſcripto harum diſpenſationum habeatur: ut omnis ſpes cujuſcunque muneris, & præmii etiam ſponte oblati deponatur; non inde fit, non poſſe laboris impenſi ſtipendium recipi, nam ſtipendium non habet proprie rationem muneris, neque præmii. Tandem nullus Sapiens ſibi perſuadebit, Pontificis mentem, & intentionem eſſe, quod res ita magni momenti, ac eſt Indulgentiarum & Jubilæorum lucratio, pendeat tum ex re ita exigua, ut eſt largitio, vel acceptio munuſculi liberaliter dati, & juſte ex juſto labore accepti, tum ex improba Officialis voluntate nolentis Indulgentiarum Indultum præſentare, vel publicare, niſi ipſius labore ſatisfiat, aut ex ignorantia munus, aut ſolutionem impendentis, vel ex ipſius liberalitate, & gratitudine. Præſertim cum omnibus palam ſit, nihil expediri, niſi vel munera, vel pecuniæ intercedant. Dubiumque ſane maximum de omnium Jubilæorum hanc clauſulam continentium valore extaret, ſi omnis omnino, & quovis titulo acceptio prohibita eſſet per illam*= Hactenus Quintanadvenas.

Sed huic modo dicendi non ſubſcribit Duallius in *p. 2. D. Th. tr. de Indulg. q. un. ar. 8. in fin.* = *Quæritur*, inquit, *utrum ſi detur modica aliqua pecunia pro vacatione Parochi, qui eas publicet, aut Secretarii Epiſcopi, qui eis nomine Epiſcopi ſubſcribat, tales Indulgentiæ propterea nullæ ſint? Reſpondeo verba hæc comprehendere omnes illos caſus: tum propter particulam hanc nihil omnino, quæ & quodvis præmium, ſive aliquid aliud, ſive magnum, aut exiguum, etiam ſponte oblatum excludit: tum etiam quia intentio Pontificis eſt, ut ſicut Indulgentia gratis, & quoad ſcripturam, & quoad pargamenam conceditur; ita etiam gratis in omnibus executioni mandetur: adeo ut ſi*

Pa-

Parochus pro publicatione, & Secretarius pro ſubſignatione quidquam etiam tenue accipiunt; Indulgentiæ conceſſæ a Pontifice non proſunt.

Cum pluribus periculis obnoxium ſit Quintanadvenæ opinioni adhærere, a ſententia Duallii minime recedendum arbitror. Hæc enim clauſula: *Volumus autem ſi pro impetratione &c.* ſtatuta eſt tam ad Simoniæ, quam cujuslibet avaritiæ labem auferendam a Miniſtris alias habentibus ſua ſtipendia pro expediendis, admittendis, & publicandis Indulgentiarum Literis: ut omnes intelligant, non quæſtus, aut alicujus lucri cauſa, ſed ad excitandam Fidelium pietatem ex Apoſtolicæ Sedis benignitate cæleſtis Eccleſiæ theſauros aperiri. Profecto ea verba = *ne aliquid minimum detur aut ſponte oblatum recipiatur* = tam clare indicant mentem Summorum Pontificum ab omni munerum exhibitione abhorrentem, ut Quintanadvenæ interpretationem non admittant, nec ſuppoſita ejus doctrina poſſint verificari. Obſervat tamen, & bene Cottonius *lib. 2. de Sacram. Contr. 11. cap. 3. n. 92.* aliam eſſe rationem de Procuratoribus, & Curialibus Romanis, qui aliarum perſonarum ſupplicantium negotium gerunt, neque ſtipendium a Summo Pontifice recipiunt: ideoque cum gratis laborare non teneantur, aliquid pro labore eos accipere, vetitum non eſſe, nec Indulgentiarum valori derogare.

CAPUT II.

DE INDULGENTIIS PERSONALIBUS.

EXpoſitis iis, quæ ad Indulgentias Locales pertinent, ad diſceptandum de Perſonalibus devenimus; ad earum vero confuſionem ſedulo vitandam curabimus in hoc Capite conceſſas & concedendas tradere. 1.° Ordinibus Regularibus. 2.° Confraternitatibus. 3.° orantibus coram Sanctiſſimo Sacramento publicæ venerationi expoſito. 4.° certa pietatis officia devote obeuntibus. 5.° tandem agemus de Indulgentia in articulo mortis.

ARTICULUS I.

De Indulgentiis Ordinum Regularium.

REgulares Ordines ardenti charitatis affectu per Sacrificia, vigilias, & orationes aſſidue Deo famulantes, quamplurimis Indulgentiarum theſauris, eximiis privilegiis, indultis, & facultatibus a Sede Apoſtolica locupletari meruerunt; ut quemadmodum in Divinis obſequiis exhibendis ſæculari populo præire non dubitarunt, ita in ſpiritualibus gratiis & favoribus antecellerent. Alia inſuper hujuſmodi conceſſionum acceſſit cauſa, tum quia eorum alumni in Eccleſia Dei plurimum laborarunt., ut in myſticis hujus Mundi paſcuis diſperſas Chriſti Oves ad Caulam Domini reducerent, ac fieret unum Ovile, & unus Paſtor; tum quia, variis editis voluminibus nova ac vetera de theſauro veræ ſapientiæ ac doctrinæ proferentes id egerunt, ut vel blaterantibus heterodoxis ſilentium indicerent, Catholicas veritates aperiendo, atque inconcuſſas ſervando: vel ut in vinea Domini Sabaoth evellerent vitia, plantarent virtutes, ac verbo prædicationis, vitæque exemplo populum Deo acceptabilem, ſectatoremque bonorum operum redderent. Quæ non obſcure declarat S. Pius V. Conſtitutione edita ſub die 27. Julii MDLXVII. his verbis = *Ac exinde pro ſuis ſanctis ſtudiis, honeſtiſque laboribus, proque ſalute animarum ab Apoſtolica Sede, cujus continue pacem & dignitatem Ordines ipſi fortiter tutati ſunt, tam ſpiritualia, quam temporalia ſubſidia, ornamentaque acceperint, & accipiant.*

Non eſt opus hic antiquas Indulgentias, & quidem ampliſſimas Ordinibus Regularibus conceſſas ab Eugenio IV., Sixto IV., Alexandro VI., Julio II., Leone X., Pio II., & V., Gregorio XIII. aliiſque Summis Pontificibus recenſere; is qui exactam cupit earundem notitiam comparare, videat Alphonſum de Caſarrubios in *Compend. Privileg. Mendic. V. Indulgentia*, Confectium in *Collect. Privileg. Mendic.* Portelum *V. Indulgentia* Hieronymum a Sorbo in *Compend. Privilegior. FF. Minor. & alior. Mendic.* Euſebium Amort in *Tract. de Orig. & progr. Indulg. p. 2. ſect. 5.*; cum inſtituti noſtri ratio poſtulet de his tantum loqui, prout ſunt a Paulo V. revocatæ, vel in ejus revocatione minime comprehenſæ.

§. I.

Conſtitutio Pauli V. ſuper Indulgentiis Ordinum Regularium.

CUM nimium Indulgentiarum, quas Sedes Apoſtolica Ordinibus Regularibus conceſſerat, numerus excreviſſet, tum ex immediatis conceſſionibus, tum ex communicationibus, ac latiſſima inſuper ſub initium Sæculi ſeptimi arbitraria eſſet earundem interpretatio: ita ut plures ex eis vulgarentur incertæ, ſolidoque fundamento deſtitutæ; ſerio cogitavit Clemens VIII., dictarum Indulgentiarum reformationem adoriri, earunque examen Congregationi Cardinalium ſuper

Digitized by Google

per Indulgentiis deputatæ committere, ſed morte præventus intentum implere non potuit.

Id tamen quod exequi non valuit Clemens VIII., paulo poſt laudati Pontificis obitum, dicta Congregatione conſulente, inſtantibus etiam apud Sanctam Sedem humiliter Ordinum Regularium Superioribus & Officialibus, præſtitit Paulus V., qui Clementis VIII. mentem optime noverat, edita Conſtitutione, cujus initium eſt *Romanus Pontifex* ſub die 23. Maii anno MDCVI., qua revocatis omnibus Ordinum Regularium Indulgentiis a Prædeceſſoribus Pontificibus datis per viam tam immediatæ conceſſionis, quam communicationis & adinſtar, ſive per Literas Apoſtolicas ſive Oraculo vivæ vocis, has quas ſubiicimus eiſdem de novo conceſſit.

1.° Omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, habitum Regularem ſuſcipientibus a legitimis Superioribus, animo emittendi Profeſſionem Religioſam, die primo ingreſſus in Religionem, confeſſis & ſacra Communione refectis, Plenariam.

2.° Eandem pariter confeſſis, & ſacra Communione refectis die, qua expleto probationis anno, ſolemnem profeſſionem emiſerint.

3.° Plenariam cuilibet Regulari in ſuo Conventu degenti, ſi pro Feſto principali ſui Ordinis confeſſus, & ſacra Communione refectus, vel Miſſam celebrans, pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute ac Sanctæ Eccleſiæ exaltatione Deum fuerit deprecatus.

4.° Item Plenariam cuilibet Regulari in mortis articulo, vere pœnitenti & confeſſo, & Sacra Communione refecto, aut hæc exequi impotenti, ſaltem contrito, ore nomen Jeſu invocanti, vel ſaltem corde, ſi ore non potuerit.

5.° Plenariam etiam Regulari, qui canonice ad Sacrum Presbyteratus Ordinem promotus, confeſſus primam Miſſam celebraverit: eandemque illis Religioſis, qui ea die pariter confeſſi, ac Sacra Communione refecti prædictæ Miſſæ interfuerint, aut eo die Miſſam celebraverint.

6.° Iis, qui a negotiis aſtracti, aliorumque converſatione ſegregati decem dies in ſpiritualibus exercitiis tranſegerint: ita ut piorum librorum lectionibus, ſanctiſque meditationibus Paſſionis D. N. Jeſu Chriſti, necnon quatuor Noviſſimorum, & Orationibus jaculatoriis aut vocalibus, ſaltem per duas horas qualibet die vacaverint, ac inſuper dicto tempore conſcientiam generali vel annuali, aut ordinaria Confeſſione expiaverint, ac Sacra Communione ſe refecerint, Plenariam.

7.° Religioſis intra clauſtra viventibus ſuam Eccleſiam devote viſitantibus, ibique orantibus (ut dictum eſt) eaſdem Indulgentias quas conſequuntur viſitantes Urbis Eccleſias, & extra eam diebus Stationum.

8.° Iiſdem quinquies Orationem Dominicam cum Angelica Salutatione recitantibus ante Altare ſuarum Eccleſiarum, pro quacunque die id egerint, quinque annos & totidem quadragenas.

9.° Eandem Indulgentiam Regularibus, qui de Superiorum licentia in itinere, aut extra clauſtra degentes, Prædicatorum, aut Lectorum officio fungentes, ante quodcunque Altare dictas preces recitaverint.

10. Iiſdem Regularibus, qui per integrum menſem qualibet die, ſpatio mediæ horæ, orationi mentali vacaverint, ultima Dominica menſis confeſſis & Sacra Communione refectis, ſexaginta annos & totidem quadragenas.

11. Tres annos & totidem quadragenas illis, qui contriti de culpis & imperfectionibus ſe accuſaverint, atque ſpiritualiter communicaverint.

12. Plenariam, de Summi Pontificis aut Superiorum licentia ad infidelium terras ſeu hæreticorum miſſis, vel ad Catholicos erudiendos, vel verbum Dei infidelibus, & hæreticis prædicandum: tum quando ad iter agendum ſe accinxerint, tum quando ad demendatam Provinciam appulerint, ad dicta exercitia peragenda: præmiſſa tamen in utraque occaſione Sacramentali Confeſſione, & Communione, aut Miſſæ celebratione.

13. Tandem illis, qui orationi quadraginta horarum pro felici viſitationis Regularis progreſſu per Superiores ordinatæ duabus horis interpolatis adſtiterint, ibique pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Regularis tam diſciplinæ, quam obſervantiæ augmen-

to devote oraverint, confeſſis, & Sacra Communione refectis Plenariam.

Quia vero Pauli V. Conſtitutio laudata nonnullas habet clauſulas ſpeciali ponderatione dignas, libet hic eam per extenſum ſubjicere.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex in B. Petri Sede conſtitutus, cui inter alia cœleſtis Indulgentiarum theſauri diſpenſandi cura incumbit, ſollicite proſpicere debet ac ſolerter, ut hujuſmodi Indulgentiarum diſpenſatio, & uſus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem præcipue dirigatur, & ne ex illarum multiplicitate confuſio, aut inanis interpretatio exoriatur.

§. 1. Proinde cum fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter, magna cum diligentia, & ſollicitudine procuraverit, abuſus & corruptelas tum in communicando Indulgentiarum theſauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere, & propterea ſua quadam Conſtitutione formam aggregandi, inſtituendi, & recte adminiſtrandi Societates, & Confraternitates præſcripſerit, licet morte præventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere: neque etiam, ut cogitaverat, circa Indulgentias a pleriſque Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus, Religionibus, & Ordinibus, Monaſticis & Mendicantibus diverſis temporibus conceſſas, aliquid deliberare potuerit.

§. 2. Nos, qui nullis noſtris meritis, ſed ſola Dei benignitate ad ſummi Apoſtolatus officium vocati ſumus, ſuſceptum a tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum Catholicæ Eccleſiæ regimen ſuſcepimus, Venerabilibus FF. Noſtris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus a dicto Clemente Prædeceſſore deputatis, de quorum numero, tempore ipſius Clementis Prædeceſſoris, eramus, injunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, & Indulgentias Regularibus conceſſas recognoſcerent, iiſque recognitis rem nobiſcum communicarent.

§. 3. Cum itaque præfati Cardinales privilegia, conceſſiones & gratias prædictis Religionibus & Ordinibus conceſſas diligenter inſpexerint & examinaverint, ac eorundem Ordinum Superiores & Officiales pluries audiverint, ac circa eaſdem Indulgentias varia dubia & incertitudines, & confuſiones adeſſe compererint, & ex judicio eorundem etiam Regularium, vel aliquorum ex illis Nobis propoſuerint, valde expedire pro eorum majori ſecuritate, & beneficio, ut Indulgentias ipſis Religionibus & Ordinibus ad inſtar, & per communicationem, aut alio modo hactenus conceſſas annullaremus & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

§. 4. Nos matura ſuper hoc conſultatione præhabita, cupientes perſonis Regularibus quibuſcunque quorumvis Ordinum tam Monaſticorum, quam Mendicantium ſpirituale ſolatium, & juvamen afferre, infraſcriptas Indulgentias & gratias, quas perſonis Regularibus intra Clauſtra aut extra, cum licentia tamen ſuorum Superiorum legitima de cauſa illis conceſſa, degentibus tantummodo ſuffragari debere declaramus, concedendas duximus.

§. 5. Omnibus igitur Chriſtifidelibus, qui canonice, & juxta Ordines cujuſlibet Religionis, & Conſtitutiones Apoſtolicas, habitum Regularem a legitimis Superioribus cauſa profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi vere pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, Plenariam.

§. 6. Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens & confeſſus, ac Sacra Communione refectus poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam Plenariam.

§. 7. Necnon cuilibet Religioſo intra clauſtra ſui Monaſterii viventi, qui in feſto principali ſui Ordinis confeſſus, & Sacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam Plenariam.

§. 8. *In*

§. 8. *In cujuslibet vero mortis articulo, ſi pariter vere pœnitens & confeſſus, ac Sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltem contritus nomen Jeſu ore, ſi potuerit, ſin autem corde, devote invocaverit, etiam Plenariam.*

§. 9. *Qui vero ad Presbyteratus Ordinem canonice promotus, & confeſſus primam Miſſam celebrabit; necnon etiam iis Religioſis, qui pariter confeſſi, ac Sacra Communione refecti, eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam Plenariam.*

§. 10. *Iis vero, qui de ſuorum Superiorum licentia, a negotiis per decem dies alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione ſeparati in piorum librorum, & aliarum rerum ſpiritualium animos ad devotionem & ſpiritum inducentiam lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſæpe conſiderationes, & meditationes myſteriorum fidei Catholicæ, Divinorum beneficiorum, quatuor Noviſſimorum, Paſſionis D. N. Jeſu Chriſti, & aliorum exercitiorum, Orationum jaculatoriarum aut vocalium, ſaltem per duas horas in diem & noctem orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciendo eodem tempore Confeſſionem generalem aut annualem vel ordinariam, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, aut Miſſam celebraverint, quoties id egerint, pro quolibet prædictorum exercitiorum, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.*

§. 11. *Præterea iidem Religioſi intra clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devote viſitaverint, & ut præfertur, oraverint, conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis & extra eam diebus Stationum conſequuntur in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.*

§. 12. *Omnibus item Religioſis intra clauſtra, ut ſupra viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante Altare eorum Eccleſiæ in quolibet die quinque annos, & totidem quadragenas.*

§. 13. *Iis vero, qui de ſuorum Superiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra clauſtra degentes, tanquam Prædicatores & Lectores quinquies eandem Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.*

§. 14. *Necnon etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confeſſi, & Sacra Communione ultima Dominica menſis hujuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas.*

§. 15. *Qui vero contrito corde & pœnitentes, eorum culpas, & peccata ac imperfectiones in Capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.*

§. 16. *Quotieſcunque autem de licentia Summi Pontificis, aut ſuorum Superiorum in ditiones & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipſos ad fidem Catholicam convertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum miſſi fuerint; ſi pœnitentes & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti fuerint, vel Miſſam celebraverint, ut melius ad hujuſmodi opus ſeſe parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri ſe accingent, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino pariter concedimus & elargimur.*

§. 17. *Et inſuper cum Superior in viſitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, iis Religioſis, qui dictis orationibus ſaltem ſpatio duarum horarum in diverſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia here-*

hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, necnon diſciplinæ & obſervantiæ Regularis augumento pias ad Deum preces, ut ſupra dictum eſt, effuderint, ſi confeſſi, & ſacra Communione refecti fuerint, aut Miſſam celebraverint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum Indulgentiam & remiſſionem, ut præfertur, concedimus.

§. 18. *Volumus autem, ut omnes ſupradictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religioſis regularibus cujuſvis Ordinis, tam Monaſtici, quam Mendicantis duntaxat, ut præfertur, conceſſæ, etiam omnibus Monialibus cujuſvis Regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viventibus, & perpetuam clauſuram ſervantibus, tam Ordinariis locorum, quam etiam Regularibus cujuſcunque Ordinis, Regulæ & Inſtituti ſubjectis ſuffragentur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.*

§. 19. *Cæterum omnes & ſingulas Indulgentias quibuſcunque Ordinibus & Inſtitutis regularibus hujuſmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet perſonis Regularibus tam vigore privilegiorum & Literarum Apoſtolicarum, quam vivæ vocis Oraculo, aut alias quovis modo per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos & Apoſtolicam Sedem hactenus conceſſas, confirmatas, approbatas & innovatas, auctoritate & tenore prædictis perpetuo revocamus, caſſamus, annullamus & abrogamus, & ad præſentium noſtrarum Literarum præſcriptum reducimus & moderamur.*

§. 20. *Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac eorundem Ordinum & Inſtitutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis & Literis Apoſtolicis, etiam Mare Magnum & Bulla Aurea nuncupatis, eiſdem Ordinibus & Inſtitutis, eorumque Monaſteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus & perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.*

§. 21. *Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides habeatur ubique, quæ præſentibus ipſis originalibus Literis haberetur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 23. Maii MDCVI. Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

§. II.

Solvuntur nonnulla dubia ſuper Indulgentiis Ordinum Regularium a Paulo V. revocatis.

Allata Pauli V. Conſtitutio duas continet partes principales in noſtro hoc Opere examini committendas; primo enim Summus Pontifex antiquas Indulgentias revocat, ſecundo Indulgentias de novo concedit; quæ cum nequeant ſine ponderatione præteriri, in hoc §. quidquid ad revocationem ſpectat, exponendum eſt, in ſequenti vero de nova conceſſione agendum erit.

Quæres 1.° An per dictam Conſtitutionem nedum Perſonales, verum etiam Locales Indulgentiæ Ordinum Regularium, ſeu eorum Eccleſiis addictæ, fuerint revocatæ?

Ratio pro parte affirmativa ea eſt, quod etiam Locales datæ fuerunt a Sede Apoſtolica intuitu Ordinum Regularium: quas certum eſt fuiſſe abrogatas §. 19. dictæ Conſtitutionis ibi = *Cæterum omnes*

net & ſingulas Indulgentias quibuſcunque Ordinibus, & Inſtitutis regularibus hujuſmodi etiam Mendicantibus .... hactenus conceſſas, confirmatas, approbatas & innovatas, auctoritate & tenore prædictis perpetuo revocamus, caſſamus, & annullamus, & abrogamus &c.

Nos vero reſpondemus, per dictam Pauli V. conſtitutionem minime fuiſſe revocatas Indulgentias Regularium Ordinum Eccleſiis conceſſas. Quia ſummus Pontifex prælaudatus abrogavit Indulgentias directe & immediate ipſis met perſonis Regularibus conceſſas: & propterea habetur in Decreto de Indulgentiis apocriphis Sacræ Congregationis Indulgentiarum &c. = *Indulgentias conceſſas ante Breve Pauli V. quod incipit Romanus Pontifex PERSONIS Regularibus, quarumcumque Religionum & Ordinum etiam Mendicantium, niſi fuerint deinde Romani Pontificis autoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius eſſe roboris & momenti pariter declarat* = Porro Indulgentiæ Eccleſiis Ordinum Regularium addictæ, ſeu omnibus & quibuſcunque Chriſtifidelibus eas devote viſitantibus ibique orantibus datæ, dici nequeunt perſonarum Regularium Indulgentiæ; cum directe perſonis Regularibus conceſſæ non fuerint: ac per conſequens dicendum eſt, eas in memorata revocatione minime fuiſſe comprehenſas.

Inſuper ſi Paulus V. Indulgentias Locales Ordinum Regularium, ſeu eorum Eccleſias cunctis Chriſtifidelibus viſitantibus conceſſas revocaſſet; ſicut in ſua Conſtitutione Perſonalibus abrogatis, nonnullas de novo ab ipſiſmet Regularibus acquirendas ſubſtituit: ita ſi revocaſſet Indulgentias mere Locales tum ipſis tum cæteris Chriſtifidelibus communes, veriſimillimum eſt, alias Locales per hoc Breve revocatis ipſum daturum fuiſſe. Maxime quia hoc non tam Regularium, quam perſonarum ſæcularium concernebat utilitatem, totiuſque Chriſtiani populi beneficium, cui maxime decet Univerſalis Eccleſiæ Paſtorem incumbere. Nullam autem Indulgentiam Localem in hac Pauli V. Conſtitutione fuiſſe conceſſam apertiſſime conſtat. Ergo Paulus V. in ſua Conſtitutione, de qua agimus, antiquas Eccleſiarum Regularium Indulgentias minime revocavit. Fortiſſimum inſuper, ut opinor, & ineluctabile argumentum eſt: quod hæc Conſtitutio quantum ad Indulgentiarum revocationem, reductionem, & moderationem naturam induat legis odioſæ, adeoque juxta regulas in jure pro legibus odioſis ſtatutas eſt intelligenda. Cum autem ex *c. odia de reg. jur. in 6.* leges odioſæ reſtringendæ ſint, & non ampliandæ: hinc ſequitur, legem hanc, quæ de Regularibus perſonis loquitur, cum reſtrictiva, reductiva, ac moderativa ſit: adeoque quoad hanc partem odioſam, non poſſe juxta ejus ſenſum, ultra perſonas Regulares ad ipſa loca ſeu eorundem Eccleſias extendi.

His accedunt nonnullæ Declarationes, quarum prima eſt DeclaratioSacræ Congregationis Indulgentiarum, & colligitur ex epiſtola Cardinalis Arigon ad Archiepiſcopum Senenſem data, quam referunt Lantuſca *V. Confraternitas*, & Peyrinus *cap. 5. in addit. ad Conſtitutionem Clem. VIII.* tenoris ſequentis = *Perche molti dubitano, ſe per la Conſtitutione di ſua Beatitudine ſopra l' Indulgenze conceſſe ultimamente alle perſone Religioſe con la revocatione delle antiche, venghino revocate anche l' Indulgenze conceſſe alle Chieſe de Regolari, & a quei che le viſitano: ancorche la Conſtitutione comprendi ſolamente perſone Regolari ſenza eſtenſione alle Chieſe; tuttavia la Sagra Congregatione per levar ogni dubio dichiara: che l' Indulgenze conceſſe a quelli, che viſitano le Chieſe de Regolari, ſtanno nella lor forza e vigore, ſino che la Santita ſua fara altra Dichiaratione: e però ſi poſſino laſciar publicare, quando non eſti altra coſa. Di Roma 7. di Settembre 1607. Il Cardinal Arigon. Datario.* Idem fuiſſe a Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium declaratum, teſtatur Gavantus in *Enchirid. ſeu Manual Epiſcopor.*, cujus verba ſunt, *Eccleſiis Regularium alias conceſſæ Indulgentiæ non fuerunt ſublatæ per revocationem earum, quæ conceſſæ fuerunt perſonis Regularibus ante Paulum V... Congreg. Epiſcopor. 21. Aug. MDCXV.*

Chry-

Chryſoſtomus Rodriquez peculiarem recitat declarationem pro Eccleſiis Congregationis B. M. Fulienſis vivæ vocis Oraculo factam a Paulo V. Octavio S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali ejuſque teſtimonialibus literis confirmatam = *Nos Octavius S. R. E. Cardinalis fidem facimus, & atteſtamur: Paulum V. vivæ vocis Oraculo nobis declaraſſe, per Breve Sanctitatis ſuæ datum Romæ 23. Maii MDCVI ſuper revocatione Indulgentiarum omnibus Ordinibus & Congregationibus Regularium conceſſarum, non fuiſſe mentis & intentionis ſuæ, Indulgentias tam Plenarias & perpetuas, quam quaſcunque alias per ſe & Romanos Pontifices Prædeceſſores Fidelibus, Eccleſias Congregationis B. M. Fulienſis viſitantibus conceſſas revocare, & annullare, ſed illas in ſuo robore permanere. Datum Romæ 28. Novembris MDCVI.* = In Bullario Ordinis B. V. M. de Mercede Redemtionis Captivorum aliam hujuſmodi Declarationem reperies pro Indulgentiis Eccleſiarum dicti Ordinis, de qua teſtatur Gaſpar Boria Presbyter Cardinalis Sanctæ Crucis in Hieruſalem.

Diximus in reſponſione ad dubium: *non fuiſſe revocatas Indulgentias Regularium Eccleſiis conceſſas*: quia ſi Indulgentiæ Eccleſiis Regularium fuiſſent aut conceſſæ, aut communicatæ intuitu Ordinum Regularium, atque ab ipſis perſonis Regularibus acquirendæ duntaxat, (cujuſmodi ſunt illæ, de quibus loquitur Leo X. conſtitutione incipiente *Dudum*: quod Mendicantes viſitantes proprias Eccleſias acquirant Indulgentias conceſſas Eccleſiæ S.M. de Populo); cum iſtæ eſſent Regularium Eccleſiis addictæ non in ordine ad quoſcunque Fideles, ſed eſſent potius Perſonales, ac proprias Regularium perſonas reſpicerent; proculdubio comprehenderentur ſub dicta revocatione, quæ non afficit Indulgentias conceſſas Eccleſiis regularium Ordinum, ſine ſpeciali ad ipſos reſpectu.

Quæres 2.° an per dictam Pauli V. Conſtitutionem revocatæ fuerint Indulgentiæ pro mortis articulo ab aliis Pontificibus olim conceſſæ?

Negative reſpondet Alphonſus de Leone *p.* 1. *de Jubil. quæſt.* 6. *n.* 243. Peyrinus *ad Bull.*, 8. *Pauli V. n.* 10. tantam enim exiſtimant hujuſmodi Indulgentiam redolere pietatem, ut in revocationibus non intelligantur comprehenſæ, niſi ſpecialiter exprimantur. Maxime quia ob eandem rationem inquiunt, per generalem Indulgentiarum ſuſpenſionem anno Jubilæi fieri conſuetam pro mortis articulo his gratiis minime derogatur: idque Urbanum VIII. declaraſſe per Coccinum Vicegerentem Sacræ Pœnitentiariæ anno MDCXXV. teſtatur Peyrinus *num.* 10. *in expoſit. Bullæ* 8. *Pauli V.*

Nos vero cum Paſſerino *quæſt.* 108. *n.* 877. oppoſitum reſpondemus; quia quod Summi Pontifices non ſuſpendant Indulgentias datas pro articulo mortis, durante Jubilæo, non eſt, quia hujuſmodi Indulgentiæ ſpeciali expreſſione in generalibus revocationibus indigeant, ut intelligantur abrogatæ: ſed quia locum non habet ex una parte ratio generalis ſuſpenſionis Indulgentiarum, quæ eſt, ne Fideles occaſione acquirendi Indulgentias in propriis regionibus, Romam pro Jubilæo venire detrectent: ex altera vero in proxime morituris ceſſat facultas comparandi quamlibet aliam Indulgentiam Plenariam, ſi aliæ ejuſmodi ſint ſuſpenſæ. Cœterum hic Paulus V. omnibus & ſingulis perſonarum Regularium Indulgentiis generaliter revocatis, Plenariæ conceſſionem pro dicto articulo inter novas recenſuit; quod profecto ſuperfluum foret adjicere, ſi veteres hujuſmodi Indulgentiæ de mente Pauli V. non revocatæ, in ſuo robore permanerent. Eo vel magis, quia non habemus ullam Declarationem de non comprehenſione hujus Indulgentiæ in generali Pauli V. revocatione, ſicut habemus pro anno Jubilæi a Summis Pontificibus emanatam.

Nec audiendus eſt Antonius a Spiritu Sancto in *Director. Regular. tract.* 2. *diſp.* 5. §. 1. *n.* 23. aſſerens ex Novario in *Lucerna Regularium V. Indulgentia*, Paulum V. Declarationem edidiſſe, quod Indulgentiæ in articulo mortis non eſſent in ſua revocatione comprehenſæ; cum Novarius hujuſmodi declarationis non meminerit, ut obſervat Paſſerinus.

Quæ-

Quæres 3.° an dicti Pauli V. generalis revocatio comprehendat Indulgentias conceſſas non quidem pro ipſis Regularibus,ſed per modum ſuffragii defunctis applicandas ?

Pro reſponſione ſine obſervantione præteriri non debet, duplici modo fieri Indulgentiarum conceſſiones pro defunctis, primo, quando ob aliqua pietatis opera implenda Indulgentiæ viventibus deſpondentur, adjecta facultate eas applicandi pro defunctis per modum ſuffragii: ſecundo cum nulla facta Indulgentiarum conceſſione favore viventium, ſolum injungitur opus pium a viventibus peragendum, puta Sacerdotibus Miſſæ Sacrificium.

Hac præmiſſa diſtinctione reſpondemus, Indulgentias primo modo conceſſas pro defunctis ſub generali Pauli V. revocatione comprehendi; quia ceſſante principali ceſſat pariter acceſſorium: maxime ſi acceſſorium fundamentum agnoſcat in principali. Quod in caſu noſtro evenire certum eſt, Indulgentiæ ſiquidem primi modi hoc verborum tenore conceduntur = *N. &c. qui &c. Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem, quam etiam animabus Chriſfidelium defunctorum per modum ſuffragii applicare poſſint,miſericorditer in Domino concedimus* = ubi ut vides,ex vi ejuſmodi conceſſionum applicari nequit niſi ea pœnæ temporalis ſolutio,quæ per ſe & primario viventibus Pontificia authoritate diſpenſatur.Si igitur Indulgentiæ pro viventibus directe acquirendæ propter editam revocationem nequeunt aRegularibus comparari, ſequitur iiſdem non poſſe ad defunctos ſuffragia deferri, cum revocatio pro viventibus ſubſiſtat. Oppoſitum dicendum eſt de Indulgentiis ſecundo modo conceſſis: tum quia revocante Paulo V. antiquas Regularium Indulgentias ab iiſdem percipiendas, plures tum Plenarias ſeu totales, tum partiales de novo conceſſit, nullam autem medio opere injuncto a Regularibus viventibus implendo defunctis applicabilem in ſupra allata Conſtitutione dediſſe compertum eſt; unde perſpicue colligitur nullam ex illis revocaſſe. Tum quia Paulum V. hoc idem declaraſſeCongregationi S.Mariæ Fulienſis vivæ vocis Oraculo facto Cardinali Bandino, ſub die 23. Febr. teſtatur Peregrinus 1.*par. compend.* verbo *Indulgentia*.

Hinc infertur Pauli V. revocationi minime ſubjectum eſſe Privilegium Fratribus Minoribus Provinciæ S. Gabrielis Hiſpaniarum,datum a Clemente VIII. Conſtitutione incipiente *De Omnium ſalute*, emanata ſub die 20. Jun. MDXCIV., quam refert Peyr. inter *Conſtit. Clem. VIII. ſub n.4.* inqua ſic habetur = *Supplicationibus pro parte dilectorum Filiorum Miniſtri Provincialis, & Fratrum Provinciæ S. Gabrielis HiſpaniarumOrd. S. Franciſci Diſcalceatorum nuncupatorum Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, concedimus, ut decedente aliquo dicti Ordinis Religioſo, vel alicujus Religioſi parentibus, vel altero ipſorum, aut perſona, quam ipſi Religioſi fratrem appellant, & in quolibet loco dictæ Provinciæ ad eorum receptaculum & ſubventionem paratam habent, ab aliquo, ſeu aliquibus ejus Conventus, in quo Religioſi Parentes, vel alter ipſorum deceſſerit, vel perſona præfata in fratrem deſcripta fuerit; Miſſam defunctorum pro anima ipſius defuncti, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrante, ſeu celebrantibus; anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ Indulgentiam conſequatur: ita ut D. N. Jeſu Chriſti, & B. V. M., & Sanctorum omnium meritis ſibi ſuffragantibus a Purgatorii pœnis liberetur*.

Idem arbitratur dicendum Peyrinus citatus *in expoſit. Conſt.* 8. *Pauli V.n.6.* de privilegio Congregationi S. Juſtinæ conceſſo, quod Monachi dictæ Congregationis celebrantes tres Miſſas pro anima cujuslibet conſanguinei defuncti intra tertium gradum in Altari a Superioribus in propriis Eccleſiis deſignato, eam liberent a pœnis Purgatorii: = *Modo*, inquit, *poſſunt Regulares frui privilegio Leonis X. conceſſo Congregationi S. Juſtinæ, quod celebrantes tres Miſſas pro anima alicujus defuncti conſanguinei intra tertium gradum ſuper uno Altari per Superiorem in propria Eccleſia aſſigna-*

gnato, liberant ipſius animam a pœnis Purgatorii, ac ſi celebraſſent ſuper Altari S.Gregorii, aut S. Sebaſtiani Romæ. Ita refertur in Compend. privil. Congreg. S. M. Fulien. tit. Indulg. pro defunct. §. 6. Peregr. eod. §. 15. = Sed de hoc privilegio dubitat Paſſerinus *quæſt. cit. n.*879.= *Nec Peregrinus*, ait, *in Compendio privilegiorum Clericorum Regularium impreſſo Neapoli apud Ægidium Longum anno* 1639., *in Verbo: Indulgentiæ quoad Fratres &c. habet* §. 15., *ſed ſolum* 7. *Nec ibi a principio uſque ad finem aliquid vel minimum dicit de hujuſmodi Indulgentia. Nec in Bullario Caſſinenſi, in quo continentur etiam privilegia Congregationis S.Juſtinæ, quippe quæ eidem communia, potui inter recenſitas Conſtitutiones Leonis X. invenire aliquid de recenſita Conſtitutione. Compendium autem citatum non habeo præ manibus, ut videre poſſim, quod fundamentum habeat hujuſmodi conceſſio.*

Quæres 4.° An Indulgentiæ in dicta Pauli V. Conſtitutione revocatæ, per Succeſſores Pontifices fuerint priſtino valori reſtitutæ?

Dubium hoc definiri poſtulat propter confirmationem privilegiorum, gratiarum ſpiritualium, indultorum a quibuſdam regularibus Ordinibus poſt Conſtitutionem laudatam Pauli V. obtentam. Et ſane paucis interjectis annis idem Paulus V. Conſtitutione cujus initium eſt *Injuncti nobis* ea omnia Fratribus Minoribus confirmavit juxta conceſſionem, nec non confirmationem privilegiorum, indultorum ſpiritualium &c. Clemens VIII. pro eiſdem Religioſis Conſtitutione incipiente: *Ratio Paſtoralis officii*, in qua Summus Pontifex clauſulas ampliſſimas adhibuit: *Ex certa ſcientia, de plenitudine Poteſtatis*: quæ juxta nonnullos Doctores magnam vim obtinent reſtituendi in priſtinum etiam revocata. Ex quo occaſionem ſumſit quidam Theologus hanc Theſim exponendi publico diſcrimini = *Probabile eſt Indulgentias a Paulo V. revocatas pro perſonis Regularibus adhuc vigere* = Quod tamen tunc ab uno cum formidine primo in lucem prodiit, tanquam certum deinde ſolidiſque principiis innixum reputatum eſt a pluribus Ordinum Regularium Theologis, quos citat & ſequitur Antonius a Spiritu Sancto in *Director. Regular. tr.* 2. *diſp.* 5. §. 2. *n.*6. = *Dico igitur, primo: Probabiliſſimum eſt, omnes Indulgentias Regularibus conceſſas ante Paulum Quintum non eſſe hodie revocatas. Ita docent Fr. Martinus a S. Joſeph in regulam S.Franciſci fol. mihi* 419. *Hieronymus Rodriquez, quem refert Diana* 4. *part: tract.* 4. *reſol.*20. *Amicus tom.*8. *num.* 5. *Et ratio eſt, quia idemmet Paulus V. poſt prædictam generalem revocationem Indulgentiarum confirmavit ex certa ſcientia, & de plenitudine Poteſtatis, omnia privilegia Minorum, confirmata a Clemente VIII. cum omnibus & ſingulis decretis & clauſulis & declarationibus quibuſcunque, contentis in Literis ſuæ confirmationis. Sed Clemens VIII. expreſſe conceſſit Indulgentias: ergo omnes Indulgentiæ a Paulo V. antea revocatæ per hanc conceſſionem de novo revalidatæ fuere ab ipſomet Paulo V. Confirmatur, quia Gregorius XV. in quadam Bulla, quæ incipit: In Apoſtolicæ Sedis ſpeculam (quam ex typographia Cameræ Apoſtolicæ extraxit* P. Fr. Petrus *ab Angelis Procurator Generalis Carmelitarum in Romana Curia, ut mihi teſtatus fuit* P. Fr. *Emmanuel a Conceptione Prior & Procurator hujus Provinciæ Carmelitanæ Diſcalceatæ in eadem Romana Curia) confirmavit motu proprio, & ex certa ſcientia, & de plenitudine Poteſtatis omnia & ſingula privilegia, facultates, exemtiones, immunitates, gratias, ac indulta principaliter, vel per communicationem, alias quomodolibet Congregationi, & Clericis Theatinis per quoſcunque Romanos Pontifices, & Sedem Apoſtolicam conceſſa, & de novo illa conceſſit: ut patet ex prædicta Bulla. Atqui Clemens VII. in Bulla, quæ incipit: Exponi nobis feciſtis: quæ habetur apud Cherubinum tom.* 1. *& eſt* 4. *hujus Pontificis, conceſſerat prædictis Clericis Theatinis omnia, & ſingula privilegia, exemtiones & immunitates, Indulgentias, facultates & favores, libertates, auctoritates & indulta, quibus gaudent Canonici Regulares: Et idem Clemens anno* 1533. *in alia Bulla, quæ incipit: Dudum pro parte noſtra: conceſſerat eiſdem Theatinis omnia*

omnia & ſingula privilegia, indulta, prærogativas, exemtiones, immunitates, gratias, Indulgentias tam in ſpecie quam in genere conceſſas & concedendas tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus, etiam Ciſtercienſium & Cluniacenſium. Et Julius III. anno 1551. *prædicta omnia confirmavit & innovavit: ut habetur t.* 2. *Bullarii Magni apud Pium V. Bulla* 31. *anno* 1567. *Idemque fecit Paulus Quartus, qui omnia privilegia, gratias & Indulgentias Societati conceſſas & concedendas etiam per communicationem confirmavit: quæ omnia Pius Quintus, ut habetur in Bullario magno Bulla* 30. *motu proprio ex certa ſcientia confirmavit, & innovavit: ergo has omnes Indulgentias, quas Paulus Quintus revocaverat, innovavit Gregorius XV. pro Theatinis, quorum privilegiis gaudent noſtri Religioſi, & cæteri communicantes per Bullam Clementis VIII., quæ incipit: Dudum, ut habetur in noſtro compendio fol.* 183.

Sed hanc ſententiam eſſe omnino falſam; ac per conſequens negative dubio eſſe reſpondendum, conſtat 1.° quia generalis confirmatio privilegiorum, gratiarum &c. ad nova & inutilia referri non debet, ex doctrina Butrii, quam affert Barboſa *Clauſul.* 59. *n.* 54., allegans etiam Romanæ Rotæ deciſionem; & ex Suario *Lib.* 8. *de Legibus cap.* 20. *n.* 5. ubi inquit = *Incredibile eſt Pontificem in generali loquentem, & ſine cauſæ cognitione intendere nova privilegia condere*=.2.° In generali Principis conceſſione (ut communiter volunt Doctores) non conceduntur ea, quæ ſi Princeps adverteret, vel de illis rogaretur, non eſſet veroſimiliter conceſſurus. Nec veroſimile eſt, per clauſulas generales quantumvis ampliſſimas, velle Principem legem diu recogitatam abrogare: ut ex *textu in L. ſi quando*, paulo poſt initium C. de *inoff. teſtam.* Vitalis *in tract. clauſularum verb. in clauſula generali*. Eraſmus a Cocchier *de Juriſd. Ordinaria in Exemtos p.* 3. *q.* 9. *n.* 2. Porro ſi Paulus V. de revalidandis Indulgentiis Regularium a ſe revocatis rogatus fuiſſet, rationabiliter putari non poſſet, eum voluiſſe ad novam earundem conceſſionem procedere, atque Conſtitutionem diu diſcuſſam, tamque matura deliberatione emanatam, ut S. R. E. Cardinalium conſilium adhibuerit, penitus abrogare. 3.° & validius, quia etiamſi Clemens VIII., in citata Conſtitutione: *Ratio Paſtoralis Officii*: omnia privilegia, & Indulgentias expreſſerit ſe confirmare; tamen Paulus V. ita privilegiorum, gratiarum, indultorum ſpiritualium confirmationem edidit, ut non meminerit Indulgentiarum. Nec putandum eſt nomine atque expreſſione gratiarum, aut ſpiritualium indultorum, voluiſſe Indulgentias confirmare: quia gratia eſt nomen quoddam generale, tum gratiam ſignificans infuſam, tum quemlibet favorem: indultum ſpirituale multa pariter indicat, ſcilicet conceſſiones ad quietandos ſcrupulos, ad abſolvendum a Reſervatis, aliaque ad animam ſpectantia, ut diſpenſationes, quæ Indulgentiæ non ſunt. Quamobrem Julius III. Conſtit. incipiente: *Dum regularis vitæ ſtudium*, edita ſub die 28. Julii MDL., & Clemens VIII. in ſupracitata Conſtitutione confirmantes privilegia Fratrum Minorum, nedum expreſſerunt Indulta ſpiritualia, ſed etiam Indulgentias: idemque alii Summi Pontifices ſive in novis conceſſionibus, ſive in confirmationibus ſervarunt. Quod ſane non fieret, ſi indulta ſpiritualia Indulgentias ſignificarent. Et ideo oppoſita ſententia rejicitur a Portelo *in dub. Regular. verbo Indulgentia* §. *conſtanter teneo*, Bordono *t.* 3. *reſol.* 81. *n.* 14. Pellizario *t.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *n.* 180. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *reſp.* 20. Cottonio *controv. l.* 4. *contr.* 9. *cap.* 6. *num.* 165. & modo ſuſtineri non poteſt, quia Alexander VII. ſub die 23. Martii MDCLXVI. inter alias propoſitiones ſequentem ſub num. 37. proſcripſit = *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus & a Paulo V. revocatæ, hodie ſunt revalidatæ*.

Nec ſuſtineri poteſt diſtinctio a quibuſdam Scriptoribus excogitata: hanc ſcilicet duntaxat propoſitionem fuiſſe reprobatam=*Indulgentiæ revocatæ a Paulo V. directe & expreſſe ſunt revalidatæ* = minime vero aliam, nempe = *Indulgentiæ a Paulo V. revocatæ ſunt revalidatæ cum modificatione: ita ut propter communicationem privilegiorum redierint ad ſuos priſtinos poſſeſſores* =

propoſitio ſiquidem contradictorie oppoſita reprobatæ (de cujus veritate poſt damnationem Alexandri VII. dubitare non licet) eſt ſequens= *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus & a Paulo V. revocatæ, hodie non ſunt revalidatæ* =: quæ quidem eſt negativa, excluditque proinde tam directam, & expreſſam, quam indirectam, & cum modificatione Indulgentiarum revalidationem: alias vera non eſſet ea propoſitio negativa. Etenim ſi propter communicationem privilegiorum ad priſtinos poſſeſſores redierunt Indulgentiæ; verum eſſet aſſerere= *Indulgentiæ a Paulo V. revocatæ hodie ſunt revalidatæ* =: quod poſt Alexandri damnationem dici non debet.

Quæres 5.° An in generali Pauli V. revocatione comprehendantur Indulgentiæ conceſſæ Congregationibus virorum ſeu fœminarum non emittentium vota ſubſtantialia Religionum, quique Tertiarii vel Tertiariæ appellantur?

Reſpondemus Indulgentias dictis perſonis intuitu Ordinum Regularium conceſſas directe & immediate, & æque principaliter non eſſe per Pauli V. abrogationem revocatas. Mens enim Pauli V. fuit, Indulgentias perſonarum Regularium revocare, ſecus Sæcularium. Et noſtra reſponſio confirmatur Declaratione Sacræ Congregationis Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum, ut habetur ex ſequenti Brevi Innocentii XI. = *Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita Decretum tenoris ſequentis videlicet: Dubio per virum Religioſum Sacræ Congregationi propoſito, & in ea examinato: utrum in generali revocatione Indulgentiarum, quæ in Brevi: Romanus Pontifex: Pauli V. habetur, dato 23. Maii 1606. comprehendantur perſonæ, quæ ſubſtantialia Religionis vota non emittunt intra vel extra clauſtra degentes? eadem Sacra Congregatio reſpondit: eas minime comprehendi. A. Card. Homodeus. Michael Angelus Riccius Sacræ Congregationis Secretarius. Cum autem ſicut dilectus Filius Franciſcus Diaz a S. Bonaventura Lector Generalis Jubilatus, Sanctæ Inquiſitionis Qualificator, & in Romana Curia pro Ultramontana Familia obedientiæ, & directioni Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum ſubjecta, Commiſſarius Generalis Nobis nuper exponi fecit, quatenus ipſe Decretum hujuſmodi quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis Noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret; Nos ipſum Franciſcum Commiſſarium Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, a quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus: ſalva tamen ſemper in præmiſſis authoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari: ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 10. Octobris MDCLXXXVI. Pontif. noſtri anno undecimo.*

Oppoſitum dicendum eſt de Indulgentiis,

Google

tiis, dictis perſonis & Congregationibus ratione Ordinum Regularium communicatis, ſeu per extenſionem conceſſis: cum enim acceſſorium naturam principalis ſequatur, revocatis conceſſionibus Indulgentiarum principaliter factis perſonis Regularibus, ex conſequenti ceſſare debent Indulgentiæ per communicationem, ſeu extenſionem Sæcularium, ſeu Tertiariorum Congregationibus ratione Ordinum Regularium conceſſæ. Ita Lezana *in Summa Regular. verb. Indulg.* Paſſarinus *quæſt.* 108. *n.* 874.: qui advertendum putant, quod ubi hujuſmodi Congregationibus, & perſonis communicatæ, ſeu extenſæ fuerunt Regularium Ordinum Indulgentiæ tam conceſſæ, quam concedendæ; revocatis antiquis a Paulo V., illæ quæ ab eodem rurſus Regularibus fuerunt conceſſæ, dictis Congregationibus Sæcularibus, earumque perſonis communicantur. *Hic advertendum* (inquit Paſſarinus *loco cit.*,) *quod hujuſmodi perſonis communicatæ fuerunt; ſeu ad illas etiam acceſſorie extenſæ fuerunt Indulgentiæ Religionis conceſſæ, & concedendæ: unde ſi revocatæ ſunt antiquæ, communicantur illis conceſſæ a Paulo V., & ab aliis Pontificibus.*

§. III.

Solvuntur nonnulla dubia de conceſſione Indulgentiarum Pauli V. pro Regularibus.

A Generali Pauli V. revocatione ad ejus novam Indulgentiarum conceſſionem tranſeuntes, aſſerimus, Indulgentiam primo datam ea die comparari, qua quis habitum Religionis induit; non vero ea die, qua ante habitus ſuſceptionem (ut moris eſt apud nonnullos Regulares) ad convivendum ſub habitu ſæculari in Religione recipitur: quandoquidem tunc verum eſt, habitum Regularem recipi de manu legitimi Superioris, juxta Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinum Regularium ſtatuta, ut vult Paulus V.; non vero quando in habitu ſæculari quis ad convivendum cum Regularibus admittitur,

Occaſione Indulgentiæ Plenariæ, qua donantur Novitii poſt expletum probationis annum ſolemnem Profeſſionem emittentes, obſerva quorundam veterum Doctorum opinionem attributam ab eiſdem Angelico Præceptori: profitentem ſcilicet ſolemniter in Ordinibus Regularibus, perinde ſibi acquirere veram Indulgentiam Plenariam, ac ſi Terræ Sanctæ ſubſidio ſe ipſum manciparet.

Cæterum id minime recipiendum eſt, ut de remiſſione peccatorum olim a Summo Pontifice facta ex meritis Chriſti & Sanctorum intelligatur; ſed quia profeſſionem Religioſam cum debitis diſpoſitionibus emittens, adeo perfectum ſui ſacrificium exhibet, ut peccatorum remiſſionem conſequatur. Plura ſiquidem ad ejus commendationem eruditiſſime D. Thomas exaravit; ſed locutus eſt de remiſſione pœnæ temporalis propriis ſolemniter profitentium meritis reſpondente, non vero de Indulgentia ex alienis meritis, atque ſatisfactionibus communicata. Hanc vero eſſe Angelici Præceptoris mentem, habetur ex ejus doctrina tradita 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. *ad* 3. = *Rationabiliter dici poteſt, quod etiam per ingreſſum Religionis aliquis conſequatur remiſſionem omnium peccatorum: ſi enim aliquibus eleemoſynis factis homo poteſt ſtatim ſatisfacere de peccatis ſuis: ſecundum illud Danielis* 4. *Peccata tua eleemoſynis redime; multo magis in ſatisfactione pro omnibus peccatis ſufficit, quod aliquis ſe totaliter divinis obſequiis mancipet per Religionis ingreſſum, quæ excedit omne genus ſatisfactionis & publicæ pœnitentiæ, ut habetur in Decretis* 33. *q.* 2. *c. Admonere: ſicut etiam holocauſtum excedit ſacrificium, ut Gregorius dicit ſuper Ezechielem: unde legitur in vitis Patrum, quod eandem gratiam conſequuntur Religionem intrantes, quam conſequuntur baptizati* = Ubi vides Sanctum Doctorem locutum fuiſſe de ea remiſſione & ſatisfactione, quæ ex propriis operantis meritis obtinetur: non autem de illa, quæ ex Theſauro Eccleſiæ gratioſe conceditur.

Quæres 1.° An is, qui ob Regularem habitum in una Religione rite ſuſceptum, prædictam Indulgentiam lucratus eſt, ſi forte, vel juſte vel injuſte ab Ordine Regulari dimiſſus, alterius Religionis habitum aſſumſerit, iterum eandem Indulgentiam lucrari queat?

Reſpondemus affirmative, ſi rite confeſſus & Sacra Communione refectus habuerit

denuo propoſitum ſuo tempore emittendi profeſſionem Regularem : vere enim ea omnia impleret, quæ pro ejus acquiſitione præfiniuntur.

Quæres 2.° An ſi quis Novitius Regularis nondum expleto probationis anno, in proximo mortis periculo conſtitutus profeſſionem Regularem rite emitteret; Indulgentiam Plenariam conſequeretur a Paulo V. emittentibus profeſſionem ſolemnem in Ordinibus Regularibus conceſſam?

Supponimus hic privilegium S. Pii V. in Brevi incipiente : *Summi Sacerdotii*, edito ſub die 23. Auguſti anno MDLXX. recitato ab Emmanuele Roderico in *t. 3. quæſt. Regul. quæſt. 15. art. 6.* quo Monialibus Novitiis Ordinis Prædicatorum proxime morituris facultas conceditur emittendi profeſſionem religioſam ante tempus a Concilio Tridentino ſtatutum his verbis = *Eiſdem Monialibus Novitiis* (nempe Ordinis S. Dominici) *nunc & pro tempore exiſtentibus, & earum ſingulis, ut quando, & quoties aliqua ex eis nondum profeſſa de alicujus medici conſilio ab hoc Sæculo tranſitura conſpicitur; ipſa pro conſolatione animæ ſuæ profeſſionem prædictam ante tempus requiſitum, quatenus tamen in ætate legitima conſtituta ſit ad illam emittendam, in manibus Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ vel alterius Superioris Novitiarum ipſius Monaſterii, ſeu Domus ... concedimus &c.* = Quod profecto privilegium nedum eſt peculiare dicto Ordini, ſed etiam cæteris aliis Religionibus commune, habentibus tamen communicationem in privilegiis, gratiis & indultis cum Ordinibus Mendicantibus. Id autem adhuc viget : quia quanquam Gregorius XIII. Conſtitutione cujus initium eſt *In tanta rerum & negotiorum mole* : emanata ſub die 1. Martii anno MDLXXIII., ea, quæ S. Pius V Ordinibus Mendicantibus conceſſerat, (ut ſentiunt nonnulli Doctores) ad terminos juris communis & dicti Concilii reduxerit pro foro exteriori; ſecus vero pro foro interiori. Addi poteſt cum Roderico loco laudato, Gregorium XIII. abrogaſſe ea, quæ S. Pius V. conceſſerat ſuper ſtatu & regimine Monialium, non vero ſuper religioſa profeſſione emittenda a morituris.

Hoc ſuppoſito, Portelus *verb. Novitia n. 5.*, cui adhæret Antonius de Porres *in tract. de Indulg. lib. 2. cap. 5. n. 3.* affirmative dubio reſpondet, quia hoc eſt propriiſſime id, quod vocatur Epicheja, qua rationabiliter præſumitur, Paulum V. ſuppoſita advertentia ita juſſurum, utpote quia eſt maxime conforme piæ menti legiſlatoris.

Reſpondemus tamen negative: non enim conceditur in hac Pauli V. Conſtit. Idulgentia Plenaria utcunque profeſſionem religioſam emittentibus, ſed expleto probationis anno his verbis = *Cuilibet Novitio, qui pœnitens & confeſſus, ac Sacra Communione refectus, poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, Plenariam* = adeoque integer annus completus novitiatus de mente Pontificis hanc Indulgentiam concedentis exigitur, ut Regularis hujus beneficii particeps reddatur. Nec argumentum Roderici & Antonii de Porres ſuadet oppoſitum : quia non debet attendi, quid Paulus V. egiſſet, ſi advertiſſet caſum, de quo pertractamus, ſed de facto quid egerit, ſuppoſita advertentia ad hujus Indulgentiæ conceſſionem illis verbis expreſſam. Negare tamen non valemus, Novitios in mortis articulo exiſtentes lucrari poſſe Indulgentiam Pauli V. Regularibus in mortis articulo conſtitutis conceſſam : quia juxta communem Doctorum ſententiam, in favorabilibus veniunt nomine Regularium & Religioſorum.

De Indulgentia in articulo mortis hic conceſſa, obſerva, olim diverſimode Pauli V. Prædeceſſores hanc gratiam Regularibus dediſse. In Conſtitutione Eugenii IV. incipiente : *Injunctum Nobis*, edita Nonis Julii anno MCCCCXXXIII. allata a Roderico *collect. privil. Reg. inter Eug. IV. Bullas ſub num. 23.* reperies collatam fuiſſe facultatem Monachis Ordinis Sancti Benedicti Vallisoleti, ut in articulo mortis conſtituti a Confeſſariis idoneis ab eiſdem eligendis Plenariæ remiſſionis tum culpæ tum pœnæ temporalis abſolutionem reciperent, adjecto onere jejunandi qualibet feria ſexta per unum annum, niſi ob legitimum impedimentum Confeſſarii libito jejunium in alia exercitia commutarent = *Tenore præſentium Indul-*

dulgemus, ut Confeſſores idonei, quos (Monachi) *duxerint eligendos, omnium ſuorum peccatorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, ſemel tantum in mortis articulo Plenam remiſſionem, eis in ſinceritate fidei, unitate S. R. Eccleſiæ, obedientia & devotione Noſtra, vel Succeſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, eadem authoritate concedere valeant. Sic tamen quod ipſi Confeſſores &c. quodque ſinguli Monachi præfati a tempore, quo conceſſione hujuſmodi gaudere voluerint, per unum annum ſingulis ſextis feriis impedimento ceſſante legitimo jejunent: & ſi prædictis feriis ex præcepto Eccleſiæ, injuncta pænitentia, voto, vel alias jejunare teneantur, una alia die ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut præmittitur, non ſunt adſtricti, jejunent: quodque ſi in dicto anno, vel aliqua ejus parte impediti legitime fuerint, anno ſequenti, vel alias quam primum poterunt, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium teneantur. Verum ſi forſitan alias præfatum jejunium in toto, vel in parte quandocunque commode adimplere nequiverint; eo caſu Confeſſores idonei, quos ad id elegerint, ipſum in alia pietatis opera, prout ſuarum animarum ſaluti expedire viderint, commutare valent, quæ dicti Monachi & perſonæ pari modo debeant adimplere: alioquin quoad eos ipſa conceſſio nullius ſit roboris vel momenti* = Non diſſimilem gratiam datam fuiſſe Patribus tam Ordinis Prædicatorum, quam Ordinis Minorum, citra onus jejunii, vel precum recitandarum, colliges ex Conſtitutione Sixti IV. cujus initium eſt: *Sacri Prædicatorum & Minorum*, edita ſeptimo Kalendas Auguſti anno MCCCCLXXIX., relata pariter a Roderico *in collect. cit. inter Bullas Sixti IV. ſub n.* 20 ibi = *Ut Prædicatorum & Minorum Ordinum profeſſoribus qui, nunc & pro tempore erunt, ut Confeſſor idoneus eorundem Ordinum, quem quilibet pro ſe de ſui Superioris licentia duxerit eligendum, eorundem Confeſſione diligenter audita, pro commiſſis per eos exceſſibus & peccatis ſemel in vita, in forma Confeſſionalis per Nos edita, & in mortis articulo Plenariam abſolutionem & peccatorum hujuſmodi remiſſionem impendere valeat* = Idem poſtea aliorum Ordinum Regularium profeſſoribus alii Summi Pontifices ſub eadem forma Sixti IV. præſtiterunt, ut habetur ex eorum privilegiis. Ex quo conſtat, Paulum V. alium modum a Prædeceſſoribus Pontificibus in hujuſmodi Indulgentiæ conceſſione adhibuiſſe, ut independenter a Sacerdote ad audiendas Confeſſiones Sacramentales electo in articulo mortis Regulares Indulgentiæ Plenariæ beneficium reciperent: cum antea id minime poſſent niſi per delegatam Sacerdotibus facultatem obtinere. Imo idem Paulus (ut notat Riccius in ſuis MSS.) aliter hanc ſpiritualem gratiam conceſſit ore dulciſſimum Jeſu nomen invocantibus, ſi potuerint, ſin minus corde, perſonis Confraternitatum albo canonice deſcriptis, aliter vero Regularibus: his quidem piorum operum exercitationibus ex inſtituto mancipatis etiam ſolum contritis, ſi Confeſſioni ac Communioni Sacramentali vacare minime potuerint = *In cujuslibet* (Regularis) *mortis articulo, ſi vere pænitens & confeſſus, ac Sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltem contritus nomen Jeſu ore, ſi potuerit, ſin autem corde devote invocaverit*, concedimus *Plenariam* = illis vero ſub onere Confeſſionis & Communionis Sacramentalis = *In mortis articulo* (verba ſunt formæ adhibitæ a Paulo V. pro Confraternitatibus) *eiſdem utriuſque ſexus Confratribus, qui pænitentes & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus*.

De Indulgentia Plenaria conceſſa iis, qui primæ Religioſorum Miſſæ interfuerint, ſine obſervatione prætereundum non eſt, olim Summos Pontifices Honorium III., Gregorium IX., Alexandrum IV., Bonifacium VIII. alioſque Indulgentias partiales trium annorum, & duorum dierum tam Regularibus, quam Sæcularibus aſſiſtentibus primo Miſſæ

Sa-

Sacrificio Religioſorum Ordinis Prædicatorum dediſſe, ut refert Rodericus in *quæſtion. Regularib. & Canonic. tom. 2. quæſt. 95. art. 2.* Sed ampliorem gratiam in hac conceſſione feciſſe Paulum V., conſtat ex hac Bulla; quanquam ſolis Regularibus eam dederit comparandam, atque onera Confeſſionis, necnon Communionis Sacramentalis adjecerit. In eo tamen deceptos invenimus quoſdam Regulares arbitrantes, ad aſſecutionem hujus Indulgentiæ oſculum manuum dictorum Sacerdotum primo celebrantium neceſſario deſiderari; quanquam enim hic actus ſit plurimum commendabilis; non tamen ex vi hujus conceſſionis requiritur.

Super Indulgentiis Stationum Regularibus conceſſis ſeu communicatis obſervant Peyrinus in *Tom. 2. Privileg. Minimor. in Conſt. VIII. Pauli V.* §. 1. Lezana in *tom. 3. v. Indulgentia quoad Regulares n. 9*: Religioſos extra proprias Domos, & Eccleſias commorantes illis poſſe gaudere. Quibus Authoribus contradicere non audemus, ſi vera eſt Declaratio Pauli V. cujus meminit Peregrinus *Parte 1.ª ſui compend. tit. Indulgentia n 7.*

Aliam affert Peregrinus laudatus loco citato Declarationem memorati Pauli V. pro Congregatione S. Mariæ Fulienſis relatam in *Compend. privilegior. dictæ Congregationis tit. Infirmi* §. 4., quod Regulares, qui nequeunt proprias adire Eccleſias in lectis decumbentes, poſſunt lucrari tam Stationum Indulgentias, quam alias proprias Eccleſias viſitantibus attributas, dummodo pium aliquod opus peragant arbitrio Confeſſarii taxandum.

Quæres 3.° An pluries memorata Pauli V. Conſtitutio, tam quoad revocationem, quam quoad novam conceſſionem Ingulgentiarum Canonicos Regulares comprehendat?

Dubium excitatur ob clauſulam ibidem inſertam = *Volumus autem, ut omnes ſupradictæ Indulgentiæ & gratiæ Regularibus cujuſvis Ordinis tam Monaſtici quam Mendicantis duntaxat, ut præfertur, conceſſæ, etiam omnibus Monialibus cujuſvis Regulæ approbatæ, & intra Clauſtra cum tribus votis ſolemnibus &c... ſuffragentur* = Canonici vero Regulares, nec Monachorum, nec Mendicantium nomine fortaſſe deſignantur.

Reſpondemus tamen affirmative, quia veniunt ſub generali nomine Regularium, pro quibus fit revocatio, & reſpective nova Indulgentiarum conceſſio ibi = *Nos matura ſuper hoc conſultatione præhabita, cupientes perſonis Regularibus quibuſcunque, quorumvis Ordinum tam Monaſticorum, quam Mendicantium ſpirituale ſolatium, & juvamen afferre, infraſcriptas Indulgentias, & gratias, quas perſonis Regularibus intra Clauſtra, aut extra, cum licentia tamen ſuorum Superiorum, legitima de cauſa illis conceſſa, degentibus tantummodo ſuffragari debere declaramus, concedendas duximus &c.* = Quamobrem ea particula *duntaxat* loco citato appoſita, non eſt taxativa in ordine ad ſolos Mendicantes ac non Mendicantes, ſed potius ampliativa. Ideoque cum Abbas Generalis Canonicorum Regularium Lateranenſium petiiſſet declarari = *An prædicti Regulares ſub illis verbis Paulinæ Conſtitutionis: Volumus tamen, ut omnes ſupradictæ Indulgentiæ Regularibus cujuvis Ordinis tam Monaſtici, quam Mendicantis: comprehenderentur:* Sacra Congregatio Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum ſub die 8. Maii an. MDCCXIII. cenſuit, = *eſse comprehenſos*.

Idem dicendum eſt de Canonicisſis Regularibus, vel aliis quocunque nomine nuncupatis, eſto non vocentur Moniales, dummodo ſolemnem profeſſionem emittant ſecundum Regulam per Sedem Apoſtolicam approbatam. Quod pariter declaravit Sacra Congregatio Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum in Cathalaunen. ſub die 23. Aprilis MDCCXIV.

§. IV.

Solvuntur alia dubia de Indulgentiis Regularium.

Firmis remanentibus antiquis Indulgentiis Localibus Ordinum Regularium, aliiſque denuo tum a Paulo V generaliter, tum peculiariter quibuſdam Congregationibus eorundem Ordinum Regularium deinde conceſſis, alia dubia poſſunt ad controverſiam revocari ob pecu-

culiares difficultates, quæ poſſunt inſurgere.

Quæres igitur 1. An his omnibus ſive Perſonalibus ſive Localibus gaudeant Moniales actu non exiſtentes ſub gubernio Religioſorum ſui Ordinis (licet aliquando fuerint) ſed ſub Epiſcoporum regimine?

Reſpondemus affirmative, quantum ad Indulgentias Perſonales generaliter a Paulo V. conceſſas: & apertiſſime conſtat ex ejuſdem Pauli verbis = *Volumus autem, ut ſupradictæ omnes Indulgentiæ, & gratiæ Religioſis Regularibus cujuſvis Ordinis, tam Monaſtici quam Mendicantis duntaxat, ut præfertur, conceſſæ, etiam omnibus Monialibus cujuſvis Regulæ approbatæ, & intra Clauſtra cum tribus votis, tam Ordinariis locorum, quam etiam Regularibus cujuſcunque Ordinis, Regulæ, & Inſtituti ſubjectis &c.*

Quantum vero ad alias Indulgentias ante Paulum V. Religioſorum Eccleſiis addictas, ſive immediate Defunctis conceſſas ſub conditione pii operis ab eiſdem peragendi, (quas adhuc ſuum priſtinum valorem obtinere dictum eſt ſupra §. 2.) videtur negative reſpondendum: quia in nonnullis Brevibus privilegiorum, & Indulgentiarum favore Monialium innuitur conceſſio eiſdem facta ſub cura Fratrum exiſtentibus: adeoque ſubjectio videtur ſe habere per modum conditionis, ut fructus privilegiorum necnon Indulgentiarum ejuſmodi obtineatur. Sixtus enim V. Conſtitutione incipien. *Sacri Prædicatorum* = inquit = *Monaſteria Monialium, ſeu ſororum, ſub cura & inſtituto Fratrum Prædicatorum, & S. Claræ..... iiſdem Privilegiis, Immunitatibus, gratiis.... Indultis ſpiritualibus, & temporalibus prædictis Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus conceſſis & concedendis, quatenus eorum ſexui, & ſtatui non contradicant, libere, & licite uti poſſint, & debeant &c.* = & Leo X. Conſtitutione cujus initium eſt: *Cum ſicut Nobis*: de Monialibus Sanctæ Claræ ait: = *Quantum vero attinet ad participationem in gratiis FF. Minoribus, ſub quorum regimine vivitis, conceſſis, ſimili declaratione decernimus, tanto magis vobis eſſe conceſſas, quanto &c.* = Addi poteſt Privilegia, & Indulgentias ſtricte eſſe interpretanda.

Reſpondemus tamen affirmative, his non obſtantibus, cum Bordono in *Tom. 1. reſol. 52. quæſt. 24.* Pellizario *Tom. 2. tr. 8. cap. 1. n. 72. & 73.* Antonio a Spiritu Sancto *Tom. 1. tr. 1. diſp. 1. n. 109.* Lezana *Tom. 5. in Mari magno Carmelitar. n. 385.* Suario *de Legib. lib. 8. c. 10. n. 17.* Quintanaduen. *ſingular. quæſtion. tom. 1. tr. 8*: quia etſi Moniales actu ſub Religioſorum ſui Inſtituti gubernio non exiſtant; adhuc non diverſam Regulam obſervant ab ea, quæ propria eſt Religioſorum: eandem vitam religioſam ducunt: eodemque utuntur habitu, & ſic Deo, cum Fratribus idem Inſtitutum profitentibus, religioſe famulantur. Cum ergo iſtæ ſint rationes conceſſionis Indulgentiarum favore Monialium, quæ adhuc perſiſtunt, eiſdem jam ſub Ordinariorum regimine conſtitutis; ſequitur hujuſmodi Moniales illis Indulgentiis adhuc frui, & gaudere.

Hinc corruit adducta ratio in oppoſitum: quia ea verba Conſtitutionum Leonis X. & Sixti V. commode poſſunt explicari, ſi dicamus ea ſe habere, ut ajunt, demonſtrative, nempe ſolum deſignare Moniales, quæ ut in plurimum ſub regimine ſuorum Religioſorum vivere conſueverunt, non autem conditionem quandam importare: adeo ut prædictis Religioſis ſubeſſe quædam neceſſaria conditio cenſenda ſit, ad fruendum privilegiis, & Indulgentis Regularibus perſonis conceſſis. Privilegiorum enim nec non Indulgentiarum communicatio Monialibus conceſſa fuit propter merita Ordinum Regularium, quos Moniales ipſæ profitentur, non vero quia Fratrum gubernio ſubduntur. Et quanquam privilegia ſtricte ſint intelligenda; hoc tamen nullatenus procedit, quando de illis gratiis agitur, quæ nullum omnino alteri præjudicium inferunt: ut ſentit Caſtropalaus in *Tom. 1. tr 3. diſp. 4 puncto 20. n. 1.* Rurſus S. Congregatio Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum pluries id declaravit de Localibus: & potiſſimum die 20. April. MDCCXI. Indulgentias generatim conceſſas tum in diebus Feſtis Sanctorum Ordinis tum aliis hujuſmodi Solemnitatibus, cunctas æque obtineri poſ-

poſſe a Chriſtifidelibus viſitantibus Eccleſias Monialium, quæ ſubſunt gubernio Ordinariorum. Ut ex ſequenti Decreto: *Licet ab hac Sacra Congregatione, Indulgentiis Sacriſque Reliquiis præpoſita non ſemel declaratum fuerit: nonnulla Sanctimonialium Monaſteria, quæ antea ſub gubernio Fratrum ſui Ordinis degebant, per hoc quod Epiſcopo loci ſubjecta deinde fuerint, privilegia & Indulgentias, quibus ante fruebantur, nullatenus amiſiſſe; tamen cum ſæpius alia etiam Monaſteria, quæ ſimili modo ſub immediatam Epiſcoporum juriſdictionem tranſlata ſunt, idem ab Apoſtolica Sede declarari poſtulaverint; ut nulla in poſterum dubitandi ratio ſuperſit, eadem Sacra Congregatio re mature diſcuſſa die 20. Aprilis 1711. declaravit: Monaſteria omnia Sanctimonialium, quæ a cura & gubernio Fratrum ſuorum Ordinum ſub immediatam Epiſcoporum juriſdictionem tranſlata ſunt, ſeu inpoſterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegia, Indulgentias, quibus antea gaudebant, amiſiſſe, ſeu amiſſuras fore, ſed eodem modo cunctis dictis privilegiis, & Indulgentiis uti, & frui debere, ac ſi ſub gubernio Fratrum ſuorum Ordinum actu exiſterent. Quam Sacræ Congregationis Sententiam SS. D. N. die 22. ejuſdem menſis approbavit. J. M. Cardinalis Gabriellius Præfectus Raphael Coſm. de Hieronymis Secretarius.*

Quod autem de Monialium Monaſteriis aſſeruimus, dicendum quoque eſt de virorum Cœnobiis: ut declaravit eadem Sacra Congregatio de aliquibus Monaſteriis Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini ſub die 2. Februar. MDCCXX., & confirmavit Innocentius XIII. ſequenti Brevi. *Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Canonici Regulares Ordinis S. Auguſtini Collegiatarum Eccleſiarum, ſeu Monaſterialium Beyrbergenſis Beyhardingenſis, & Bernriedenſis, Dieſſenſis, Dietramzellenſis, Inderſtorffienſis, Pollingane, Raittembuechenſis, Ransbovienſis, Rorenſis, Schelechdoffenſis, VVeyarenſis, & Sanctorum Andreæ, & Magni Ratisbonenſis, Frinſingenſis, Paſſavienſis & Auguſtanæ Diœceſium in Germania ſuperiori, quod in dictis Collegiatis, ſeu Monaſteriallibus Eccleſiis Indulgentiæ Plenariæ, quæ in Sanctorum Auguſtini, Monicæ, Patritii, Frigdiani, ac Ubaldi Feſtivitatibus, necnon die quinta Martii, qua omnium Sanctorum ejuſdem Ordinis commemoratio fieri conſueſcit, Eccleſiis Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis dicti Ordinis a recolendæ Memoriæ Innocentio Papa XII. prædeceſſore noſtro conceſſæ ſunt, ſolent, & ſolitæ ſunt publicari. Verum quia ab inquietis, & Chriſtianæ pacis æmulis pervulgatur, primo dictas Eccleſias, tametſi illæ Congregationi Lateranenſi aggregatæ ſint, non gaudere dictis Indulgentiis: eo quia ipſi exponentes Juriſdictioni Ordinariorum locorum ſubjacent; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quommodolibet innodatæ exiſtunt; ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitorum conſilio, Eccleſias primo dictas in prædictis Diœceſibus exiſtentes, quæ Indulgentiis hujuſmodi fruuntur, & gaudent, revera frui, & gaudere Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus: ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non concedendis Indulgentiis adinſtar, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ adud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 9. Maii MDCCXXII. Pontificatus noſtri anno primo. F. C. Oliverius.*

Idem generaliter ſtatuendum putamus de cunctis Regularium Cœnobiis,

ſive

ſive virorum ſive mulierum, quæ nunquam fuerunt ſub gubernio Superiorum Ordinis: quia, ut ſuperius ponderavimus, Indulgentiæ non conceduntur Monaſteriis, ſeu earum perſonis ratione ſubjectionis ad Superiores Ordinum Regularium, bene vero propter Inſtitutum. Et ideo mandante Sanctæ Memoriæ Clemente XI. Sacræ Congregationi Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum dubium generale proponi de cunctis hujuſmodi Monialibus; eadem Sacra Congregatio ſub die 18. Aprilis MDCCXVI. cenſuit = *Supplicandum Sanctiſſimo pro declaratione, quod Moniales cujuſcunque Ordinis Regularis, quanvis actu non degant, nec unquam extiterint ſub gubernio Regularium; gaudeant omnibus Indulgentiis, quibus fruuntur cæteræ Moniales, quæ ſub gubernio Fratrum ſui Ordinis exiſtunt: & quatenus opus ſit; pro una conceſſione earundem Indulgentiarum.*

Ex quo colliges Monialium Monaſteria, quæ manent ſub Regularium alterius Ordinis regimine, minime poſſe communicare in Indulgentiis, quæ intuitu eorundem Regularium conceſſæ ſunt. Idque ut plenius conſtet, afferimus illud, quod cenſuit Sacra Congregatio Indulgentiarum ſub die 12. Decembris MDCCXXIX. in Mediolanen. Nobile Monaſterium Angelicarum anno MDXXXV. ex pio Legato Ludovicæ Taurellæ de Martinengo Dominæ Guaſtallæ una cum Eccleſia ſub titulo Converſionis S. Pauli erectum, cum expreſſa conditione acceptandi, necnon ſervandi Regulam S. Auguſtini, juriſdictioni Archiepiſcopali ſubjectum fuit, facta poteſtate eiſdem Monialibus eligendi ſibi Confeſſarium Regularem Ordinis S. Auguſtini, vel alterius Ordinis: cui abſentibus Archiepiſcopis competeret jus viſitandi, corrigendi, & confirmandi Abbatiſſas. Cum autem ſub ipſo Monaſterii extructionis, & dotationis exordio Moniales eximiæ probitatis virum Antonium Mariam de Zaccharia Clericorum Barnabitarum Fundatorem, & ſucceſſive alios ejuſdem Congregationis Sacerdotes elegiſſent; S. Carolus Borromæus in ſua viſitatione, dictorum Regularium viſitationem commendans, mandavit a prædicti Monaſterii cura, ac directione Clericos Regulares Barnabitas non amoveri: declaratione tamen adjecta, quod per hoc ne in minimo quidem puncto imminuta, aut reſtricta plena Archiepiſcoporum Mediolanenſium poteſtas in dictum Monaſterium cenſeretur: ita ut tum ipſi, tum Succeſſoribus ſemper, & quandocunque liberum eſſet quemlibet alium Confeſſarium Sæcularem, ſeu Regularem cujuſvis Ordinis deputare: quod hucuſque ſervatur. Curarunt ſubinde Patres ejuſdem Monaſterii directores Breve Indulgentiæ Plenariæ a Ven. Ser. Dei Innocentio XI. anno MDCLXXVII. pro Feſtis Converſionis, & Commemorationis S. Pauli Apoſtoli eorum Eccleſiæ conceſſæ, per aliud Breve Sanctæ Memoriæ Innocentii XII. editum anno MDCXCVII. ad Eccleſias Monialium Barnabitarum prorogari & extendi. Hinc ſupradictæ Moniales ſub illa conceſſione ſe comprehenſas eſſe arbitrantes, pro feſtis indicatis Indulgentiam Plenariam quotannis publicare fecerunt. Cum autem poſtea inter eaſdem Moniales excitatum fuiſſet dubium: an ſub Regula S. Auguſtini perſeverarent, vel Ordinem Barnabitarum ſuſcepiſſent: Eminentiſſimus Ordinarius, ne Fideles circa dictas Indulgentias deciperentur; denegavit deinceps earum publicationem: conſultuſque a memorata Sacra Congregatione, ad quam habitus fuit recurſus nomine Monialium pro declaratione; rem altius repetendo, expoſuit prælibatam facti ſeriem, votumque ſuum aperuit: Moniales ſub nomine Barnabitarum non eſſe comprehenſas: concedi tamen poſſe ad populi ædificationem eandem Indulgentiam earum Eccleſiæ ſub titulo S. Pauli erectæ. Excitatis itaque in dicta Sacra Congregatione his dubiis 1. = *An extenſio Indulgentiarum conceſſarum Eccleſiis Congregationis Barnabitarum a Ven. S. D. Innocentio XI. comprehendat Moniales Angelicas: & quatenus negative? 2. An eiſdem ex integro ſint concedendæ ſimiles Indulgentiæ?* reſponſum fuit = *Ad 1. negative. Ad 2. affirmative.*

Quæres 3.° An Regulares Mendicantes degentes in Regnis Catholico Hiſpaniarum Regi ſubjectis, in quibus Bulla Cruciatæ publicari ſolet, poſſint Indulgentiis alias ſibi conceſſis gaudere, etiamſi dictam Bullam non acceperint?

Favet parti negativæ quarumcunque Indulgentiarum ſuſpenſio facta a Commiſſario, & Receptore Generali virtute ejuſdem Bullæ ibi = *Ut ſuſpendere poſſit dicto anno durante omnes ſimiles, vel diſſimiles Indulgentias, & facultates, ab eiſdem, & Sede Apoſtolica, vel ejus authoritate conceſſas quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, piis Locis, Univerſitatibus, Confraternitatibus, & ſæcularibus perſonis in Regnis, Inſulis, Terris, Locis, & Dominiis præfatis, etiam in favorem Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, vel alterius ſimilis Cruciatæ, ſi quæ in Regnis, Inſulis, Terris, Locis, & Dominiis præfatis conceſſa ſit, etiamſi clauſulas aliquas contra ſuſpenſionem facientes continerent &c.*

Reſpondemus tamen affirmative: quia ea generalis facultas ſuſpendendi Indulgentias non ſe extendit ad Regulares Ordinum Mendicantium: & colligitur ex verbis, quæ in eadem Bulla Craciatæ ſubduntur = *Exceptis tamen conceſſis Regularium Mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres tantum* = idemque conſtat ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii. Quæ ratio convincit id ipſum dicendum de aliis Regularibus habentibus communicationem in Indulgentiis, & privilegiis cum Ordinibus Mendicantibus: & ideo Sacra Congregatio Indulgentiarum &c. propoſitio ſequenti dubio = *An PP. Societatis Jeſu, qui Bullam Cruciatæ non ſuſceperunt, & in iis Locis immorantur, in quibus eadem Bulla publicatur, lucrari poſſint alias Indulgentias ſibi a Sede Apoſtolica conceſſas?* ſub die 7. Novembris MDCCX. Reſpondit: *Affirmative*. Sanctus enim Pius V. Conſtitutione incipien. *Dum indefeſſæ*, edita ſub die 7. Julii MDLXXI. declaravit, Religionem Clericorum Regularium Societatis Jeſu eſſe vere de Ordinibus Mendicantibus: eorumque gratiis, Indulgentiis, & privilegiis tam conceſſis quam concedendis gaudere = *Motu proprio non ad ipſorum Præpoſiti Generalis, & Societatis, vel alicujus eorum, aut alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera liberalitate, & certa ſcientia Noſtris, illam, & illius Præpoſitum, ac ſingulas perſonas Societatis hujuſmodi vere, & non ficte Mendicantes fuiſſe, eſſe & fore: & inter aliorum Fratrum & Religioſorum Mendicantium Ordines, alioſque Fratres, & Religioſos Mendicantes, prout illos Nos connumeramus connumerari debere: ac omnes, & ſingulas tam juris, quam hominum diſpoſitiones in favorem Religioſorum, ſeu Fratrum Mendicantium nunc, & pro tempore emanatas, etiam in Societate, illiuſque Domibus, Collegiis, Præpoſito, & aliis Religioſis locum habere. Necnon omnia & ſingula quæcunque, quotcunque, & qualiacunque ſint, etiam ſpeciali nota digna privilegia, immunitates, exemtiones, facultates, conceſſiones, indulta, Indulgentias, peccatorum remiſſiones, & gratias tam ſpirituales, quam temporales, Literaſque Apoſtolicas, etiam juſtitiam, ſive mixtum concernentia, hactenus per Nos, & quoſcunque alios Romanos Pontifices, tam Prædeceſſores quam Succeſſores noſtros, & denique Sedem Apoſtolicam, & illius Legatos de Latere, ſive Nuncios, & quavis authoritate fungentes, etiam motu, & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, tam in genere, quam in ſpecie, & tam communiter, & conjunctim, quam particulariter, & diviſim, etiam per modum extenſionis ſeu communicationis, & alias quomodolibet quibuſvis Ordinibus .... omnibus, & ſingulis prædictis privilegiis, immunitatibus exemtionibus, conceſſionibus, indultis, Indulgentiis, remiſſionibus, gratiis, & literis eiſdem FF., & Sororum Mendicantium &c. ut præfertur, conceſſis & concedendis antea potuerint, & nunc, & in futurum ... licite uti, frui, potiri & gaudere in omnibus, & per omnia non ſolum ad illorum inſtar, ſed pariformiter & æque principaliter, abſque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi Societati, Præpoſito, Perſonis, Domibus, & Collegiis prædictis nominatim & ſpecialiter, & generaliter conceſſa fuiſſent, Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuo ſancimus, volumus & declaramus, ac pariter concedimus, indulgemus & largimur.*

Neque vero ex clauſula Bullæ Cruciatæ: *Quoad eorum Fratres tantum*: inferri

poteſt

poteſt, Moniales quaſcunque, ſi non acceperint eandem Bullam, non poſſe gaudere dictis Indulgentiis: comprehenduntur ſiquidem, & accipiuntur illis verbis: *quoad eorum Fratres*: quia ſicut docent Felinus in *c.de Monialibus de ſent.excom.* Paulus Fuſco *de viſitat. l. 2. c. 18. n. 62.* & alii; ſub nomine Monachorum veniunt Sorores. Quamobrem aſſerunt Rodriquez *tr. 12. n. 7.* & Villalobos *tr. 17. clauſul. 12. n. 13.* quod quando relinquitur aliquid Fratribus, intelliguntur etiam Fœminæ Sorores: & privilegium conceſſum filiis (niſi addatur maſculis) comprehendit filias, ex *l. Juſta l. Filia l. Cognoſcere ff. de verb. ſignific.* Tum quia privilegia conceſſa viris intelliguntur conceſſa pariter fœminis, etiam ſi ſtricte debeant interpretari, quando id, quod conceditur, ad ipſas pertinere poteſt: habent enim hujuſmodi privilegia extenſionem a maſculino in fœmininum: ut docent multi Doctores, quos refert Tiraquell. *Retractat. Conſanguinit. §. 1. gloſſa 9. n. 221.* & docet Menochius *de adipiſc. poſſeſſ. remed. 5. n. 61. & 62.* Rebuff. *l. 1. ff. de verbor. ſignif.* & alii DD. *in c. cum plantare §. Eccleſiæ de privileg.*

Quæres 4.° An Regulares ad Epiſcopalem dignitatem aſſumti ſuarum Religionum Indulgentiis perfruantur?

Ad negativæ reſponſionis probationem, hoc utuntur principio Rodriquez *to. 2. q. 581. art. 4.* Portelus *ver. Epiſcopus*, quod Regularis factus Epiſcopus non eſt amplius Religionis membrum: utpote qui intra Religionem non vivit, nec ab ejus capite regitur, adeoque Indulgentiis Ordinibus Regularibus conceſſis gaudere non poteſt. Ceſſante enim conceſſionum, Privilegiorum & gratiarum ſpiritualium fundamento, ea, quæ illi innituntur, deficere neceſſe eſt: juxta Gloſſam in *can. Ita nos 25. q. 2. ver. ceſſaverint*, & Decium in *c. cum acceſſiſſent de conſtit. n. 15*: tametſi Suarius *t. 4. de Relig. lib. 3. cap. 18. n. 2.* ex hoc fundamento potius contrarium colligat: quia nempe Indulgentiæ, & privilegia conceduntur Regularibus in favorem ſtatus Religioſi, ut nuper dictum eſt, qui etiam perſeverat in eo, qui Epiſcopus factus eſt.

Alii, qui negativæ reſponſioni pariter ſubſcribunt, diverſa incedunt via: quia nimirum hujuſmodi Regulares a jugo clauſtralis diſciplinæ ſunt exemti: juxta dicta in *can. Statutum 18. q. 1.* ibi: *Canonica electio a jugo Regulæ Monaſticæ profeſſionis abſolvit*: adeoque cum Religionis incommoda non ſentiant, nec debent Indulgentiarum, & privilegiorum commodum experiri.

Verum iſti Authores falſitatis facile convincuntur: quia licet quoad obligationes accidentales Regulæ, puta quoad jejunia & vigilias & his ſimilia, Regulares ad Epiſcopatum translati ſint exemti, de quibus loquitur Canon *Statutum* (quia ea omnia cum ſtatu Epiſcopali ſunt incompatibilia, ut innuit Gloſſa in *can. 3. 16. q. 1.* citans ex *can. 2.* ejuſdem quæſtionis Divum Gregorium, qui ait = *Nemo poteſt & Eccleſiaſticis obſequiis deſervire, & in Monaſtica Regula ordinate perſiſtere, ut ipſe Monaſterii diſtrictionem teneat, qui quotidie in miniſterio Eccleſiaſtico cogitur permanere*) tamen adhuc regularis vitæ jugo mancipantur: hoc enim potiſſimum attenditur penes vota ſubſtantialia conſtituentia ſtatum Religioſum, quibus Regulares adhuc Epiſcopi obligantur. Alias ſtatus Religioſus Epiſcopali dignitate ſupervenien te deſtrueretur, quod a veritate alienum eſt: potius enim perficitur, & completur, cum uterque ſtatus ſub Evangelicæ perfectionis genere comprehendatur, & Religioſus ſe habeat ad Epiſcopalem, tanquam diſciplina ad Magiſterium, & diſpoſitio ad perfectionem, quæ non tollitur hac adveniente, niſi forte quantum ad id quod perfectioni repugnat = *Status Religionis* (inquit Angelicus Doctor *2. 2. q. 85. art. 8.*) *ad perfectionem pertinet, quaſi quædam via in perfectionem tendens. Status autem Epiſcopalis ad perfectionem pertinet tanquam quoddam perfectionis magiſterium: unde ſtatus religionis comparatur ad Epiſcopalem, ſicut diſciplina ad magiſterium, & diſpoſitio ad perfectionem. Diſpoſitio autem non tollitur perfectione adveniente, niſi quantum ad id, in quo perfectioni repugnat. Quantum autem ad id, quod perfectioni congruit, magis confirmat: ſicut diſcipulo, cum ad magiſterium pervenerit, non congruit quod ſit auditor, congruit tamen ſibi quod le-*

 gat,

gat, & meditetur etiam magis quam ante. Sic ergo dicendum eſt, quod ſi quæ ſint in regularibus obſervantiis, quæ non impediant Pontificale Officium, ſed magis valeant ad perfectionis cuſtodiam, ſicut eſt continentia, paupertas, & alia hujuſmodi; ad hæc remanet Religioſus, etiam factus Epiſcopus, obligatus: & per conſequens ad portandum habitum ſuæ Religionis, qui eſt obligationis ſignum. Si quæ vero ſint in obſervantiis regularibus, quæ Officio Pontificali repugnant, ſicut eſt ſolitudo, ſilentium, & aliquæ abſtinentiæ, vel vigiliæ graves, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum Pontificale Officium; ad hujuſmodi obſervanda non tenetur =

Ante dubii ſolutionem duo Indulgentiarum genera in perſonis Regularibus diſtinguimus, unum ipſis collatum, prout in Monaſteriis degunt, ac vivunt: ita ut earum uſus neceſſario dependeat ab exiſtentia in Clauſtro: aliud reſpiciens Religioſum duntaxat ſtatum, vel peculiare Inſtitutum: ita ut earum uſus ratione operis a concedente Indulgentias injuncti neceſſariam non dicat cum Clauſtri inhabitatione connexionem. Indulgentiis Regularium hoc modo diſtinctis, reſpondemus, ſecundi generis Indulgentias acquiri poſſe a Regulari ad Epiſcopatum promoto, ſecus vero primi generis Indulgentias.

Prima reſponſionis pars firmatur ex eo, quod ſicut Eccleſia Regularis per hoc quod fiat Parochialis, non amittit exemtiones, Indulgentias, & privilegia ob rationem cæteris Eccleſiis Ordinum Regularium communem conceſſa, niſi fuerint expreſſe ſublata, ut obſervat Tamburinus *de jure Abbatum t. 1. diſp. 15. q. 11. n. 4.* & habetur textus *Clement. 1. de ſuppl. neglig. Prael.*; ita Regularis Epiſcopus factus non amittit privilegia & Indulgentias: id enim, quod conceditur parietibus, negari non debet perſonis, quæ Clauſtri quietem abdicarunt, ut gravioribus pro Eccleſia Dei curis, majoribuſque oneribus ſuccumberent, quam ſint ea, quæ ante ſuſceptum Epiſcopale munus ſubiverant. Addimus, Indulgentias, gratias & privilegia Regularibus Ordinibus fuiſſe conceſſa ob præclara merita, quæ ad Eccleſiæ utilitatem ipſi cumularunt. Quare ergo ſi his frui poſſunt nedum Religioſi, qui in ſuſcepto vitæ regularis propoſito exacte ſe gerunt, verum etiam qui deſides & otioſi vivunt in Cœnobiis; excludendi erunt Epiſcopi, qui fortaſſe eo tempore, quo in Ordinibus Regularibus ſub diſciplina clauſtrali vixerunt, plus cæteris in vinea Domini laborarunt?

Secunda pars probatur: quia nequeunt obtineri Indulgentiæ, quin obligationes a Pontifice eas concedente valeant impleri: Regularis autem factus Epiſcopus nequit ea perficere, quæ monaſtice fiunt inter Regulares: cum aliunde plura ſint in Indulgentiis Regularium injuncta opera, quæ important neceſſario vitam & convictum in Clauſtro: & ideo Conſtitutio relata Pauli V. in quarundam Indulgentiarum conceſſione habet ea verba: *Cuilibet Regulari intra Clauſtra ſui Monaſterii viventi: Omnibus Religioſis intra Clauſtra viventibus &c.*

Quæres an vigeat Indulgentia, quæ dicitur Stationis SS̃mi Sacramenti: ita ut Regulares recitantes ante Sanctiſſimum Sacramentum ſex vicibus Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam cum Gloria Patri, lucrentur omnes Indulgentias Stationum Romæ, Hieruſalem, S. Jacobi in Compoſtella, & Portiunculæ?

Ex literis in forma Brevis Cardinalis Laurentii, tituli SS. quatuor Coronatorum apud Emmanuelem Rodericum in *Collect. Privileg. Regular.* habetur, id olim Fratribus Minoribus Regularis Obſervantiæ cum aliis indultis & gratiis a Leone X. vivæ vocis Oraculo conceſſum fuiſſe: eandemque conceſſionem comprehendere non tantum Stationes ſolemnes quibuſdam Urbis Eccleſiis aſſignatas pro certis ſolemnitatibus, atque diebus, de quibus indicat Sixtus V. Conſtitutione incipiente *Egregia Populi Romani*, edita anno MDLXXXVI.; ſed etiam ſe extendere ad Indulgentias, & remiſſiones Eccleſiarum tam Urbis, quam aliarum extra Urbem. Literarum tenor hic eſt = *Beatiſſime Pater, quia alias V. S. conceſſit omnibus Fratribus Minoribus Regularis Obſervantiæ, ac Monialibus S. Claræ, & Tertii Ordinis, quod dicendo quinquies Pater noſter cum Ave Maria, & in fine cujuslibet Gloria Patri, & pro S. V. unum Pater Noſter cum Ave Maria ſimiliter cum Gloria Patri, lucren-*

Digitized by Google

erentur Stationes Urbis ; a nonnullis dubitatur, utrum intelligatur de aliis Indulgentiis? dignetur declarare, de mente ſua fuiſſe, quod lucrentur Stationes, Indulgentias, remiſſiones tam Urbis, quam etiam Portiunculæ, ſive Hieruſalem, ac S. Jacobi in Compoſtella: & quod quacunque hora diei vel noctis, & quocunq. loco dicant, ſcilicet Choro, Eccleſia, Clauſtro, Oratorio ac Cella, lucrentur illas. Item S. V. conceſſit certas Indulgentias recitantibus Coronam Jeſu Chriſti Domini Noſtri & Matris ſuæ &c...... Et quia omnia præinſerta fuerunt petita a Sanctiſſimo Domino Noſtro Leone Papa X. vobis fuerunt conceſſa; ideo in omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras patentes literas exinde fieri, & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, & publicari mandavimus, noſtrique majoris ſigilli juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in Sacro Palatio Apoſtolico in Camera noſtræ ſolitæ reſidentiæ ſub Anno a Nativitate Domini MDXVIII. Indictione 6. die vero 1. Menſis Septembris Pontificatus præfati Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri Leonis Divina Providentia Papæ X. anno 6.

Aliud vivæ vocis Oraculum Pauli III. factum fuiſſe pro eadem Indulgentiæ conceſſione tradit Corduba *in not. ad Compend. de Caſarubios verb. Indulgentia, Statio quoad Regular.* = *Notari debet*, inquit, *quod anno MDXXXV. die 22. Julii P. F. Antonius Ortiz dixerit, ſe a Paulo III. obtinuiſſe, quod Fratres Minores lucrari poſſent omnes & quaſcunque Indulgentias a Leone X. conceſſas* (nimirum ſuperius dictas) *recitando ſex vicibus Pater & Ave cum Gloria Patri non ſolum in Choro, ſed etiam in Eccleſia, Clauſtro, Oratorio & Cella, eo modo quo conceſſerat Leo X* = Eandem gratiam, tum aliorum Mendicantium tum non Mendicantium Ordinum Regulares, per generalem Indulgentiarum communicationem cum Fratribus Minoribus obtinuiſſe, compertum eſt.

His ſuppoſitis vivæ vocis Oraculis, Lantuſca in *Theat. Regular. ver. Indulgentia* arbitratur, nullo modo tam ſingularem Indulgentiarum conceſsionem eſſe recenſendam inter revocatas a Paulo V. = *Quia talis conceſſio*, inquit, *non eſt novum Indultum Stationum factum a Leone X., & Paulo III.: hoc ſiquidem non eſt Indulgentiæ conceſſio, ſed privilegium ad Indulgentiam comparandam. Quia in Indulgentiis Stationum duo ſunt, unum Indulgentia: & hæc nullo modo eſt a Paulo V. revocata, poſſuntque eam tam Sæculares quam Regulares comparare. Aliud eſt modus comparandi Indulgentiam, ideſt viſitare Eccleſias, quibus conceſſa eſt Indulgentia Stationum. Recitationem itaque injungere ſexies Pater noſter &c. directe & principaliter non eſt Indulgentiæ conceſſio, ſed privilegium, & quaſi diſpenſatio, quod Fratribus Minoribus opus non ſit ea pia Loca viſitare, ut præfatam Indulgentiam lucrentur, ſed alia loca pro eis lucrandis ſubſtitui: ideoque a Paulo V. revocata non eſt.*

Hieronymus Rodriquez, Quintanaduenas in *Append. tr. 4. n. 7.*, Antonius a Spiritu Sancto *in Director. Regular. tr. 2. de Privileg. diſp. 5. ſect. 2. §. 1. n. 22.* hujuſmodi Indulgentiam adhuc ſubſiſtere affirmant non quidem innixam ſupradictis vivæ vocis Oraculis, ſed Oraculo ipſiuſmet Pauli V. edito poſt generalem revocationem Indulgentiarum, quam hic retulimus: & deinde ab Urbano VIII. alio pariter vivæ vocis Oraculo confirmatam. Hanc ſententiam ſequuntur etiam Patres Societatis Jeſu, ut videre eſt in *Compend. Privilegior.* eorum opera excuſo Antuerpiæ anno MDCXXV. *v. Indulgentia* §. 5. *Quicunque noſtrum quinquies Pater noſter, & Ave Maria cum Gloria Patri, & ſemel Pater noſter, & Ave pro intentione &c. dixerit, quacunque hora diei, vel noctis, & quocunque loco &c, conſequetur Indulgentias tam Urbis, quam Hieruſalem, & S. Jacobi in Compoſtella: ac eam, quam conſequuntur viſitantes ſecunda die Auguſti Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Portiuncula.*

Non deſunt Authores, qui hanc Indulgentiam ad quoſcunque etiam ſæculares extendunt, ſub onere earundem precum, ut obſervat Antonius Porres *tr. de Indulg. c. 7. n. 14.* Ii, qui parciores cæteris ſunt, ſeptem Plenarias aſſerunt acquiri media talium precum recitatione: alii qua-

quadraginta quinque, præter nonnullas partiales quinquaginta mille annorum: alii ita earum cumulum augent, ut dicere non erubeſcant, dictum penſum recitantibus die, vel nocte, domi vel in via, imo etiam in lecto, quatercentum, & viginti Plenarias Indulgentias, & ſepties remiſſionem tertiæ partis peccatorum, præter centum mille annos remiſſionis, correſpondere.

Nos vero Authorum, quorum ſupra meminimus, rationibus æqua lance libratis, dubio reſpondere compellimur: Indulgentiam, quam vocant Stationis Sanctiſſimi Sacramenti, olim a Sede Apoſtolica vivæ vocis Oraculo conceſſam, nunc in ſuo robore non manere. Illud enim Pauli V. vivæ vocis Oraculum ſolido fundamento deſtituitur: 1.° quia imperceptibile eſt, Pontificem laudatum in elargiendis Indulgentiis parciſſimum (qui ut Clementis VIII. mentem aſſequeretur, omnes & ſingulas ejuſmodi gratias Regularibus conceſſas revocavit, paucis moderatiſque de novo eiſdem attributis) prodigum pene poſt hæc plures Plenarias recitationi paucarum precum adjeciſſe. Maxime quia juxta ſtilum ab eo ſervatum compertum eſt, Plenariam nunquam dediſſe, niſi media Sacramentali Confeſſione & Communione comparandam. 2.° & preſſius, quia nunquam hujus conceſſionis potuimus reperire teſtimonium authenticum, aut argumentum certum: nec ullus Scriptor hactenus cum fundamento dixit, cuinam a Paulo V. hoc vivæ vocis Oraculum factum fuerit, quo tempore, quave occaſione prodierit. Antonius a Spiritu Sancto allegat Quintanaduenam, iſte Hieronymum Rodriquez idipſum ex gravibus Authoribus referentem. At quinam ſint hi graves Authores, qui de hac Indulgentia plenam fidem faciant, nobis poſt diligens examen innoteſcere non potuit. Dum itaque ſperabamus lucem, in obſcuriori caligine coecutimus.

Hæc fortaſſe rationum momenta animadvertens Lantuſca ad antiquiora Paulo V. vivæ vocis Oracula Leonis X. & Pauli III. recurrit, illaque a Pauli V. ſupra narrata revocatione vindicare contendit. Sed lumen aſſertæ conceſſioni non addit ejus diſcurſus, viam ſatis obſcuram, ac difficultatibus magis implexam aperiens: quam tamen ex ſupradicta Conſtitutione ſedulo expenſa omnino præcludere conabimur. Utque melius res pateat, illa Lantuſcæ diſtinctio inter Indulgentiam, & Privilegium, ſatis amplum iter ſternit ad iſtam Conſtitutionem penitus eludendam; ita ut quilibet Doctor impune ſentire queat, Paulum V. hac edita Conſtitutione nihil egiſſe, nullamque omnino Indulgentiam olim perſonis Regularibus conceſſam revocaſſe. Hoc autem ſic demonſtratur. Detur aliqua Indulgentia (puta Plenaria Eccleſiæ S. Mariæ de Populo, a Leone X. Conſtitutione cujus initium eſt *Dudum*, Regularibus communicata proprias Eccleſias viſitantibus) quam ipſemet Lantuſca a Paulo V. vere revocatam eſſe arbitratur: contra iſtam quilibet cavillationibus deditus, in illa rationem Indulgentiæ a ratione privilegii deſtinguens, eam a generali Pauli V. Revocatione vindicaret. Quidnam tunc reponeret Lantuſca? Vel a ſuamet diſtinctione cogetur recedere, vel verum atque genuinum ſenſum ſuæ diſtinctionis aperire, adeoque eandem rationem afferre, quam infra nos pro veritate ſumus allaturi: dicendo ſcilicet hanc diſtinctionem in re de qua agimus, eſſe penitus diſparatam, nullumque Lantuſcæ aſſertioni patrocinium afferre. Et ſane privilegium hoc, quod a laudato Doctore prætenditur minime revocatum, vel eſt Indulgentia, vel non eſt. Si Indulgentia non eſt; verum erit, Regulares eam Indulgentiam non lucrari: cum etiam nunc ex ipſo Lantuſca Regulares Indulgentia non fruantur gaudentes illo, quod Indulgentia non eſt. Si vero eſt Indulgentia; cum Paulus V. quaſcunque Perſonarum RegulariumIndulgentias abrogaverit; hanc in ea revocatione comprehenſam eſſe negari non poteſt.

Effugium hic aliud nequit afferri, quam aſſerere, privilegium hoc Indulgentiam non eſſe, ſed ad Indulgentiam tanquam ipſius modum pertinere. Sed impugnatur 1.° omnes enim Philoſophi huic effugio ſe opponerent: qui docent, non poſſe modum alicujus rei naturaliter permanere, cum res ipſa modificata deſtruitur. Itaque ſi res modificata, quæ eſt Indul-

Indulgentia, per generalem hanc Pauli V. revocationem deſtruitur;conſequens eſt,hunc pariter modum aſſertum omnino ceſſare. 2.° huic effugio aditum præcludit hæc Pauli V. Conſtitutio:in cujus §.3. habetur,Cardinales diligenter inſpectis Ordinum Regularium Indulgentiis Summo Pontifici propoſuiſſe = *Valde expedire*; *Indulgentias ad inſtar, vel per Communicationem, aut ALIO MODO conceſſas abrogare* =Rurſus excogitatam diſtinctionem vides in §. 19. dictæ Conſtitutionis præoccupatam = *Cæterum*, inquit, *omnes & ſingulas Indulgentias quibuſcunque Ordinibus & Inſtitutis Regularibus tam hujuſmodi etiam Mendicantibus tam ... vigore PRIVILEGIORUM... quam.... hactenus conceſſas ... perpetuo revocamus &c.* = Clarius & brevius, facultas ad acquirendas aliarum Eccleſiarum Indulgentias ſub novi operis conditione(ut obſervat Paſſerinus *quæſt.* 108. *n.* 866.) eſt conceſſio Indulgentiarum ad inſtar, ſeu earundem communicatio. Porro Pauli V. mentem fuiſſe, Indulgentias etiam ad inſtar vel per communicationem Regularibus datas revocare, apertiſſime conſtat. Demus nihilominus gratis omnino Summorum Pontificum Indultum Leonis X. & Pauli III. non eſſe Indulgentiæ conceſſionem, ſed privilegium ad Indulgentiam comparandam, ac proinde a Paulo V. non revocatum:non apparet adhuc illud ſubſiſtere; cum Gregorius XV. Conſtitutione cujus initium eſt *Romanus Pontifex*, edita ſub die 2. Julii MDCXXII., & Urbanus VIII. Conſtitutione incipiente *Alias felic. recordationis* edita ſub die 20. Decembris MDCXXXI: (ut diximus 1. *par. cap.* 13. *art.* 4.) quanvis de Indulgentiis ibi non loquantur; omnia tamen & ſingula indulta, privilegia vivæ vocis Oraculo facta ex quavis etiam exprimenda cauſa, Collegiis, Capitulis Ordinibus tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus revocarunt. Sive ergo dicatur, memoratum Leonis X. & Pauli III. indultum eſſe Indulgentiæ conceſſionem, ſive privilegium; eſt apertiſſime vel a Paulo V., vel a Greg. XV. & Urbano VIII. revocatum: ac per conſequens dicendum eſt, Indulgentiam, quam vocant Stationis Sanctiſſimi Sacramenti, olim a Sede Apoſtolica conceſſam, nunc in ſuo robore non permanere.

Sed ut ad alias Regularium, & quidem certas, ac ſubſiſtentes Indulgentias revertamur, citra controverſiam recipi debet, omnes & ſingulas Moniales confeſſas, & Sacra Communione refectas conſequi Indulgentiam Plenariam, quæ poſt emiſſam profeſſionem ſacram benedictionem & veli conſecrationem recipiunt a proprio Epiſcopo, juxta formam in Pontificali Romano præſcriptam: ut habetur ex ſequenti Brevi Benedicti XIII. = *In Supremo Apoſtolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus, inſcrutabilis Dei providentiæ arcano conſtituti, cæleſtium munerum Theſauros, quorum diſpenſationem fidei noſtræ credidit Altiſſimus, libenter erogamus, cum id ad augendam Sacrarum Virginum, quæ oblitæ populum ſuum, & domum Patris ſui, divinis obſequiis ſeſe ſub ſuavi Religionis jugo manciparunt, religionem, fovendamque illorum pietatem arbitramur in Domino profuturam. Cum itaque Nos antiquiſſimam Catholicæ Eccleſiæ ad noſtra uſque tempora tranſmiſſam conſuetudinem, priſcumque Sanctorum Patrum morem ſecuti, nonnullis dilectis in Chriſto filiabus Monialibus Monaſterii Sancti Ambroſii de Urbe Ordinis S. Benedicti, Sacrum hodie velamen ac benedictionem & conſecrationem impertiti fuerimus (memores B. Marcellinam ejuſdem S. Ambroſii ſororem, ut ipſe in ſuis libris de Virginibus teſtatur, a S. Liberio Romano Pontifice Prædeceſſore noſtro, ſacrum itidem velum ſolemni ritu accepiſſe) dictiſque Monialibus Plenariam peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem conceſſerimus; cæteras quoque Moniales, quæ deinceps velamen, benedictionem, & conſecrationem ejuſmodi recipient, eodemque ſpirituali munere donare volentes, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Monialibus expreſſe profeſſis, quorumvis Monaſteriorum, in qualibet Mundi parte exiſtentium tam hactenus erectorum, quam inpoſterum erigendorum cujuſcunque Ordinis a* San-

Sancta Sede Apoſtolica approbati, quas de cætero juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, ac formam in Pontificali Romano præſcriptam, a proprio Epiſcopo ſeu Antiſtite velum ſacrum ſuſcipere, ac benedici, & conſecrari contigerit, die earum velationis, benedictionis, & conſecrationis præfatarum, ſi vere pœnitentes, & confeſſæ Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus: præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ipſarum præſentium Literarum tranſumptis ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI. Aprilis MDCCXXVIII. Pontificatus noſtri anno quarto F.Card. Oliverius.

§. V.

Indulgentiæ ad tempus limitatum Regularibus concedi conſuetæ.

EGimus hactenus de perpetuis Regularium Indulgentiis: modo breviter nonnullas hic afferemus, quarum conceſſiones ad limitatum duntaxat tempus, puta ad ſeptennium &c.juxta Apoſtolicæ Sedis ſtilum ab eiſdem Regularibus obtineri ſolent. Pro omnibus & ſingulis Monialium Monaſteriis cujuſcunque Ordinis & Inſtituti tam Monialibus, quàm exteris puellis inibi degentibus per Brevia diſtincta conceduntur ſequentes gratiæ ad Indulgentias pertinentes.

1. quatuor Indulgentiæ Plenariæ viſitantibus Cappellas intra Clauſtra exiſtentes diebus, vel in Brevibus deſignatis, vel ab Ordinario deſignandis.

2. Indulgentiæ ſeptem Eccleſiarum Urbis.

3. Indulgentiæ pro Novena Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

4. Indulgentiæ ſeptem Altarium.

5. Indulgentiæ Feriarum ſextarum menſis Martii juxta dicta *cap.* 1. *hujus ſecundæ partis artic.* 3. §. 3.

6. Indulgentiæ Scalæ Sanctæ.

7. Indulgentia in Articulo mortis.

8. Indultum Altaris Privilegiati pro anima cujuſque ex Monialibus, earumque Conſanguineis & affinibus primi & ſecundi gradus, ac pro Benefactoribus Monaſterii.

Quod ſi Monialium Monaſteria perfectam Clauſuram non ſervent; prædicta Brevia minime conceduntur: ideoque non raro audivimus in Sacra Congregatione Indulgentiarum &c. Oblatarum preces pro hujuſmodi Indulgentiis obtinendis fuiſſe rejectas.

Alia inſuper conceduntur Indulgentiarum Brevia, vel particulari Religioni vel Provinciæ, vel Monaſterio ſive Virorum, ſive Mulierum pro quibuſdam piorum operum exercitationibus (ſi eadem Sacra Congregatio id expedire judicaverit) & potiſſimum Orationi mentali vacantibus. Subjicimus hic hujus conceſſionis formulam: *Ad ea, per quæ animarum Chriſtifidelium ſalus procuratur libenter intendimus, & eorundem Chriſtifidelium devotionem, ut Spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, cœleſtium munerum elargitione fovemus, & incitamus. Itaque de omnipotentis Dei miſericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus & ſingulis Fratribus N., qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies: qui per duos quadrantes continuatos, ſeptem annos de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Iis vero, qui devotioni hujuſmodi per duos quadrantes continuatos, vel ſaltem per quadrantem horæ ſingulis diebus per totum menſem dabunt operam, & vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ*

riſtiæ Sacramentum ſumſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Plenariam ſemel quolibet menſe omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem: quam etiam animabus Chriſtifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicare poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium miſericorditer in Domino concedimus. In contrarium &c. Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem &c.

§. VI.

Nonnulla ſcitu digna circa Communicationem Indulgentiarum inter Ordines Regulares.

AD declarandum affectum quo Sedes Apoſtolica Ordines Regulares Mendicantes æqualiter complectebatur, ſequentem edidit Conſtitutionem Leo: X., cujus vigore dicti Ordines tam in Indulgentiis, quam in Privilegiis, aliiſque gratiis ſpiritualibus eorum perſonis vel Eccleſiis conceſſis & in poſterum concedendis &c. communicarent, atque etiam Indulgentiis Eccleſiæ S. Mariæ de Populo gauderent = *Dudum per nos accepto, quod Romani Pontifices prædeceſſores Noſtri, aliqui ad Minorum, alii vero ad Eremitarum S. Auguſtini, alii ad B. Mariæ de Monte Carmelo, reliqui ad Prædicatorum Ordinum Fratres, & domos, juxta ipſorum vota devotionis affectum gerentes, illorum ſingulis nonnullas gratias, conceſſiones, Indulgentias, peccatorum remiſſiones, prærogativas, favores, immunitates, exemtiones, facultates, privilegia, indulta, ac donatam ſpiritualia, quam temporalia, per diverſas ipſorum literas reſpective conceſſerunt;* (§.1.) *Nos ad ſingulos Ordines ſingulaſque ipſorum Ordinum domos, ubi religioſe vivitur, indifferenter abſque acceptione perſonarum devotionis affectum æqua lance gerentes, omnes, & ſingulas gratias, conceſſiones, Indulgentias, peccatorum remiſſiones, prærogativas, favores, immunitates, exemtiones, facultates, privilegia, indulta tam ſpiritualia, quam temporalia, qualiacunque illa eſſent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, Servorum B. Mariæ, ac Minorum Fratrum, in domibus, & illorum Eccleſiis, Oratoriis, ac Eccleſias ipſas, & Oratoria pro sempore viſitantibus cujuſcunque ſtatus aut ſexus exiſterent, ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & Præſidentibus, non ſolum Generalibus, & Provincialibus, Fratribuſque, & Sororibus, necnon Monialibus, & Converſis, Oblatis, ac utriuſque ſexus perſonis, de pœnitentia, ſeu tertii habitus nuncupatis, a dictis prædeceſſoribus, aut a Nobis, ipſiſque ſucceſſoribus, aut alias auctoritatem habentibus conjunctim, vel diviſim, in genere, vel in ſpecie conceſſa fuerunt, vel inpoſterum concedentur, illa, & omnia ſingula, ac ſi nominanter exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis tunc habentes, ſingulis Ordinibus prædictis, illorumque ſingulis Eccleſiis, Oratoriis, & Eccleſias, ac Oratoria viſitantibus cujuſcunque ſtatus, aut ſexus exiſterent, ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus: nec non domibus & conventualibus Fratribus, & etiam Sororibus, vel Monialibus, Converſis quoque & Oblatis, ac utriuſque ſexus perſonis de pœnitentia nuncupatis, & aliis ſingulorum Ordinum prædictorum, motu proprio, & ex mera Noſtra ſcientia, & liberalitate, de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine communicavimus. Illaque omnia & ſingula inter dictorum Ordinum perſonas, pariformiter, communia fuiſſe, & eſſe volumus, prout in ſingulis literis prædictis plenius continetur.* (§.2.) *Et deinde, ſicut accepimus, nonnulli Fratres dictorum Ordinum, volentes ſapere pluſquam oportet, atque ad ipſorum nutum verba ipſa interpretantes, diverſi tam ſæcularibus, quam*

etiam aliis perſonis, publice & privatè ſuggeſſerint, quod ipſi ſæculares viſitando unam dictorum Ordinum domum, omnes, & ſingulas Indulgentias, & remiſſiones peccatorum tam per dictosPrædeceſſores noſtros, quam per Nos domui B. M. de Populo de Urbe conceſſas, conſequi poterunt, perinde ac ſi dictam domum S. Mariæ de Populo viſitarent, quod præter ipſorum prædeceſſorum & Noſtram mentem fuiſſe, & eſſe dignoſcitur. (§. 3.) *Attendentes igitur, quod Indulgentia intuitu Religionis conceſſa ad ſæculares extendi non debet, volentes mentem dictorum Prædeceſſorum, & Noſtram declarare, & omnem ambiguitatem, & occaſionem tollere, motu proprio, & ex certa Noſtra ſcientia volumus, & auctoritate Apoſtolica declaramus, quod univerſi, & ſinguli dictorum Ordinum Fratres, & Moniales, Tertiique Ordinis utriuſque ſexus, & familiares duntaxat omnibus & ſingulis Indulgentiis, & gratiis per eoſdem prædeceſſores, & Nos, domui B. Mariæ de Populo de Urbe, ut præfertur, conceſſis, & concedendis, utantur, potiantur, & gaudeant, ac uti, potiri & gaudere poſſint quomodolibet in futurum, perinde ac ſi ipſi dictam domum Beatæ Mariæ de Populo, his diebus & feſtivitatibus, quibus Indulgentiæ hujuſmodi conceſſæ fore dignoſcuntur, perſonaliter viſitarent: quodque vigore prædictarum Literarum, ſæculares gratiis & Indulgentiis hujuſmodi uti, & gaudere non poſſunt.* (§. 4.) *Inhibentes nihilominus in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo per contrafacientes incurrenda, omnibus, & ſingulis Fratribus cujuſcunque Ordinis exiſtentibus, & quibuslibet aliis perſonis, ne deinceps Indulgentias, & gratias hujuſmodi S. Mariæ de Populo de Urbe, ad ſæculares extendi prædicent, aut publice, vel privatè nuntient.* (§. 5.) *Non obſtantibus præmiſſis, aut quibuſvis aliis literis Apoſtolicis, privilegiis quoque, & indultis dictis Ordinibus conceſſis: quæ quoad præmiſſa revocamus, caſſamus, & annullamus, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque.* (§.6.) *Volumus autem, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod præſentibus tranſumptis, manu Notarii publici ſignatis, & alicujus Prælati, aut perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ ſigillo munitis, ea fides prorſus in Judcio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ſi præſentes Literæ eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 10. Decemb. MDXIX. Pontific. noſtris an. 7.* Quæ generalis a Leone X. facta communicatio, quanquam olim locum habuerit in omnibus Localibus, atque Perſonalibus Indulgentiis; tamen poſt Conſtitutionem Pauli V. vigorem obtinet duntaxat in antiquis Localibus, & in Indulgentiis, quæ Regularibus fuerant conceſſæ; ut ſolis defunctis applicari poſſent: juxta dicta §. 2. hujus articuli, & poſt Paulum V. in conceſſis & concedendis tam localibus, quam perſonalibus.

Quæres 1.° An generalis communicatio Indulgentiarum, quæ inter Ordines Mendicantes viget, detur pariter inter iſtos, & quoſcunque alios Ordines Regulares non Mendicantes?

Reſpondemus affirmative. Ita ſentiunt omnes Doctores, & eruitur ex Bullis privilegiorum, Indulgentiarum, & aliarum gratiarum cujuslibet Ordinis Regularis: & profecto æquitati maxime conſentaneum eſt, ut diverſi Ordines quantum ad Inſtitutum ſicut uni Deo ſub eadem Divini cultus, & Evangelicæ perfectionis profeſſione famulantur; ita in iiſdem ſpiritualibus favoribus conveniant: ut ſic uniti, arctiori vinculo Sedi Apoſtolicæ, & inter ſe, ad Divini Nominis gloriam propagandam, atque ad animarum ſalutem curandam, facilius copulentur. Sixtus IV. in Mari Magno O. E. S. Aug. *propterea fuerint variis per S. A. præd. privilegiis decorati: ut quos parlabor, parlaque merita conjungant, paria conjungant privilegia, & favores.*

Quæres 2.° An ex vi communicationis generalis Leonis X., aliorumque Pontificum, Indulgentiæ uni Provinciæ, vel uni Eccleſiæ particulari, vel ſingularibus perſonis unius Ordinis Regularis conceſſæ, cenſeantur cæteris Provinciis, Eccleſiis, & ſingularibus perſonis aliorumSendinum Regularium convenire?

Or-

Sententiam affirmativam ſuadet tenor conceſſionis mox relatæ Leonis X., aliorumque Pontificum: qua omnes,& ſingulæ Indulgentiæ in genere, & in ſpecie tam conjunctim, quam diviſim ſingulis Mendicantibus Ordinibus, eorumque perſonis conceſſæ extenduntur his adjectis clauſulis: *Motu proprio: certa ſcientia*: *De plenitudine poteſtatis*: Apertiſſime pariter ſuffragatur dictæ ſententiæ declaratio Innocentii XII., quæ habetur in Brevi edito 17. Cal. Januarii MDCXCV. allegato in Rubrica Breviarii Ordinis Minorum S. Franciſci, ibi = *A qua communicatione Indulgentiarum, prout iteratis vicibus a Sede Apoſtolica extitit declaratum, reſultare dignoſcitur, quod quando decoratum reperitur Altare unius loci, vel una Eccleſia, aut una Confraternitas, ſeu quævis Congregatio, Ordove, aliqua Indulgentia ſive Plenaria, ſive applicabili per modum ſuffragii, ſive non applicabili pro Animabus Purgatorii, ad favorem earundem perſonarum tantum, aut omnium ſimul Chriſtifidelium conceſſa, minime tamen revocata, qui in eo loco, Altari, vel Eccleſia Confraternitatum in diebus in conceſſione expreſſis perfecerint, quod per eandem conceſſionem fuerit præſcriptum; in omni loco, Altari vel Eccleſia Confraternitatum, Congregationum, Ordinum, & perſonarum præfatarum, eadem Indulgentia ab omnibus reſpective acquiratur, qui iiſdem diebus eaſdem ibi emiſerint diligentias in conceſſione taxatas.*

Hanc ſententiam recipimus, cum aliqua tamen limitatione. Pro certo ſiquidem exiſtimamus Indulgentias Provinciæ, Eccleſiæ, aut particularibus perſonis conceſſas competere per communicationem omnibus Eccleſiis, Provinciis, particularibus perſonis non prout ſunt perſonæ particulares in ſeipſis ut particularibus, ſed ut ſunt partes alicujus Congregationis tam ejuſdem, quam aliarum Religionum, & concurrente eadem, vel ſimili ratione: atque hoc modo intelligi tam Conſtitutionem Leonis X., aliorumque Pontificum, quam Breue Innocentii XII. Cæterum ſentiendum eſt, Summos Pontifices ea, quæ conceſſerunt alicujus Religionis &c. perſonis ob expreſſas rationes, & circumſtantias particulares; noluiſſe extendere ad alterius Religionis &c. perſonas, in quibus eædem expreſſæ rationes, & circumſtantiæ particulares non concurrunt. Ubi enim nullum eſt fundamentum, & motivum communicationis, communicatio eſſe non poteſt. Quis itaque ſibi ſuadere prudenter poteſt Indulgentiam conceſſam intuitu alicujus ſpecialis circumſtantiæ, quæ unius loci, aut Ordinis Regularis tantum propria ſit; aliis etiam locis, & Ordinibus Regularibus, in quibus ea non militant argumenta, ex vi generalis communicationis convenire? Hoc advertendum eſt in caſu Indulgentiæ alicui Religioni conceſſæ ob ſpecialem cultum in ea ſacræ Imagini exhibitum: qualis eſt Imago B. V. Mariæ de Pace apud Canonicos Regulares Lateranenſes vel ob præclaram memoriam, atque alicujus myſterii venerationem, ut eſt apud Patres Ordinis Minorum S. Franciſci immaculatæ Conceptionis Deiparæ ſolemnis celebratio: vel ob particulare aliquod virtutis exercitium Ordini Regulari ex proprio inſtituto conveniens: ut eſt viſitatio, & ægrorum confortatio in Religione Clericorum Regularium Miniſtrantium infirmis. Idem dicendum eſt de Indulgentiis, quæ alicui particulari Conventui, Religioni, aut Eccleſiæ per Brevia particularia præcedente Decreto, vel examine alicujus Sac. Congregat. conceduntur, quia ejuſmodi gratiæ recenſentur inter eas, quæ raro, & cum difficultate conceduntur, ac ſapiunt naturam gratiarum ſingularium, in quibus locum non habet generalis communicatio.

Hinc propoſitis ſequentibus dubiis in Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum. 1. *An Moniales S. Roſaliæ Civitatis Panormitanæ gaudeant ſingulis Indulgentiis Eccleſiæ S. Suſannæ Urbis a Sixto V. conceſſis?* 2. *An Summarium Indulgentiarum ab Oratricibus imprimi poſſit, in quo etiam conceſſæ Eccleſiæ S. Suſannæ contineantur?* Sub die 25. Aprilis MDCCXXXV. ab eadem Congregatione ad utrunque reſponſum eſt: *Negative*.

Et ſane Moniales Sacræ Congregationi exhibuerant Breve Urbani VIII. editum favore ipſarum Idibus Septembris MDCXXIV., quo innuebatur conceſſio communicationis non tantum in Indulgentiis

tiis Perſonalibus,ac Localibus,conceſſis Eccleſiis Ordinis S.Benedicti in genere, ejuſque Congregationibus in ſpecie; verum etiam in ſingulis aliis, quæ alicui Eccleſiæ dicti Ordinis S.Benedicti conceſſæ reperiebantur. Verba Brevis ſunt=*Nos enim Eccleſiæ S.Roſaliæ, illiuſque Abbatiſſæ, & Conventui, aliiſque illius Miniſtris & Perſonis in eo pro tempore exiſtentibus, & Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam pro tempore viſitantibus, & omnibus & ſingulis Privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemtionibus, prærogativis univerſis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibuſvis Ordinis S.Benedicti Monaſteriis, & Eccleſiis, illorum Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, Superioriſſis, Monialibus, & Perſonis in genere, vel in ſpecie, aut alias quomodolibet conceſſis, & concedendis, ac quibus illa, & illæ de jure, uſu, & privilegio, aut alias quomodolibet in futurum, non ſolum ad illorum inſtar, ſed pariformiter, & æque principaliter, ac ſine ulla prorſus differentia, juxta tamen Decretum, & Declarationem Noſtram ſuper communicatione privilegiorum reſpective editum, & non aliter, & quatenus illa ſint in uſu, & non revocata, nec ſub aliqua revocatione comprehenſa, Sacriſque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinis S. Benedicti Regularibus Inſtitutis non repugnent; uti, frui, potiri & gaudere libere, ac licite valeant, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi illa ipſi Monaſterio conceſſa fuiſſent.*= Verum ex illis verbis ſolum colligitur Urbanum VIII. voluiſſe eas Indulgentias Monialibus S.Roſaliæ communicare, quas antea dederat Sedes Apoſtolica toti Ordini S.Benedicti in genere, vel in ſpecie dicti Ordinis Congregationibus, eiſdemque inpoſterum erat collatura: ſub quibus profecto nequeunt Indulgentiæ Eccleſiæ S. Suſannæ Urbis contineri: alias eædem ad ſingulas Eccleſias Ordinis S.Benedicti extenderentur: Quamobrem ponderarunt Eminentiſſimi Patres Indulgentiarum conceſſionem factam pro Eccleſia Monialium Sanctæ Suſannæ Urbis a Sixto V. eſſe ſpecialiſſimam, intuitu ſcilicet translationis earundem Monialium ab Eccleſia S. Bernardi, quæ pluribus Indulgentiis decorabatur, ad Eccleſiam S. Suſannæ, adeoque in ea generali communicatione Urbani VIII. non eſſe comprehenſam: juxta textum in *c. eum Cappella de privil.*

ARTICULUS II.

De Indulgentiis Confraternitatum.

INdulgentiis Regularium expeditis, non immerito Indulgentias Confraternitatum ſubnectimus. Confraternitates ſiquidem, utpote ſpecialia devotionis opera exercentes, ſicut a mundano laicorum otio recedunt; ita ad Religioſorum ſpiritualem exercitationem appropinquant. Præmiſſis itaque aliquibus, quæ ad eſſentiam, & inſtitutionem Confraternitatum pertinent; ipſas Confraternitatum Indulgentias ex operis inſtituto accurate perpendemus.

§. I.

Prænotio neceſſaria pro Indulgentiis Confraternitatum.

COnfraternitates, quæ conjunctionem in fraternitate ſonant, ſicut conſanguinitas conjunctionem in ſanguine, & compaternitas in paternitate, Fidelium ſunt Congregationes in unum quandoque convenientium ad quædam pietatis officia obeunda Eccleſiaſtica authoritate inſtitutæ: & ideo Eccleſiaſticæ ac Religioſæ dicuntur. Quamobrem Societates ſæcularibus negotiis ac commerciis duntaxat addictæ inter Confraternitates, de quibus agimus, numerari non debent: ſimiliter fidelium cœtus a Laicis quacunque dignitate fulgentibus ordinati ad pietatis opera exercenda poſſunt quidem piæ Congregationes vocari (ut obſervat Barboſa *de Offic. Epiſ. allegat.* 57.) ſecus vero Confraternitates, quæ Eccleſiaſticæ & Religioſæ ſunt: ad inducendum enim in Societatibus has qualitates nihil præſtant aut præſtare valent ſæculares, ſed Epiſcopalis authoritas neceſſaria eſt *cap. de Xenodochiis, de relig. domib.* Quamobrem defectu Epiſcopalis authoritatis in-

inſtituentis dici non poſſunt Confraternitates, in ſenſu fuſe explicando per totum hunc articulum, aliæ locorum Societates, quæ ad Regularium Oratoria diebus ſtatutis conveniunt, vel ut flagellis ſe cædant, vel ut Officii parvi B. V. Mariæ penſum ſimul perſolvant, vel ut devote incruento Miſſæ interſint Sacrificio: quemadmodum moris eſt, ubi ſunt ſcholæ puerorum, ut ſicut ferialibus diebus humanis literis imbuuntur, ita in pietate & religione diebus feſtivis erudiantur. Ex quo colliges Confraternitates fori Eccleſiaſtici privilegio gaudere, nec poſſe niſi coram Judice Eccleſiaſtico in iis, quæ earum jura & bona concernunt conveniri: neque earum bona ſine ſolemnitatibus a jure requiſitis alienari. Et licet perſonæ in Confraternitatum albo canonice deſcriptæ multoties a foro laicali non eximantur uti ſingulæ; tamen ſi propria veſte Confraternitatis indutæ gregatim & proceſſionaliter incedant; non poſſunt tunc temporis a Judicibus Laicis vexari, nec capi, neque in carceres detrudi: quia durante ea functione, gaudent fori privilegio, & immunitate. Et quidem anno MDCCIII. (ut refert Joannes Baptiſta Baſſi Epiſcopus Anagninus *Tract. de Sodalitiis quæſt.* 8. *n.* 3.) revertentibus Confraternitatibus loci Offaneæ Auximanæ Diœceſis a viſitatione Almæ Domus Lauretanæ, ac per Civitatem Auximanam tranſeuntibus; captus fuit pro aſſerto forſan levi delicto unus ex Confratribus Sacco indutus, atque ad carceres ſecretos Curiæ Laicalis adductus. Reclamarunt interim apud Vicarium Apoſtolicum Auximanum dicti loci Plebanus, atque Confraternitatum Officiales: ſtatimque ſumtis ſummariis informationibus ſuper captura Confratris, aliiſque circumſtantiis, ac præcipue ſuper ſcandalo populo illato; volebat Vicarius Apoſtolicus ad cenſuras procedere: ſed Gubernator loci quamvis earum timore correptus reum mandaverit relaxari; nihilominus poſtea de his conqueſtus eſt apud Sacram Conſultam, a qua remiſſa inſtantia ad Sacram Congregationem Epiſcoporum & Regularium, nihil potuit obtinere. Et merito: reus enim durante ea functione immunitatis Eccleſiaſticæ privilegio fruebatur: ut tradunt Nicolius *Lucubrat: civil. lib.* 1. *c.* 8. *de immunit. Eccleſ. n.* 35. *verſic. Amplia.* Monacellus *for. natar. p.* 1. *tit.* 5. *adnot. ad formul.* 9. *n.* 33.

Viſum eſt nonnullis Scriptoribus Confraternitates exordium non habuiſſe ante quam Ordines Regulares Mendicantes in lucem prodierint: cum de iis mentio fiat in Concilio Lateranenſi III generali XI. celebrato anno MCLXXIX., ubi habetur: exemtos Confratres, ſeu ipſorum oblatos non totaliter ad Ordines Regulares tranſlatos, poſſe a locorum Ordinariis judicari: & in Concilio Lateranenſi IV. generali XII. celebrato anno MCCXV. conceditur Regularibus privilegium, ut durante Interdicti tempore Confratres ſuos ſepeliant. Cæterum id nequaquam intelligendum eſt de Confratribus, de quibus hic agimus, ſed de perſonis ita manentibus in ſæculo, ut mutato habitu ſeſe Ordinibus Regularibus obtuliſſent: ut refertur in *cap. ut privilegia de privileg.* = *Hoc autem de illis Confratribus intelligimus, vel qui adhuc manentes in ſæculo eorum Ordini ſunt oblati, immutato habitu ſæculari: vel eis, qui bona ſua dederant inter vivos retento ſibi (quandiu in hoc ſæculo vixerint) uſufructu: qui tamen ſepeliantur apud ipſorum Regularium, vel aliorum non interdictas Eccleſias, in quibus elegerint ſepulturam &c.* = Et ideo alii Scriptores fatentur Ordinibus Regularibus inſtitutis erectas fuiſſe Confraternitates: ita tamen ut earum primam poſt medium Sæculi XIII. erectam, Confalonis nuncupatam, D. Bonaventuræ S. R. E. Cardinali, & Epiſcopo Albanenſi adſcribant. *Illud peculiare Bonaventuræ tribuunt* (inquit Ciacconius *t.* 2. *in vit. Greg. X.*) *ut primus inſtituerit e Laicis Sodalitates, qui ad opera pia convenirent, ac preces certas quotidie recitarent. Initium vero hujuſce Inſtituti Sanctiſſimi Romæ factum in ſodalitate ſeu Archiconfraternitate Confalonis circa annum prope milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum, cujus exemplo innumeræ in Orbe Chriſtiano formatæ ſodalitates, quarum inſtitutis omnia pietatis munera comprehenduntur.*

Nemini dubium eſt, quin S. Bonaventura duodecim viris nobilibus adſcitis, qui fidelium redemtioni e Saracenorum captivita-

vitate vacarent, Sodalitatem *Commendatorum S. Mariæ* poſtea *Confalonis* nuncupatam inſtituerit, eiſdemque inſigne præferendum contulerit, Crucem ſcilicet bicolorem in ſcapula dextera albo & rubro colore diſtinctam: ac certas leges ab eiſdem obſervandas præſcripſerit a Clemente IV. anno MCCLXVII. approbatas. At ſi hanc rem attentius, ut par eſt, exquiramus; Confraternitatum inſtitutionem ſupra Divi Bonaventuræ ætatem referre cogimur. Celebris eſt inter cæteras ea, quæ Toloſæ, cum ibi Albigenſium hæreſis impie graſſaretur, authore S. Dominico Ordinis Prædicatorum erecta reperitur anno MCCXI. de qua inquit Gulielmus de Podio Laurentii, in *Fulcone Ep. cap. 15.* = *Juvante Legato obtinuit Toloſæ magnam fieri Confratriam* = cui aliam quoſdam nefarios viros Albigenſium erroribus infectos oppoſuiſſe, velut alterum Idolum abominationis, ſubdit = *In Burgo adverſus iſtam fecerunt alteram Confratriam, vallatam vinculo juramenti: tamque proceſſum erat, quod iſta diceretur candida, alia nigra* = In Concilio apud Montem peſſulanum coacto anno MCCXV. menſe Januario a Petro Beneventano S. R. E. Cardinali Sedis Apoſtolicæ Legato, pro Canonica Confraternitatum inſtitutione ſancitum invenies *can. 45.* = *Non fiant de cætero Confratriæ, niſi accedente Epiſcoporum authoritate* = Antiquiora iis, quæ hactenus relata ſunt, Confraternitatum erectarum monumenta habentur apud eruditiſſimum Cangium, qui Confraternitatem quandam erectam tradit ex Martyrologio Corbejenſi anno MCXXXVII. Indictione quinta: ac ſubjicit formulam admiſſionis in ejuſmodi pios cœtus ex *Carthul. Campan. Biblioth. Thuanen fol. 299.* ſpectantem ad annum MCCV. Quin imo ſi res altius inveſtigetur, Sæculo nono reperies ſodalitia Fidelium, qui inter ſe ultro citroque ad charitatis erga Deum & proximum officia excitarent, in certo pio loco convenientes. Hincmarus, qui anno DCCCXLV. Rhemenſis Archiepiſcopus fuit ordinatus *tom. 1.* ad ſuæ Parochiæ Presbyteros ſcripſit Capitula: inter quæ eſt XVI. in ordine ſub titulo *de Confratriis, earumque Conventibus*, ubi certas delineavit pro Confraternitatibus leges, quæ eximiam redolent pietatem: videlicet eos debere confœderari, atque ad religionis officia convenire piis inſtitutis oblationibus ad aram, eleemoſynis, precibus, & ſacrificiis ad defunctorum ſuffragium oblatis: conviviis omnibus penitus ac voluptatibus interdictis, quod hinc crapulæ, illinc cædes ad animarum perniciem proficiſcerentur: & ſi quando neceſſitas exigeret, ut Confratres omnes in unum colligerentur; monitis ſalutaribus tunc temporis per colloquia opportuna inſtructionem reciperent = *In omnibus obſequio*, inquit, *Religionis conjungantur, videlicet in oblatione, in luminaribus, in oblationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemoſynis & cæteris pietatis officiis. Ita ut qui candelam offerre voluerit, ſive ſpecialiter, ſive generaliter, aut ante Miſſam, aut inter Miſſam, antequam Evangelium legatur, ad altare deferatur. Oblationem autem, unam tantummodo oblatam & offertorium pro ſe ſuiſque omnibus conjunctis, & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit; in bulticula, vel canna, aut plures oblatas, aut ante Miſſam, aut poſt Miſſam Presbytero, vel miniſtro illius tribuat: unde populus in eleemoſyna & benedictione illius eulogias accipiat, vel Presbyter ſupplementum aliquod habeat..... Conventus autem talium Confratrum, ſi neceſſe fuerit, ut ſimul conveniant*: ne conveniant niſi præſente Parocho, qui pro illos colloquio ad Religionis & charitatis ſtudium accendat, eulogias impertiat, pane ſolo reficiat, & ſemel potos dimittat; *Qui voluerint eulogias a Presbytero accipiant, & panem tantum frangentes, ſinguli ſingulos biberes accipiant*. = Ex citato Tabulario Flaviniacenſi chartam refert Cangius alterius Societatis initæ anno DCCCXCIV.

Facultas erigendi Confraternitates de jure ordinario competit Epiſcopis in locis eorum juriſdictioni ſubjectis: ut in *cap. de Xenodochiis*, & in *Cap. ad hæc de Relig. domibus* notant Doctores citati a Gonzalez *ad regul. 8. Cancellar.* Ita tamen ut ſi in Eccleſia Cathedrali earum inſtitutio fiat; requiratur Capituli conſenſus: ut cenſuit Sacra Congregatio particularis in Alben. Sacrorum Rituum ſub die

die 19. Septembris MDCCX. cujus meminit Scarfantonius *ad elucubrat. canon. Ceccoper. tom. 2. lib. 4. tit. 12. animadverſ. num.* 5. Item eadem facultas ex Sedis Apoſtolicæ privilegio nonnullis Ordinibus Regularibus, ſeu eorundem Superioribus convenit : qui etiam poſſunt canonice erectis privilegia, gratias ſpirituales, & Indulgentias communicare .

Cum diximus Epiſcopos habere facultatem erigendi Confraternitates in locis eorum juriſdictioni ſubjectis ; hoc non ita velim intelligas, ut queant eas erigere, quarum inſtitutio ſpectat ad Ordines Regulares , illiſque Indulgentias communicare : hæc enim facultas competit dumtaxat Superioribus Regularibus privative quoad omnes alios. Ita de Confraternitate Sanctiſſimi Roſarii habetur ex Conſtitutione S. Pii V. incipiente: *Deſiderabilia* : edita ſub die 29. Junii MDLXIX., ibi = *Authoritate Apoſtolica per præſentes ſtatuimus, quod nulli liceitum exiſtat, minuſque aliquis Cappellam Sanctiſſimi Roſarii in quavis Ecclesia, ſive loco erigere poſſit, preter dictum Generalem Ordinis Prædicatorum, aut ab eo deputatum, ac prædictum Ambroſium &c.* = Et ideo cum hujuſmodi ſocietas Mediolani authoritate Ordinarii fuiſſet erecta; Sacra Rituum Congregatio eam nulliter inſtitutam fuiſſe declaravit ſequenti Decreto = *Juribus hinc inde deductis mature diſcuſſis, S. Rituum Congregatio ad relationem Eminentiſſimi Cardinalis Aſtalli cenſuit Confraternitatem Sanctiſſimi Roſarii auctoritate Ordinaria erectam in Collegiata Sancti Laurentii Majoris Civitatis Mediolanenſis omnino erigi debere a Generali Ordinis Prædicatorum. Die 9. Aprilis MDCLXI. J. Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Sacchettus. Franciſcus Phœbeus Secretarius.*

De Confraternitate Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, extat alia declaratio ex authoritate Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium, edita ab Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali Joſepho Sacripante totius Ordinis Carmelitarum Protectore ſub die 8. Novembris MDCCI. & confirmata ſequenti Brevi Clementis XI. = *Alias pro parte dilecti Filii moderni Procuratoris Generalis Congregationis Hiſpaniæ Fratrum Excalceatorum nuncupatorum Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſito: Quod non ita pridem nonnulli dictæ Congregationis Hiſpaniæ Fratres in Peruviam Conventum Congregationis hujuſmodi ibi fundaturi profecti eſſent, Scapularia ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Chriſtifidelibus illarum partium abſque legitima ad id facultate, ſeu authoritate diſtributa fuiſſe, & adhuc diſtribui compererant. Et cum neceſſarium eſſet, ut illa recipientes ad conſequendas Indulgentias & gratias ſpirituales ea geſtantibus, & quædam præſcripta opera pia peragentibus a S. A. conceſſas alicui ex Confraternitatibus Scapularis hujuſmodi adſcriberentur: hæcque adſcriptio nonniſi a Prioribus Conventuum Fratrum Carmelitarum ſive Calceatorum, ſive Excalceatorum, aut ab eis, qui facultatem a Superioribus Generalibus, vel Provincialibus, ſi ad id delegatam haberent, fieri valeret; in dictis vero partibus nullus reperiretur, nec unquam fuiſſet fundatus Conventus prædictorum Fratrum Calceatorum, neque dicti Fratres Excalceati ullam facultatem hujuſmodi cuiquam legaſſent; præſumendum erat, dicta ſcapularia forſan ab aliquo ſubfigmento attributæ ſibi facultatis turpis lucri gratia diſtributa, & minime benedicta fuiſſe. Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod per hujuſmodi diſtributionis abuſum pietas dictorum Chriſtifidelium eludebatur, ac facultati dictis Fratribus Carmelitis ſpecialiter competenti adſcribendi ipſos Chriſtifideles Confraternitatibus præfatis, eiſque dicta Scapularia diſtribuendi, præjudicabatur; Ideoque pro parte dicti Procuratoris Generalis etiam ſupradictæ Congregationis Hiſpaniæ nomine, præfatæ Congregationi Cardinalium ſupplicato, ut quo abuſui, & ex eo emergentibus inconvenientibus hujuſmodi occurreretur, declarare dignaretur: Indulgentias, & gratias ſpirituales*

præ-

præfatas illis tantum ſuffragari, qui a dictis Prioribus, aut ab aliis, quibus neceſſaria, & opportuna ad id facultas a memoratis Superioribus Generalibus, & Provincialibus attributa eſſet, prædicta Scapularia ab illis benedicta recepiſſent, & inpoſterum receptari eſſent; eadem Congregatio Cardinalium per ſuum Decretum die 12. Auguſti anni proxime præteriti emanatum, attenta relatione dilecti Filii noſtri Joſephi dictæ S. R. E. Cardinalis Sacripantis nuncupati, Ordinis præfati apud Nos, & dictam Sedem Protectoris ſibi ſuper præmiſſis facta, eidem Joſepho Cardinali, & Protectori benigne commiſit, ut veris exiſtentibus narratis, circa dicti Procuratoris Generalis præces id ſtatueret quod pro ſuo arbitrio & prudentia expedire cenſuiſſet; unde ipſe Joſephus Cardinalis, & Protector Decretum edidit, tenoris qui ſequitur, videlicet = Joſephus Tit S. Mariæ Tranſpontinæ Presbyter Cardinalis Sacripantes totius Ordinis Carmelitarum apud Sanctam Sedem Protector. Inhærentes arbitrio per Sacram Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitam Nobis, ut præfertur, benigne impertito, cenſemus eſſe injungendum ſeu declarandum, prout tenoris præſentis authoritate Nobis ſupra delegata, injungimus, & declaramus: Confraternitates nuncupatas Sanctæ Mariæ Montis Carmeli inſtituendas, ſeu erigendas eſſe a Superioribus Generalibus Ordinis Carmelitarum tam Calceatorum, quam Excalceatorum: ab aliis autem quam a prædictis inſtitutas & erectas, non fuiſſe, nec eſſe, ſeu fore legitimas, neque in illis acquiri Indulgentias, ſeu gratias ſpirituales hujuſmodi Confraternitatibus conceſſas. Admiſſos inſuper ad aliquam canonice erectam Confraternitatem hujuſmodi, teneri prima vice recipere habitum, ſeu Scapulare benedictum a Superioribus Religionis, vel ab alio Sacerdote, cui dicta benedicendi facultas fuerit attributa, ac per hujuſmodi admiſſionem cum aliquibus piis operibus Indulgentias a Summis Pontificibus conceſſas acquirere: aliter autem admiſſos, ſeu admittendos, ſeu Scapularia aliàs quam, ut ſupra dicitur, pro prima vice benedicta ſeu diſtributa, ac benedicenda, ſeu diſtribuenda recipientes, ſeu recepturos, Indulgentiarum, & gratiarum ſpiritualium non fuiſſe, nec eſſe, ſeu fore participes, ſalvâ tamen ſemper authoritate Apoſtolica circa erectiones & indulta Indulgentiarum, & gratiarum ſpiritualium, ſi quæ fuerint a Sancta Sede facta, & conceſſa, ſeu in poſterum fient, & reſpective concedentur. Datum in Dataria Apoſtolica ex Ædibus noſtræ habitationis, hac die 8. Septembris 1701. Joſeph Cardinalis Sacripantes Protector. Loco ✠ Sigilli. = Cum autem, ſicut dictus Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat & ſervetur exactius, Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret; Nos ipſius Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum a memorato Joſepho Cardinali, & Protectore editum, ut præfertur, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes, eaſdem præſentes Literas ſemper firmas validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, ac pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit

at-

attentari. Non obſtantibus præmiſſis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, quibuſvis, etiam juramento &c. innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris. Die 24.Novemb.MDCCII.Pontific.noſtri an. II. Inſuper cum Epiſcopus Terulenſis propter Monaſterium Monialium Carmelitarum Excalceatarum ſuæ juriſdictioni ſubjectum, ſæculares Confraternitati B.V.M. de Monte Carmelo adſcribere, parvos habitus, ſeu Scapularia juxta morem Fratrum prædicti Ordinis benedicere, eiſque facultatem applicandi conſuetas Indulgentias ſibi competere exiſtimaret; propoſitis ejuſdem precibus in Sacra Congregatione Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum, ut in eadem quaſi poſſeſſione, & longæva conſuetudine detineretur, atque prædictæ facultatis competentia ſibi adjudicaretur; eadem Sacra Congregatio ſub die 22. Maii anno MDCCXXXIX. decrevit & declaravit = *Nonſpectare, nec ſpectaſſe ad Epiſcopum facultatem benedicendi parvos habitus cum annexis Indulgentiis, non obſtante quacunque conſuetudine: & aggregati recurrant ad Superiores Ordinis pro nova aggregatione.*

Quanquam vero locorum Ordinarii nequeant eas Confraternitates erigere, quarum inſtitutio ſpectat ex privilegio Sedis Apoſtolicæ ad Ordinum Regularium Superiores, neque illis fideles aggregare pro comparandis Indulgentiis, quæ Confratribus eiſdem canonice aggregatis conceſſæ ſunt; poſſunt tamen Confraternitates viſitare, exceptis iis, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione: juxta Tridentinum *ſeſſ. 12. cap.* 8. ac per conſequens etiam a Regularibus inſtitutas cum uſu ſaccorum ſive in propriis ſive in aliorum Eccleſiis una cum Cappellis, ſuper iis, quæ concernunt adminiſtrationem redditum, necnon adimplementum onerum, Altaria, aliaque hujuſmodi, ſi Confraternitates debeant manutenere Altare, ejuſque cultum, Divinumque Officium perſolvere: ut ex verbis reſponſionis S.C.C. in Nucerina Paganorum 23. Junii MDCXXIX. = *Si Confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare, & illius cultum; Epiſcopus poteſt viſitare circa ea, quæ reſpiciunt ipſam manutentionem, cultum & ornamenta Altaris, ſeu Cappellæ, onera Miſſarum, atque Divinorum Officiorum ibidem celebrandorum: & circa ea omnia, quæ ad obligationem eorundem Confratrum relationem habent.* = Idque clarius conſtat ex literis Sacræ Congreg. Epiſc., & Reg. datis ad Epiſcopum Aliſen. ſub die 31. Julii MDCCXXXVII. tenoris ſequentis = *Al dubbio che V.S. ha fatto rappreſentare a queſta Sacra Congregazione: ſe ella poſſa viſitare le Confraternite de' Laici poſte nelle Chieſe de' Regolari; poiche nella viſita che ha fatta nella terra di Piedimonte luogo di coteſta Dioceſi, ha trovata reſiſtenza, eſſendole ſtato vietato di viſitare la Confraternita del Roſario, ed un altra iſtituita ſotto il titolo di Geſù, e Maria nella Chieſa di S. Domenico dello ſteſſo Ordine. Queſti Eminentiſſimi &c. m' hanno ordinato di riſponderli, che tal facoltà viene data a tutti gl' Ordinarj dal Sagro Concilio di Trento, che parla aſſai chiaro nel capo 8. della ſeſſione 22. de Reformat. Che perciò non hanno ſtimato di biſogno di darle maggior autorità: e così è ſtato più volte riſoluto dalla Sagra Congregazione dello ſteſſo Concilio, come anche da queſta de' Veſcovi, e Regolari, che gl' Ordinarj poſſono viſitare le Confroternite de' Laici erette nelle Chieſe de' Regolari, ed altre perſone eſenti non ſolo in quanto alli beni, ed entrate loro con rivedere li conti, ma anche le Cappelle ſteſſe, in quanto a quello, che riguarda l' amminiſtrazione, ed altri obblighi perſonali, che s' aſpettano alla Compagnia e Confrati aſcritti a quella: cioè il riconoſcere, ſe l' entrate, e limoſine, che ſi danno per adornare, e per il mantenimento della Cappella, e per accreſcer ivi*

ivi il culto divino, e divozione del popolo, ſiano ſpeſe fedelmente, e con effetto s'impieghino ad utilità, in beneficio della ſteſſa Cappella, e non in altri uſi: non toccando però il reſtante, che s'aſpetta alla cura, e totale amminiſtrazione de' Frati, e Regolari che ſono padroni di tutt'il corpo della Chieſa, dove ſono dette Cappelle, e Confraternite erette, come Altari, Imagini, ed altre coſe materiali affiſſe, ed utenſili ſagri, applicate a quelle: ſopra de' quali nè li Veſcovi, nè altri Ordinarj hanno da ingerirſi, nè uſare alcuna giuriſdizione, o ſopraintendenza: a ſegno tale, che non è loro permeſſo eſercitare alcun'atto giuriſdizionale nelle dette Chieſe de' Regolari, fuori che quanto ſi è detto di ſopra. E con tale diſtinzione reſtano conciliate molte dichiarazioni, che vanno attorno per manus di molti, che vogliono applicarle al caſo, che alla giornata ſe li rappreſenta, piu toſto per ſervire alla cauſa, ed amico, che alla verità: onde dovrà V. S. governarſi in queſta conformità, che tale è ſtato ſempre il ſenſo della Sagra Congregazione, la quale in quanto facci il biſogno, le conferma l'iſteſſa autorità, che ne le da il Sagro Concilio: acciocche per l'avvenire non habbia ſcrupolo veruno di procedere nel modo e forma, che con la preſente ſe le preſcrive, e Dio &c.

Erigi autem poſſunt Confraternitates ſæcularium in Eccleſiis ſive Regularibus, ſive ſæcularibus, ſervatis tamen quibuſdam ſtatutis, de quibus dicemus §. ſequenti: exceptis Monialium Eccleſiis: cum populi frequentia, necnon functiones Confraternitatum Sacrarum Virginum Deo dicatarum tranquillitati non leve detrimentum poſſit afferre: ut obſervat Ricciullus, *lib. 4. elucubrat. Eccleſiaſt. cap. 3.*: *Vetitum eſt de jure*, inquit, *ne poſſint congregari in Eccleſiis Monialium* (Confraternitates) *Rota coram Coccino deciſ. 472. num. 7., & ante eam Sacra Congregatio Epiſcoporum reſpondens Vicario Barenſi 6. Aprilis 1595. Et ratio eſt, quia Monialibus eſt interdicta converſatio: cap. provenit 18. q. 2. Hinc apud priſcos Romanos dum non poſſet Senatus niſi in augurato loco haberi, Templum Veſtalium Virginum non fuit conſecratum, ne illuc Senatus accederet* = Et ideo ſi Confraternitates in dictis Eccleſiis Monialium inſtitutæ reperiantur; ad alias Eccleſias transferri debent: ut cenſuit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in Tiraſonen. ſub die 9. Novemb. MDXCV. In aliquibus tamen caſibus, legitimis cauſis occurentibus, in Monialium Eccleſiis permittitur Confraternitatum inſtitutio cum clauſula: *attentis circumſtantiis*.

Advertant tamen habentes facultatem erigendi Confraternitates ſæcularium ſive a jure, ſive ex privilegio, ne eas inſtituant ſub titulo Mancipiorum Matris Dei, dando Confratribus & Conſororibus catenulas collo, & brachiis circumferendas, ad profitendum B. V. mancipatum: cum ejuſmodi Societates olim erectas Sacra Suprema, & Univerſalis Inquiſitio ſequenti decreto omnes aboleverit = *Feria 4. die 5. Julii MDCLXXIII. In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Conventu Sanctæ Mariæ ſupra Minervam coram Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, a Sancta Sede ſpecialiter deputatis. Cum nonnulli Regulares, & ſæculares variis in locis inſtituerint Confraternitates Mancipiorum Matris Dei, dictas Italice delli Schiavi della Madre di Dio, & catenulas diſtribuant Confratribus, & Conſororibus brachiis, & collo circumponendas, atque geſtandas, ut eo ſigno Beatiſſimæ Virgini ſe mancipatos eſſe profiteantur: imagines quoque, & numiſmata catenatos ſodales exprimentia divulgent, & libellos, in quibus eiſdem Confraternitatibus regulas præſcribunt, uſum hujuſmodi Mancipatus, & meritum commendantes; Sacra Congregatio hunc abuſum, alias diverſis in locis ſpecialibus edictis a ſe prohibitum, conſiderans nonnullorum ſtudio, & opera creſcere magis in dies; univerſali edicto abolendum eſſe decrevit. Quare omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, tam Regularibus, quam ſæcularibus ſupradictarum catenularum uſum diſtricte interdicit: Regularibus quidem ſub pœna privationis acti-*

væ,

væ, & paſſivæ vocis ipſo facto incurrendæ. Cæteris vero ſub pœnis gravibus ſuorum Ordinariorum arbitrio infligendis: Societates quocunque nomine appellentur, quarum inſtitutum in eo mancipatu præcipue verſatur, damnat & extinguit: illis vero Societatibus, quæ ritum aliquem, aut quodcunque aliud ad mancipatum ejuſmodi pertinens adhibuerint; præcipit, ut ſub iiſdem pœnis id ſtatim rejiciant. Libellos demum, imagines, & numiſmata, quæ ante dicta ſunt, damnat: vetatque ſub pœnis in Indice librorum prohibitorum latis in eos, qui libros vetitos retinent, aut divulgant, ut novus hic B. Virginis mancipatus aboleatur. Contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Franciſcus Riccardus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

§. II.

Statuta Clementis VIII. in erectione & aggregatione Confraternitatum ſervanda, nec non in Indulgentiarum, & Privilegiorum communicatione, eleemoſynarum collectione, & Confeſſariorum electione.

Quamvis Confraternitatum inſtitutio ab aggregatione diſtinguatur, quod illa ſit nova Societatum erectio in aliquo loco, hæc vero jam antea inſtitutæ unitio, & incorporatio cum alio Ordine vel Congregatione; quia tamen in utraque fere iidem irrepſerant abuſus, pravæque conſuetudines, maxime quia præſcriptus non erat modus, quo Confraternitates aut noviter erectæ, aut de novo aggregatæ Indulgentias, privilegia, aliaſque gratias ſpirituales conſequi deberent; ſtatuit Clemens VIII. ea quæ ſequuntur, tam in inſtitutionibus, quam in aggregationibus inviolabiliter obſervari.

I. Unicam duntaxat Confraternitatem ejuſdem Inſtituti, & generis in ſingulis locis poſse inſtitui, & aggregari de Ordinarii conſenſu, & cum literis teſtimonialibus ejuſdem.

II. Quod Confraternitates inſtituentes & aggregantes inſtitutis & aggregatis expreſse & in ſpecie Privilegia, Indulgentias &c. communicent Ordinibus inſtituentibus, vel aggregantibus nominatim conceſſa: non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudent.

III. Quod Statuta Confraternitatum examinentur, & approbentur ab Ordinario loci, ejuſque correctioni ſubjaceant.

IV. Quod in inſtituendis & aggregandis Confraternitatibus, ac in communicandis Indulgentiis, ſervetur forma approbata.

V. Quod Congregationes, & Confraternitates ſive erectæ, ſive aggregatæ uti non poſſint Indulgentiis, & privilegiis, eaque promulgare, niſi prævia Ordinarii cognitione.

VI. Quod Confraternitates eleemoſynas, aliaque charitatis ſubſidia recipiant juxta formam ab Ordinario præſcribendam.

VII. Quod Confeſſarii Confraternitatum, vigore privilegiorum eligendi, ſi Sæculares; ab Ordinario: ſi vero Regulares; ab Ordinario, eorumque Superiore Regulari ſint approbati: qui Confratres a culpis abſolvant juxta formam privilegiorum, quatenus ſunt in uſu, nec Tridentini aut Summorum Pontificum Conſtitutionibus adverſentur: infraſcriptis tantum exceptis caſibus 1. In Bulla cœnæ contentis. 2. Violationis immunitatis & libertatis Eccleſiaſticæ. 3. Violationis clauſuræ Monaſteriorum Monialium ſine urgenti cauſa, & Superiorum licentia, vel cum iſtius abuſu. 4. Injectionis manus violentæ in Clericos. 5. Singularis certaminis, ſeu Duelli. 6. Nec poſſint abſolvere ab aliis Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario loci reſervatis, & reſervandis. 7. Necnon a quavis excommunicatione ab homine lata. 8. Neque ſuper Irregularitatibus, tam ex defectu quam ex delicto contractis, valeant diſpenſare.

VIII. Quæcunque inſtitutiones & aggregationes factas renovari debere juxta formam approbatam infra annum in Europa, extra vero Europam infra biennium: alias eo elapſo, tam eas, quam Indulgentiarum communicationes nullas eſse, ac pro revocatis haberi.

IX. Erectionum & aggregationum literas gratis expediri debere.

X. Quod Superiores, & MiniſtriOrdinum Regularium, & Confraternitatum in præmiſſis deficientes, pœnam privationis officiorum, & inhabilitatis ad ea obtinenda incurrant: atque erectiones, aggregationes & Indulgentiarum communicationes per ipſos faciendæ, ſeu renovandæ, nullius ſint roboris.

Apponimus hic per extenſum dictam Clementis VIII. Conſtitutionem.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUæcunque a Sede Apoſtolica ad promovendam Chriſtifidelium ſalutem aliquando conceſſa ſunt, etſi ea maturo conſilio magnaque prudentia, & cautione ſancita, & decreta ſint; tamen cum Romanus Pontifex de animarum ſalute ſollicitus, progreſſu temporis animadvertit ſenſim aliquos abuſus in eiſdem Statutis, & Decretis obſervandis provenire, debet pro ſui paſtoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere, & quantum cum Domino poteſt, adhibito ſalutari remedio providere. (§.1.) *Cum itaque a pluribus Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris, & forſitan etiam a Nobis nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, & Inſtitutis, ac etiam Chriſtifidelium ſæcularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diverſarum Nationum, nominum, & inſtitutorum tam in Alma Urbe Noſtra, quam in aliis Civitatibus, & locis Chriſtiani Orbis inſtitutis, facultas erigendi, & inſtituendi, in eorum, & aliis Eccleſiis, & Collegiis, necnon etiam ſibi aggregandi Confraternitates & Congregationes in eadem Urbe, & in aliis locis exiſtentes, eiſque privilegia, Indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta ſibi conceſſa reſpective communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio præſcripta ſit, quæ in hujuſmodi erectionibus, inſtitutionibus, aggregationibus, & communicationibus faciendis ſervari debeat; propterea ſive negligentia Superiorum Ordinum, Religionum, & Inſtitutorum, vel Officialium Archiconfraternitatum, & Congregationum erigentium, inſtituentium, aggregantium, & communicantium, quæ Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, inſtituendis, & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, Indulgentiarum, aliarumque gratiarum prædictarum fiunt, non ſervant formam in hujuſmodi erectionibus, inſtitutionibus, aggregationibus, & communicationibus ſervari debitam, neque præſcribunt modum, quo privilegia, Indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta prædicta conſequi debeant, ſeu ipſarum Confraternitatum, & Congregationum incuria, quæ non inquirunt ea, quæ præſtare oportet, ut illa conſequantur, nonnullæ pravæ conſuetudines irrepſerunt, multaque incommoda inde provenerunt.* (§.2.) *Quibus Nos pro commiſſo Nobis Apoſtolicæ ſollicitudinis officio, paternaque erga omnes Chriſtifideles charitate proſpicere volentes, hac Noſtra Conſtitutione perpetuo valitura decernimus, atque ſtatuimus, ut in poſterum tam hujus Almæ Urbis Noſtræ, quam aliarum Civitatum, & Locorum totius Chriſtiani Orbis Regularium Ordinum, Religionum, & Inſtitutorum, quibus in eorum, & quibuſcunque aliis Eccleſiis, & Collegiis Confraternitates ſæcularium erigendi, inſtituendi facultas conceſſa eſt, necnon etiam Archiconfraternitatum, & Congregationum cujuſvis nationis, nominis, & Inſtituti illæ ſint, & in quibuſcunque Eccleſiis, domibus, & Oratoriis tam ſæcularium, quam, ut præfertur, quorumcunque etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, & Inſtitutorum Regularium, quavis tam Ordinaria, quam Apoſtolica auctoritate erectæ, ac inſtitutæ exiſtant, ſeu alias quovis modo introductæ reperiantur, quibus alias Confraternitates, & Congregationes inſtituendi, erigendi, ac ſibi aggregandi, illiſque privilegia, Indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta prædicta elargiendi, & communicandi poteſtas a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris, vel a Nobis & Apoſtoli-*

ca

ca Sede attributa fuit, Magiſtri, Priores, Præpoſiti, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerii, Prælati, Cuſtodes, Guardiani, Præfecti, Adminiſtratores, & alii Officiales, ſeu Superiores quovis modo nuncupati Regularium ſiquidem Ordinum, Religionum, & Inſtitutorum, unam tantum Confraternitatem, & Congregationem, de conſenſu tamen Ordinarii Loci, & cum literis ejus teſtimonialibus, quibus Confraternitatis & Congregationis erigendæ, & inſtituendæ pietas & Chriſtianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, & quibuſcunque aliis Eccleſiis, & Collegiis erigere, & inſtituere. (§. 3.) Cæterarum vero Archiconfraternitatum, & Congregationum in ſingulis Civitatibus, Oppidis, vel Locis unam etiam Confraternitatem, & Congregationem duntaxat, quæ Apoſtolica, vel Ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Inſtituto, Archiconfraternitati & Congregationi ejuſdem, vel alterius Nationis, nominis, & inſtituti aggregata ſit, prævio ſimiliter Loci Ordinarii conſenſu, & cum ejus literis teſtimonialibus, quibus ejuſdem Confraternitatis, & Congregationis aggregandæ inſtitutum, pietas, & Chriſtianæ charitatis officia, quæ exercere conſuevit, apud eos commendentur, ſibi adjungere, & aggregare poſſint. (§ 4.) Huic vero Confraternitati, & Congregationi erigendæ, inſtituendæ, ſeu aggregandæ, ea tantum privilegia, Indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta, quæ ipſi Ordini, Religioni, Inſtituto erigenti, inſtituenti, ac communicanti, ſeu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim, & in ſpecie, non autem quæ per extenſionem, vel communicationem ſibi quovis modo conceſſa ſunt, & illa quidem non ſub generali forma verborum, vel ad inſtar, ſed expreſſe, & in ſpecie communicare valeant. (§. 5.) Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, & Inſtitutorum erigentium, & inſtituentium, ac communicantium, ſeu Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium edita, Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, inſtituendis, & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, & aliorum prædictorum fiunt, impartiri non poſſint, niſi ea prius ab Epiſcopo Diœceſano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint: quæ nihilominus ejuſdem Epiſcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus ſemper ſubjecta remaneant. (§.6.) Inſuper volumus, & ordinamus, ut prædicti Ordines, Religiones, Inſtituta erigentia, inſtituentia, & communicantia, necnon Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes certam erigendi, inſtituendi, aggregandi, & communicandi formulam a Nobis noviſſime approbatam diligenter obſervent: ſecundum quam privilegia, Indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta ipſis Ordinibus, Religionibus, Inſtitutis erigentibus, inſtituentibus, & communicantibus, ſeu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus nominatim, & expreſſe, non autem per communicationem, neque ad inſtar ut ſupra conceſſa, ipſis Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, inſtituendis, & aggregandis, & quibus communicationes fiunt, communicare poſſint. (§. 7.) Quibus Confraternitates & Congregationes ejuſdem duntaxat nationis, & nominis, Ordinis, Religionis, & Inſtituti, Archiconfraternitatis, & Congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregatæ, quam inpoſterum aggregandæ utantur, potiantur, & gaudeant: ita ut dictarum Confraternitatum, & Congregationum erectarum, inſtitutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes factæ ſunt, Miniſtri, & Officiales, & alii ſupradicti privilegia, Indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta hujuſmodi, prævia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de ejuſdem Eccleſiæ Capitulo illa juxta Sacri Concilii Tridentini decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant. (§.8.) Quibus etiam Miniſtris, Officialibus, & aliis

aliis prædictis, eleemoſynas, & alia oblata Chriſtianæ charitatis ſubſidia, juxta modum, & formam per Ordinarium loci præſcribendam, remotis tamen menſis, pelvibus & capſis, quæ in Eccleſiis, & Oratoriis dictarum Confraternitatum, & Congregationum publice ad hoc exponi conſueverunt, excipiendi poteſtas detur. Atque hoc ipſum Ordines, Religiones, Inſtituta erigentia, inſtituentia, ac communicantia, ſeu Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes, tam Almæ Urbis Noſtræ, quam aliarum Civitatum, & locorum quorumcunque, juxta modum a Vicario Urbis, & Ordinariis locorum reſpective præſcribendum, obſervare teneantur. Eleemoſynas autem ſic collectas in reparationem, & ornatum Eccleſiarum tam Ordinum, Religionum, Inſtitutorum erigentium, inſtituentium, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium, quam Confraternitatum, & Congregationum erigendarum, inſtituendarum, aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios uſus, arbitrio ejuſdem Vicarii noſtri in Urbe, necnon Ordinariorum locorum reſpective fideliter exponere, atque erogare procurent, ut omnes intelligant cæleſtis Eccleſiæ theſauros, non quæſtus aut alicujus lucri cauſa, ſed pietatis, & charitatis excitandæ gratia ex Apoſtolicæ Sedis benignitate Chriſtifidelibus aperiri. (§ 9.) *Præterea volumus, ut Confeſſarii, qui vigore privilegiorum ipſis Ordinibus, Religionibus, Inſtitutis erigentibus, inſtituentibus, & communicantibus, ſeu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus conceſſorum, ac Confraternitatibus, & Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi poſſunt, & poterunt ſæculares: ſcilicet in Alma Urbe a prædicto Noſtro Vicario, extra Urbem vero a locorum Ordinariis: Regulares autem non ſolum a prædicto Vicario noſtro, & a locorum Ordinariis reſpective, ſed etiam a ſuis Superioribus approbati ſint, utque Confratres confitentes a criminibus, caſibus, & cenſuris, juxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen ſint in uſu, & Sacri Concilii Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & noſtris Conſtitutionibus non adverſentur, nec revocata, aut ſub aliquibus revocationibus comprehenſa ſint) formam, & tenorem duntaxat abſolvere valeant. Decernimus inſuper, ut iidem Confeſſarii prædictos Confratres cujuſcunque gradus, ſtatus, conditionis, & præeminentiæ, etiamſi ſpeciali nota digni fuerint; a caſibus contentis in literis, quæ die cænæ Domini legi conſueverunt, necnon violationis immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ, & clauſuræ Monaſteriorum Monialium, ſi videlicet ſine neceſſaria & urgenti cauſa, ac ſine Superiorum licentia, vel etiamſi cauſa, & licentia conceſſa abutentes, prædicta Monaſteria ingreſſi fuerint: necnon violentæ manus injectionis in Clericum, & ſingularis certaminis, ſeu duelli, ac ab aliis etiam caſibus, tam a Nobis, quam a prædicto Noſtro in Urbe Vicario, & locorum Ordinariis reſpective reſervatis, & pro tempore reſervandis, & etiam a quavis excommunicatione tam a jure, quam ab homine lata abſolvere, & ſuper irregularitatibus tam ex aliquo defectu provenientibus, quam occaſione delicti contractis, cum aliquo diſpenſare prætextu dd. privilegior. nullo modo poſſint.* (§. 10.) *Demum ſtatuimus, & pariter ordinamus, ut Confraternitates, & Congregationes ubivis locorum quavis authoritate, ut præfertur, erectæ, & inſtitutæ, & quibus communicationes prædictæ factæ ſunt, ac cuicunque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Inſtitutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus ubilibet exiſtentibus hactenus aggregatæ ab eiſdem reſpective Ordinibus, Religionibus, Inſtitutis Archiconfraternitatibus, & Congregationibus novas erectionum, inſtitutionum, communicationum, & aggregationum literas, juxta formam a Nobis noviſſime approbatam, infra annum ſi in Europa ſint, & ſi extra Europam fuerint, infra biennium a die publicationis præſentium in Romana Curia faciendæ computandos impetrare teneantur: alioquin dicto tempore elapſo erectio-*

ctiones, inſtitutiones, & quæcunque communicationes privilegiorum, facultatum, Indulgentiarum, aliarumque ſpiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipſis conceſſæ nullius ſint roboris, & momenti, ac revocatæ & abolitæ cenſeantur eo ipſo. §. 11. Erectionum autem, inſtitutionum, communicationum, & aggregationum tam hactenus factarum, quam deinceps faciendarum literæ ab ipſis Ordinibus, Religionibus, Inſtitutis, ſeu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus, gratis omnino, ac nulla prorſus mercede, etiam a ſponte dantibus accepta, expediri, & concedi debeant. (§. 12) Quod ſi Miniſtri aliique Superiores, vel Officiales quocunque nomine nuncupati Ordinum, Religionum, Inſtitutorum, ſeu Archiconfraternitatum, Congregationum, et Confraternitatum hujuſmodi, quavis authoritate, vel privilegio, & officio fungantur, & præfulgeant, contra præmiſſa in aliquo venire, vel facere præſumſerint; erectiones, inſtitutiones, & communicationes privilegiorum, Indulgentiarum, facultatum ſpiritualiumque gratiarum, & indultorum, aliorumque præmiſſorum conceſſiones, necnon aggregationes per ipſos faciendæ, ſeu renovandæ, nullius ſint roboris, & momenti: & quilibet eorundem Miniſtrorum, Superiorum, Officialium, & aliorum prædictorum privationis Officiorum, quæ obtinent, ac inhabilitatis ad illa & alia inpoſterum obtinenda, pœnam, quæ ab alio quam a Nobis, vel a Romano Pontifice pro tempore exiſtente remitti non poſſit, incurrat eo ipſo. (§. 13.) Decernentes præſentes Literas perpetuo validas, & efficaces exiſtere & fore, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari debere, ſicque noſtræ mentis & intentionis exiſtere, & ita, & non aliter per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. (§. 14.) Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quorumcunque Ordinum, Religionum, & Inſtitutorum, ſeu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum ſæcularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, et conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apoſtolicis, etiam Mare Magnum, ac Bulla aurea nuncupatis Regularibus Ordinibus, Religionibus, Inſtitutis, ſeu Archiconfraternitatibus, Congregationibus, et Confraternitatibus ſæcularium, eorunque Superioribus, et aliis quibuſvis perſonis, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, et præeminentiæ exiſtentibus, ſub quibuſcunque verborum formis, et tenoribus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, et inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, et aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, et conſiſtorialiter, et alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum, etiam pluries conceſſis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorunque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, et individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret; illorum tenores, ac ſi ad verbum exprimerentur, & inſererentur præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque (§. 15.) Ut autem præſentes Literæ ad omnium, quos concernunt, notitiam facilius deveniant; volumus illas ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, & in Acie campi Floræ more ſolito publicari, & affigi, atque iis inde amotis earundem exempla etiam impreſſa ibi affixa relinqui: factaque publicatione hujuſmodi omnes Regulares Ordines, Religiones, Inſtituta, & Archiconfraternitates, Congre-

gregationes & Confraternitates ſæcularium, quæ in Urbe quidem poſt menſem, quæ vero in Europa poſt decem menſes, quæ demum extra Europam fuerint poſt octodecim menſes a die publicationis hujuſmodi computandos perinde afficere, & arctare, ac ſi earum cuilibet nominatim inſinuatæ fuiſſent. (§. 16.) *Et nihilominus, ut ipſæ præſentes Literæ notiores fiant, magiſque omnibus innoteſcant; univerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis per eaſdem præſentes committimus, & mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios haſce Noſtras Literas, poſtquam eorum exemplum receperint, ſeu earum notitiam habuerint, ſemel, aut pluries, prout eis magis expedire viſum fuerit, in ſuis Cathedralibus, & majoribus reſpective Eccleſiis Civitatum, Oppidorum, & locorum quorumcunque eorum Diœceſum, dum in eas major Populi multitudo ad divina convenerit, ſolemniter publicent, & publicari auctoritate Noſtra mandent, ac faciant.* (§. 17.) *Cæterum quia difficile foret eaſdem præſentes ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri; volumus, & ſimili auctoritate decernimus, ut earum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipſiſmet Literis haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 7. Decembris milleſimo ſexcenteſimo quarto Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.*

§. III.

Obſervationes ſuper dictis Statutis Clementis VIII.

UT plures tollantur errores, qui ſæpe ob rei difficultatem Ordinum Regularium Superiores, necnon Archiconfraternitatum Officiales latent, in Confraternitatum erectionibus, aggregationibus, Indulgentiarum & privilegiorum communicationibus, aliaque incommoda, & Indulgentiarum nullitates vitentur, quæ in iis ſolent irrepere; nonnulla hic ſuper dictis Clementis VIII. ſtatutis operæ pretium eſt obſervare.

Super I. Statuto, quo decernitur unius duntaxat Confraternitatis erectio, vel aggregatio in ſingulis locis: obſerva 1.° Religiones, Ordines, & Regularia Inſtituta non aggregandi facultatem habere, ſed erigendi & inſtituendi ſæcularium Confraternitates & Congregationes: Archiconfraternitates è contra & Congregationes diverſorum nominum & inſtitutorum non erigendi & inſtituendi, ſed erectas jam, & inſtitutas aggregandi. Ex quo conſtat hic prohiberi in ſingulis locis plurium Confraternitatum erectionem, & aggregationem ſub eodem titulo, & inſtituto: idque etiam ſi Confraternitates erigendæ, vel aggregandæ non eidem, ſed diverſæ juriſdictioni ſubjicerentur: ut reſpondit Sacra Congregatio Concilii in Caſertana Confraternitatis ſub die 18. Julii MDCLXXXIII.: ſecus autem earundem pluralitatem ſub diverſo titulo, & inſtitutio: ut pariter reſpondit Sacra Congregatio laudata in Neapolitana ſub die 17. Julii ejuſdem anni.

Nemini vero admirationem ingerat Clementem VIII. hanc legem pro Confraternitatibus condidiſſe; quoniam creſcente in dies Confraternitatum numero, ipſarum pluralitas confuſionem, æmulationes, & ſimultates parere poteſt. Quamobrem ob earundem occaſionem ab humana vel imbecillitate, vel malitia; veræ pietatis ac religionis potius impedimentum, quam illicium induceretur. Et ideo Gregorius XIII. in Brevi cujus initium eſt: *Dudum ſiquidem*: edito ſub die 1.ª Auguſti MDLXXV., probat non expedire animarum ſaluti duas Confraternitates ſub eodem modo orandi in eadem Civitate reperiri: & S. Pius V. idem habet in alio Brevi, cujus initium eſt: *Decet Romanum Pontificem*: edito ſub die 21. Junii MDLXXI. loquens de Societatibus Nominis Dei = *Multi Clerici, et Parochi in ſuis Eccleſiis dictam Societatem erigere ſtudent, ita ut aliquando ſint plures in eadem Civitate Societates, ſeu Confraternitates dictæ invocationis Nominis Dei, ſeu juramentorum in diminutionem*

nem obſervantiæ, & devotionis, quæ ex frequentia convenientium oriri ſolet: & non ſine aliqua confuſione, quæ ob præfatam cauſam, in die Circumciſionis Domini, quando feſtum prædictæ Societatis, ſeu Confraternitatis celebrari debet, accidere conſuevit &c.

In aliquibus tamen caſibus tolerantur duæ Confraternitates erectæ ſub eodem titulo, & Inſtituto in uno, eodemque loco, attentis locorum qualitatibus, numeroſitate, populorum moribus, aliiſque facti circumſtantiis: auditis etiam Superioribus Regularibus (ſi forte Confraternitates erigendæ ad eos ſpectent:) ea tamen quandoque indicta lege, ut feſtiva ſolemnitas, & ſacræ functiones diverſis diebus ab unaquaque ex duabus Confraternitate celebrentur: idque non ſolum in magnis Civitatibus, ſed etiam in aliis inferioribus, quæ demum omnia arbitrio Ordinarii relinquuntur: ut conſtat ex Reſponſionibus Sacræ Congregationis Concilii in Valentina 2. Auguſti MDCLXXXVII., in Ulypponenſi Occidentali 7. Decembris MDCCXX., & noviſſime in alia Sacræ Congregationis Indulgentiarum in Dublinen. 27. Julii MDCCXXXIII., quæ reſpondit = *pro gratia attentis ſpecialibus circumſtantiis* = expenſis Catholicorum precibus Dublini in Regno Hiberniæ exiſtentium pro erectione novæ Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii in Eccleſia Monialium Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Obſerva 2.° trium ſaltem milliariorum diſtantiam requiri inter Urbes, Oppida & Loca, in quibus erigi & aggregari deſiderantur Confraternitates ejuſdem nominis & Inſtituti, ut animadvertit Riccius in ſuis MSS.

Obſerva 3.° Nedum Archiconfraternitates, ſed etiam Regulares Ordines etiam ſpeciali nota dignos pro aggregandis, vel reſpective erigendis Confraternitatibus neceſſario debere Ordinariorum conſenſum obtinere, una cum literis eorum teſtimonialibus, quibus commendentur Congregationis, & Confraternitatis erigendæ, vel aggregandæ pietas, ac chriſtianæ charitatis officia, quæ conſuevit, vel cupit exercere. Alias cœtus inſtituti ſeu aggregati eſſent quidem piæ Congregationes, nequaquam vero Confraternitates canonice erectæ, & aggregatæ. Idque declaravit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium: ut refert Barboſa *in collectione Bullarum; ver. Confraternitas = Non licere Clericis Societatis Jeſu, necnon Regularibus Ordinis S. Dominici inſtituere Confraternitates novas Sæcularium ſine Ordinarii licentia.*

Obſerva 4.° Quod quanquam Ordines Regularium Mendicantium gaudentes nova facultate a Paulo V. conceſſa inſtituendi Confraternitates conſenſu Ordinariorum indigeant, tum ad confirmandas in aliorum Eccleſiis eas, quæ canonice erectæ ſunt, tum ad novas erigendas in propriis; non tamen is neceſſario requiritur ad confirmandas illas, quæ in propriis Eccleſiis erectæ & inſtitutæ reperiuntur ante hanc Conſtitutionem Clementis VIII.: dummodo in eoConventu cohabitent duodecim Religioſi, ſervata in reliquis prædicta Conſtitutione. Rurſus poſſe Superiores eorundem Ordinum accedente Ordinariorum conſenſu in ſcriptis exhibendo, aliiſque ſuppoſitis requiſitis, antiquas Confraternitates confirmare: eſto non interveniat locorum diſtantia per tria milliaria Italica in Brevibus Apoſtolicis requiſita: imo etiamſi præter unam ejuſdem nominis,& inſtituti, alia in eodem Oppido vel Urbe reperiretur erecta: juxta tamen formam in Clementis VIII. Conſtitutione præſcriptam. Ita habetur ex declaratione, ſeu Decreto Sacræ Congreg. Indulgentiarum edito ſuper intelligentia dictæ Conſtitutionis Clementis VIII., de qua extat ſequens Epiſtola Cardinalis Arrigoni ad Archiepiſcopum Bononienſem. = *Avendo riſoluto queſti miei Illuſtriſſimi Signori della Congregazione dell'Indulgenze con autorità, ed ordine particolare di Noſtro Signore di levare alcune difficoltà che ſi trovano nell'eſeguire la Coſtituzione di Clemente VIII., fatta già ſopra l'aggregazioni della Confraternita, dichiarando ancora alcune coſe concernenti l'Iſtituzioni antiche fatte dalli Superiori delle Religioni, fanno ſapere a V.S., che ſi contentano, che i Superiori Regolari, a' quali è ſtata conceſſa nuova facoltà da Sua Beatitudine d'iſtituire Confraternita Secolari ſecondo la forma dell'*

ſudetta Conſtituzione, poſſino confermare ſenza conſenſo degl' Ordinarj de' luoghi quelle Confraternita, quali ſi trovano canonicamente erette da' medeſimi Superiori Regolari, avanti ſi publicaſſe l'iſteſſa Conſtituzione, nelle Chieſe loro Collegiate, dove ſiino almeno dodici Religioſi di Famiglia Ordinaria: non oſtante che nella patente della Confermazione ſi dica eſpreſſamente; farſi ciò con conſenſo dell'Ordinario. Dichiarando però, che nel far nuove iſtituzioni nelle Chieſe tanto Secolari, quanto Regolari di qualunque ſorta, e nel confermare eziandìo l'antiche erette in Chieſe ſecolari, e Regolari ancora, nelle quali non ſtiano dodici Religioſi, ſi debba neceſſariamente havere il teſtimonio, e conſenſo del Ordinario, e ſervare tutt'il reſtante, che ſi preſcrive nell'iſteſſa Coſtituzione. Permettono ſimilmente, che i medeſimi Regolari a' quali è ſtata conceſſa la nuova facoltà d'iſtituire, poſſino confermare le Confratrie antiche, ed iſtituirne di nuovo, ancorche non ſia tutta quella diſtanza de' luoghi, ove ſono, o ſaranno tali Confratrie, che viene preſcritta da' Brevi Apoſtolici: mentre però, oltre tutti gl' altri requiſiti, concorra anche a queſto il conſenſo del Ordinario del luogo, che ſi dovrà eſibire in ſcritto prima, che ſi diſpenſi ſopra tale diſtanza, e non altrimenti. Permettono ancora, che ritrovandoſi diverſe Confratrie de' Secolari antiche erette canonicamente, come ſopra in Chieſe Regolari Collegiate di dodici Religioſi almeno; ſi poſſino confermare, ſervata però in tutt' il reſto la forma data dalla medeſima Coſtituzione: e parimente che eſſendo in una Città, o Terra più d'una Confraternita antica dell'iſteſſo nome, ed iſtituto eretta canonicamente da' Superiori Regolari; ſi poſſino confermare ſecondo la ſudetta forma: ma nell'iſtituire nuove Confraternita vogliono le ſue Signorie Illuſtriſſime, che una ſola ſi poſſa fare in qualunque Città, terra, o luogo: eccettuando però la Compagnia del Santiſſimo Sacramento, quale concedono, anzi deſiderano in ogni Chieſa Parochiale: non oſtante, che vi ſi trovi eretta qualſivoglia altra Confraternita &c. Tutto queſto è parſo di ſcrivere a V.S., acciò nell' occorrenze di coteſta Chieſa ſappia che paſſa in queſto particolare, e lo faccia ſapere a' Veſcovi della ſua Provincia. Ed io prego a V.S. ogni vero bene Di Roma alli 7. di Settembre 1607. Di V.S. per ſervirla. P. Cardinale Arigone.

Quæres hic an nedum Ordinariorum conſenſus pro erigendis, & aggregandis Confraternitatibus requiratur, ſed etiam Principum ſæcularium beneplacitum?

Reſpondetur, ſi de validitate erectionis & aggregationis agatur; negative: quia ex vi ejuſmodi beneplaciti poteſtas Eccleſiaſtica a laicali dependeret, adeoque officeret libertati Eccleſiaſticæ: cum de jure licitum ſit ad religionis, & pietatis officia convenire citra Principum ſæcularium veniam: *l. 1. ff. de Colleg. illic.* ibi: *ſed religionis cauſa coire non prohibentur.* Gloſſa *in d. l. v. illicita.* Confraternitates enim, de quibus hic ſermo eſt, eriguntur, & aggregantur per poteſtatem Eccleſiaſticam, ejuſque juriſdictioni ſubduntur: adeoque hoc Principum ſæcularium beneplacitum Privilegia toti Eccleſiæ a Deo, Summis Pontificibus, illi præpoſitis atq; Imperatoribus conceſſa reſtringerent. Et idcirco juxta Sacror. Canon. doctrinam, ſtatutum jubens non poſſe Confraternitates inſtitui, Eccleſias, ſeu Monaſteria de novo ædificari ſine Principis loci beneplacito; eſſet contra libertatem Eccleſiaſticam. Non tamen negandum eſt Principes ſæculares, quum timent damnum aliquod ex alicujus pii loci fundatione ſibi vel Reipublicæ imminere; ad locorum Ordinarios poſſe recurrere, vel ad ſummum Pontificem, ut eorum indemnitati conſulatur. Nec adverſatur immunitati Eccleſiaſticæ, quod pro ædificandis Eccleſiis in Gallia Regis beneplacitum requiratur: neque hinc infertur, idem dicendum eſſe de Confraternitatum erectionibus, aliiſque locis piis ubique ædificandis: quia id fieri admittimus in Gallia, vel ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, vel, (ut inquit Duardus *commentar. in Bull. cœnæ Dom. l. 2. in Canon. 15. q. 19. n. 73.*) ex dominio directo, quod dictus Rex obtinet ſuper omnia bona ſtabilia ſui Regni = *Nec ex eo, quod in Gallia Eccleſiæ non poſſunt ædificari citra Regis conſenſum, ſequitur, quod alii Prin-*

ci-

by Google

cipes ſimiliter id ſancire poſſint: qui in Gallia Rex habet directum dominium ſuper omnia ſtabilia illius Regni: quapropter non modo eſt Princeps, ſed etiam privatus dominus feudorum: & ideo cum illorum dominium habeat, poteſt de illis ad ſui libitum diſponere: cum quilibet rei ſuæ ſit moderator, & arbiter l. in re mandata C. mand.

Circa II. ſtatutum quo mandatur, ut Confraternitatibus erectis, vel aggregatis in communicatione Indulgentiarum ab Ordinibus Regularibus, & Archiconfraternitatibus erigentibus, & aggregantibus pro earum regimine leges tradendæ non ſint, quin prius examinentur, & approbentur a locorum Ordinariis; obſerva eas Confraternitatum leges debere approbari, quæ principaliter & ex primaria intentione pietatem ac religionem fovent. Hinc 1. ſtatutum quo compelluntur fideles ad ſolvendam certam pecuniæ ſummam inConfraternitatis ingreſſu, approbandum non eſt: eſſet enim ex de pretio ſolvendo omnino illicito, ut tradunt Nicolius *floſc. verbo Confraternitas n.* 10. Lauretus de Franchis *controv. interEpiſc. &Regular. pag.* 91. Tondutus *reſol. benef. cap.* 47. *n.* 8. Cæterum ſi ſtatutum ſit per modum adhortationis, & non coactionis, eoſque duntaxat afficiens qui poſſunt ſolvere; ne alioquin pauperes a piis operibus, & ab adſcriptione inter Confratres retrahantur, rejiciendum non eſſet. Item ſi pecunia illa decerneretur ad modum eleemoſynæ pro Miſſis, ornamentis Eccleſiæ, aliiſque Confraternitatis oneribus impendendæ: Guttierez. *Canonicar. quæſt. lib.* 1. *cap.* 35. *n.* 5. Ricciullus *lucubrat. Canonicar. lib.* 4. *tit. de Confraternit. laicor cap.* 5. *num.* 1. *& ſeq.* Hinc 2. ſtatutum, quod nemo uni Confraternitati adſcriptus poſſit alteri Confraternitati nomen dare, tanquam male factum caſſandum eſt: *Nicol.*, *Riciullus loc. cit.*

Circa III. ſtatutum, quo præſcribuntur Indulgentiæ Confraternitatibus erectis, & aggregatis communicandæ; obſerva primo falſam eſſe nonnullorum Doctorum ſententiam aſſerentium, Confraternitates a Regularibus inſtitutas, per communicationem frui poſſe Indulgentiis tum immediate ipſis perſonis, tum per extenſionem Ordini Regulari inſtituenti conceſſis. Quam opinionem proxime ſuperioribus annis in vulgus ſparſam, nullaque ſolida ratione munitam animos plurium Regularium novimus occupaſſe: cui inter cæteros adhæſiſſe Joannem a Conceptione in *Inſtructionibus ſuis pro Confratribus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum* comperimus. Hic enim *Inſtruct.* 7. §. 3. ſic habet = *Confratres fruuntur omnibus Indulgentiis conceſſis Ordini Sanctiſſimæ Trinitatis, & illius perſonis. Hoc conſtat ex ipſa Bulla Clementis VIII.* 115.: *& cum mea Congregatio & illius Religioſi fruantur omnibus Indulgentiis omnium Ordinum Mendicantium, Societatum Militarium, & Hoſpitalium &c.; non ad inſtar & per extenſionem, ſed ſpeciatim & nominatim, hæc omnia communicat ſuis Confratribus, & Confororibus: & hoc modo verum judico, quod aliqui Authores dicunt: videlicet, quod noſtri Confratres perfruantur Indulgentiis conceſſis Confratribus, & Confororibus Sanctiſſimi Roſarii, Cordulæ Sancti Franciſci, Cinguli S. Auguſtini, Scapularis B.M.V. de Monte Carmelo & omnium aliorum Ordinum, & Confraternitatum* = Sed falſitas ſententiæ allatæ demonſtratur tum ex ſtatuto ipſo Clementis VIII. ab hoc Authore perperam in ſui favorem allato, tum ex eo quod Indulgentiæ Ordinibus Regularibus datæ ſint ex ſpecialiſſima cauſa, intuitu ſcilicet ſtatus Religioſi: adeoque, ut ſupra innuimus, nequeunt Confratribus, qui ſæculares ſunt, communicari, & prodeſſe: ut notat Theodorus Stratius in *Inſtruction. pro Fratribus Carmelitis de Indulgentiis Confratrum Scapularis* ibi = *Sæculares, nequeunt Indulgentias Religionum aſſequi, niſi mutent ſtatum, & efficiantur Religioſi: cum ſtatus Religioſus, & ſtatus ſæcularis non ſe compatiantur, & Indulgentiæ Religionum tantum Religioſis conceſſæ fuerint* = Et ſane ubi nam apud Regulares hoc privilegium extat, quo Religionibus omnibus concedatur hujuſmodi facultas communicandi Confratribus Indulgentias Ordini, aut immedia-

 te,

te, aut per extenſionem conceſſas? Profecto ſemper in Brevibus, quibus Ordinum Regularium Superioribus tribuitur authoritas inſtituendi Confraternitates, exprimuntur quædam Indulgentiæ nominatim conceſſæ, & ſub finem conceditur eiſdem facultas communicandi Confratribus expreſſas tantum in prædictis Brevibus Indulgentias: nec ullaliarum Indulgentiarum Ordinum Regularium communicatio memoratur.

Aliæ itaque ſunt Indulgentiæ Ordinibus Regularibus conceſſæ pro ipſiſmet perſonis Regularibus, quæ communicari non poſſunt juxta hanc legem Clementis VIII.: aliæ vero quæ (ut inquit Stratius *loc. cit.*) *non ipſi Generali nec nobis Regularibus, ſed Confraternitatibus, & Confratribus immediate a Pontifice fuerunt conceſſæ*=quæ ſolæ his communicantur ab Ordinum Superioribus, tributa illis ad inſtituendas Confraternitates poteſtate. Hæ autem Indulgentiæ non ſunt communicandæ in generali,& in confuſo: ſi dicas ex. gr. in Literis Inſtitutionum: *communicamus omnes gratias, & Indulgentias,quæ Confraternitatibus conceſſæ ſunt*: bene vero: *communicamus tales, & tales gratias, vel Confraternitati noſtræ Indulgentias conceſſas, quæ ſunt iſtæ, & iſtæ.*

Pro nova forma (juxta quam privilegia Indulgentiæ & facultates nominatim & expreſſe debent communicari in Confraternitatum inſtitutionibus atque aggregationibus) de qua loquitur IV. ſtatutum, obſervandum eſt eam fuiſſe a Clemente VIII. approbatam, non tamen promulgatam, ſive ob nonnullas contra ejus executionem exortas difficultates, ſive quod tribus poſt hæc elaſis menſibus viam univerſæ carnis fuit ingreſſus Summus Pontifex laudatus, ut innuit Paulus V. in Conſtitutione incipiente *Romanus Pontifex* allata in *artic.* 1. ibi = *Proinde cum felic. rec. Clemens VIII. Prædeceſſor Noſter magna cum diligentia & ſollicitudine procuraverit abuſus, & corruptelas tum in communicando Indulgentiarum Theſauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere, & propterea ſua quadam Conſtitutione formam aggregandi, inſtituendi & recte adminiſtrandi ſocietates, & Confraternitates præſcripſerit, licet morte præventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere &c. neque aliquid deliberare potuerit.* = Eam tamen formam edidit in lucem Paulus V. & ideo dicit Cherubinus in *notis marginalib. ad Conſtit. 9 Pauli V.* = *Quoad formulam communicandi Indulgentias, attendi debet nova diſpoſitio Pauli V.*. Hic enim Pontifex humiliter ſupplicantibus Ordinibus Regularibus, Capitulis, & Archiconfraternitatibus, ut juxta Clementis VIII. Conſtitutionem tam antea inſtitutis, & aggregatis Confraternitatibus, quam inpoſterum inſtituendis, & aggregandis Indulgentias communicare valerent; omnes ejuſmodi gratias a Sede Apoſtolica impetratas revocavit: novaſque conceſſit, vel conceſſas renovavit nominatim, & expreſſe, cum facultate eaſdem non niſi expreſſe, & nominatim communicandi Confraternitatibus erectis & aggregatis: idque declaratur a Paulo V. in Brevi, quod legitur apud Lavorium *de Indulg. p. 2. cap.* 14. *n.* 96. ex Bartholomæo a S. Fauſto ſub finem *lib. 2. de Sacr. Indulg.* = *Nos in executionem dictæ Conſtitutionis* (nempe 115.) *& mentis Prædeceſſoris, compluribus Confraternitatibus novas Indulgentias, & privilegia concedentes, antea conceſſas revocamus.* = Et clarius hæc Pauli V. diſpoſitio ex Brevibus ſubinde emanatis aperitur, quorum profecto idem omnino eſt initium, idem tenor, earundem fere Indulgentiarum conceſſio: ut videre eſt in nonnullis exemplis. Anno MDCVI. Confraternitatibus Cincturatorum 11. Octobris: pro Confraternitatibus B. V. M. de Monte Carmelo.... ejuſdem: pro Confraternitatibus S. Mariæ de Planctu die 31. Auguſti: pro Confraternitatibus Sanctiſſimi Corporis Chriſti die 3. Novembris: pro Confraternitatibus Cordigerorum die 11. Martii MDCVII.: pro Confraternitatibus Sanctiſſimæ Trinitatis die 6. Auguſti MDCVIII.: pro Confraternitatibus Suffragii die.. an MDCXV. Ad majorem eorum, quæ dicta ſunt claritatem exhibemus per extenſum Breve editum pro Confraternitatibus B. V. Mariæ de Monte Carmelo= *Cum certas unicuique Confraternitati Indulgentias, & gratias ſpi-*

ſpirituales, quibus de cætero fruantur, duxerimus præſcribendas; Idcirco Nos omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitati B. M. de Monte Carmelo in quibuſcunque Civitatibus, & locis canonice inſtitutæ, & illius Confratribus, & Conſororibus hactenus per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros conceſſas revocantes, ac nullius roboris, & momenti eſſe declarantes, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi; Omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui dictam Confraternitatem ubivis locorum tam hactenus canonice, ut præfertur, inſtitutam, quam deinceps, ut infra, inſtituendam, de cætero ingredientur, & habitum receperint, die primo eorum ingreſsus, ſi vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint; Plenarium. Ac tam ipſis pro tempore deſcribendis, quam jam deſcriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & Conſororibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra communione refectis, qui in Feſto principali commemorationis ejuſdem B. M. die 16. menſis Julii, ac juxta Ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediate ſequenti celebrari ſolita, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; etiam Plenariam. In mortis quoque articulo eiſdem utriuſque ſexus Confratribus, qui pœnitentes, & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin autem corde devote invocaverint; Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Necnon ipſis Confratribus, & Conſororibus, qui ſimiliter pœnitentes & confeſſi, ac Sacra Communione refecti proceſſioni in una Dominica cujuslibet menſis per dictam Confraternitatem de Ordinarii loci licentia faciendæ devote interfuerint, & ibi, ut præfertur, oraverint; ſeptem annos, & totidem quadragenas. Ipſis vero qui ab eſu carnium iis diebus, quibus Confratres dictæ Confraternitatis ex illius inſtituto veſci non ſolent, abſtinebunt; trecentum dies. Qui autem qualibet die ſepties orationem Dominicam & toties ſalutationem Angelicam, ad honorem ſeptem gaudiorum ejuſdem B. M. V. recitaverint; quadraginta dies. Necnon etiam qui cum habitu ejuſdem Confraternitatis pœnitentes, & confeſſi ſemel in menſe Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, & ut præfertur, oraverint, quinque annos, & totidem quadragenas. Iis vero Confratribus & conſororibus, qui pœnitentes, & confeſſi in qualibet ex feſtivitatibus ejuſdem B. M. Virginis dictum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſia, vel Cappella dictæ Confraternitatis devote ſumſerint, & ut ſupradictum eſt, oraverint; tres annos, et totidem quadragenas. Qui autem cum lumine dictum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quando ad Infirmos defertur, comitati fuerint, et pro iiſdem Infirmis pias ad Deum preces effuderint; quinque annos, et totidem quadragenas. Qui vero Corpora defunctorum tam Confratrum, et Conſororum, quam aliorum, ad ſepulturam aſſociaverint, et pro eorum animabus Deum oraverint; centum dies. Quoties vero prædicti Confratres Officium ejuſdem B. M. V. devote recitaverint; ſimiliter centum dies. Qui vero Miſſis, & aliis divinis officiis, in Eccleſia, vel Capella aut Oratorio dictæ Confraternitatis pro tempore celebrandis & recitandis, ſeu Congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, aut eis in eorum neceſſitatibus, vel in periculo peccandi exiſtentibus, auxiliati fuerint, aut eleemoſynas temporales, vel ſpirituales eiſdem dederint, vel pacem cum inimicis propriis, vel alienis compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, aut devium aliquem ad viam reduxerint, & ignorantes Dei præcepta, & ea quæ ad ſalutem ſunt docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint; toties pro quolibet prædictorum piorum operum centum dies

de

de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet iis debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Ac dilecto filio nunc, & pro tempore exiſtenti Priori Generali dicti Ordinis Carmelitarum, vel illo abſente, ejus Vicario Generali, ut hujuſmodi Confraternitatem B. M. de monte Carmelo ubivis locorum extra Urbem erigere, & inſtituere, illiſque omnes ſupradictas Indulgentias, & gratias ſpirituales (ſervata tamen forma præſcripta in Conſtitutione fel. rec. Clementis Prædeceſſoris ſuper dictarum Confraternitatum aggregationibus, & Inſtitutionibus edita) communicare ſimiliter libere & licite poſſit, & valeat, auctoritate Apoſtolica, & tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 30. Octobris 1606. Pontificatus noſtri anno II. Hinc colliges inſpecto Clementis VIII: ſtatuto de forma communicandi Indulgentias Confraternitatibus non poſſe ſuſtineri aſſertum Lezanæ *in ſumm. quæſt. Regular. part. 2. cap. 15. n. 11.* quod licet nequeant ab Ordinibus Regularibus, & Archiconfraternitatibus inſtituentibus, & aggregantibus, omnes gratiæ & Indulgentiæ quocunque modo eiſdem conceſſæ erectis, & aggregatis Confraternitatibus communicari; adhuc Confraternitates erectæ, & aggregatæ poſſunt illis frui, & gaudere: quoniam (ut ipſe putat) aperte non declarat Summus Pontifex laudatus ſe prædictas gratias & Indulgentias ab Ordinibus Regularibus ſeu Archiconfraternitatibus per communicationem Confraternitatibus erectis attributas abrogare. Clariſſime enim in hac Conſtitutione decernitur, erectiones atque aggregationes a ſtatutis ibi legibus declinantes nullo modo valere, ac per conſequens etiam Indulgentiarum communicationes, erectis aggregatis Confraternitatibus non prodeſſe=§. 12. *Quod ſi Miniſtri, aliique Superiores, vel Officiales quocunque nomine nuncupati Ordinum, Religionum, Inſtitutorum, ſeu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum hujuſmodi, quavis authoritate vel privilegio, & officio fungantur, & præfulgeant, contra præmiſſa in aliquo venire, vel facere præſumſerint; erectiones, inſtitutiones, communicationes privilegiorum, Indulgentiarum, facultatum, ſpiritualiumque gratiarum, & indultorum, aliorumque præmiſſorum conceſſiones, necnon aggregationes per ipſos faciendæ, ſeu renovandæ, nullius ſint roboris, & momenti.* Idem declaravit S. Congregatio Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum ſequenti Decreto = *Sacra Congregatio Indulgentiis ac Sacris Reliquiis præpoſita, cujus præcipua cura eſt, ut ſublatis ambiguitatibus, fallaciis, & ea, quam multitudo parere ſolet confuſione, unuſquiſque fidelium certis minimeque dubiis Indulgentiis perfruatur; inhærendo Apoſtolicis Conſtitutionibus, nimirum felic. rec. Clem. VIII. cujus initium: Quæcunque &c. & 68. Pauli V. incipien. Quæ ſalubriter &c. declarat nulli Ordini, Congregationi, Societati etiam Jeſu, Capitulo, Archiconfraternitati, Confraternitati, vel cœtui cuicunque, neque eorum Superioribus, Officialibus, ſeu Miniſtris, aliiſque perſonis quibuſcunque etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis licuiſſe, nec inpoſterum quandocunque liciturum ullas Indulgentias aliis communicare, niſi eas quæ a memorato Paulo, vel ejus ſucceſſoribus Romanis Pontificibus præſcriptæ, & conceſſæ, ſeu antea conceſſæ, poſtea ſpecialiter renovatæ, ſive in ſpecie confirmatæ fuerint: etiamſi facultas illas communicandi eis a S. Sede Apoſtolica cum quibuſvis clauſulis, & Decretis, ante emanatam Pauli præfatam conſtitutionem conceſſa fuiſſet. Communicationes autem Indulgentiarum eo, quem diximus modo tum hactenus factas, tum quæ deinceps quandocunque fient, nullas, nulliuſque roboris, & momenti eſſe, & fore: eaſdemque communicationes nullas pariter, minimeque ratas, & validas futuras, niſi ſervata forma ſupradictæ Conſtitutionis Clementis VIII. cum ſpecifica, & individua expreſſione Indulgentiarum, quæ communicantur*

tur &c.(& paucis interjectis vebis eadem Conſtitutio poſtea ſic proſequitur).*Declarat inſuper Regulares quoſcunque, cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam Jeſu, ac inſtituti, etiam ſpecifica, & individua mentione digni, & digna non potuiſſe, nec poſſe Confraternitatibus, Sodalitatibus, aliiſque ſimilibus Congregationibus quibuſvis tam hactenus erectis, & inſtitutis, quam inpoſterum quandocunque erigendis, & inſtituendis, ſive quorumcunque privilegiorum vigore aggregatis, & aggregandis, ullo modo communicare Indulgentias ipſis Regularibus conceſſas: ſed tantum illas, quas ut hujuſmodi Confraternitatibus, Sodalitatibus, ſeu aliis ſimilibus Congregationibus communicent, facultas eis ſpecifice, & nominatim per Sedem Apoſtolicam conceſſa fuerit. Die 16. Martii 1671. Et die 19. ejuſdem Menſis facta relatione ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum; Sanctitas ſua ſententiam Sacræ Congregationis approbavit, & ita ſervari mandavit. F. M. Cardinalis Brancatius Præfectus. Michael Angelus Riccius Secretarius.*

Ne Ordines Regulares, & Archiconfraternitates in Confraternitatum nova inſtitutione, vel aggregatione a norma Statutorum Clementis VIII. deflectant; duas hic adnectimus formulas, unam ab Ordinibus Regularibus inſtituentibus adhibitam, aliam pro Archiconfraternitatibus aggregantibus paulo diverſam: quam uſu receptam, ac comprobatam teſtatur Cherubinus in *Compend. Bullar. Roman. in not. ad hanc Clement. VIII. Conſtitution.*

Formula ab Ordinibus Regularibus adhibenda pro Confraternitatibus inſtituendis.

F. N. Generalis Ordinis N. Omnibus præſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Religio noſtra cum inter alia privilegia, quibus a S. Sede Apoſtolica decorata eſt, facultatem habeat ſecularium Confraternitatem ſub invocatione N. nuncupatam erigendi, eique ſpirituales gratias, privilegia, Indulgentias communicandi, in hujuſmodi Confraternitatibus inſtituendis, ſi ad Chriſtifidelium ſalutem promovendam expedire animadverterit; liberalem ſe præbere conſuevit. Nos igitur qui generalem totius Ordinis curam gerimus, ſperantes fore, ut ex hac ſpiritualium gratiarum participatione Chriſtifideles ad devotionem, & pietatem magis excitentur; auctoritate nobis a Summis Pontificibus conceſſa, Confraternitatem N. de conſenſu Ordinarii loci, qui ejuſdem Confraternitatis Inſtitutum, pietatem, ac Religionem literis patentibus nobis nunc exhibitis commendavit; (dummodo tamen alia ſimilis in ipſo, vel alio ad tria milliaria propinquo loco, hactenus erecta non fuerit,) per præſentes noſtras erigimus, illique, & pro tempore exiſtentibus utriuſque ſexus Confratribus elargimur, & communicamus illas Indulgentias, & gratias ſpirituales, illaque privilegia, quæ a Romanis Pontificibus eidem Confraternitati conceſſa fuerunt, & nunquam revocata: & in ſpecie privilegia conceſſa a N. in Bulla quæ incipit &c.: ut videlicet Confratres noſtri præter alias gratias intra formam, ac tenorem Conſtitutionis a Clemente VIII. emanatæ Romæ ſub die 7. Decembris MDCIV. quæ incipit: Quæcunque a Sede Apoſtolica: Inſuper eiſdem Confratribus communicamus Indulgentias, & gratias ſpirituales inferius deſcriptas nominatim, & expreſſe per Breve Pauli V. felicis recordationis tenore ſequentium.(Hic inſeritur tenor literarum Apoſtolicarum Pauli V., in quibus nominatim Indulgentiæ pro Confratribus conceſſæ ſunt: necnon alterius, vel aliorum Pontificum, ſi hujuſmodi conceſſiones ad hunc effectum obtentæ fuerint.) *Quibus Omnibus Indulgentiis, & ſpiritualibus gratiis ſuprapoſitis Confraternitatem ipſam per nos erectam, ejuſque Confratres, & Conſorores potiri, & gaudere decernimus juxta prædictam Bullam Clementis VIII. In quorum teſtimonium has literas manu noſtra, & per Secretarium noſtrum ſubſcribi & publicari mandamus, ſigilloque officii noſtri muniri. Cum hac tamen expreſſa declaratione, & non aliter prædictam Confraternitatem erigimus & fundamus:*

quod

quod ſi Confratres prædictæ noſtræ Sodalitatis in locis, ubi Religio noſtra Ecclesias non habet, fundatæ, aut erectæ aliquo pacto, aut quæſito colore per ſe, vel per alios directe, vel indirecte fundationi, ſeu acquiſitioni alicujus noſtræ Eccleſiæ, & Conventus ibidem, vel ad tria circumcirca milliaria inpoſterum forte fundandi, vel acquirendi ſe oppoſuerint, contradixerint, ſeu aliquod impedimentum attulerint, aut ſe opponere, contradicere, ſeu impedimentum aliquod afferre tentaverint; tunc, & nunc pro tunc irrita caſſa, & nulla, nulliuſque roboris, & momenti ipſo facto, prædicta erectio, ſeu fundatio ſodalitatis reddatur, & ſit, ac ſi nunquam fundata, aut erecta fuiſſet: ac inſuper quod ad Eccleſiam a Religione de novo adeptam, eadem Confraternitas prius erecta cum omnibus ſuis bonis mobilibus, & immobilibus quomodolibet acquiſitis, ſtatim transferatur, & tranſlata intelligatur. Quam conditionem Superiores, & Officiales tum Eccleſiæ, in qua reperitur Confraternitas, tum ejuſdem Confraternitatis, admittere, & manu propria ſubſcribere teneantur. Quæ omnia in Inſtrumento publico manu Notarii faciendo poni debent, & explicari in Nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In quorum fidem has præſentes literas officii noſtri ſigillo munitas manu propria ſubſcripſimus. Datum &c. N. Generalis. N. Secretarius.

Formula ab Archiconfraternitatibus aggregantibus obſervanda.

Dilectis nobis in Chriſto Confratribus Societatis N. in Eccleſia N. auctoritate N. canonice erectæ ſalutem in Domino ſempiternam. Nos qui juxta Officii noſtri debitum fidelium ſalutem, pietatiſque, ac Religionis progreſſum procurare debemus; libenter noſtræ Archiconfraternitati alias ejuſdem Inſtituti Confraternitates adjungimus, & aggregamus: illiſque ſic aggregatis Indulgentias, facultates, ac alias ſpirituales gratias, & indulta juxta facultatem nobis a Summis Pontificibus conceſſam impartimur. Qua de re cum D. N. ejuſdem Confraternitatis Procurator aggregationem hujuſmodi, & Indulgentiarum communicationem enixe poſtulaverit; Nos Protector, Prior, & Cuſtodes prædicti totam ipſam Archiconfraternitatem repræſentantes felic. record. Clementis Papæ VIII. Conſtitutioni ſuper hujuſmodi aggregationum, & cæleſtis Eccleſiæ Theſauri communicationum moderationi nuper editæ inhærentes; his noſtris literis ſolo Dei amore, ac pietatis, Religioniſque Chriſtianæ augendæ zelo ducti, Confraternitatem prædictam canonice, ut ſuperius erectam, attentis Epiſcopi ſeu Ordinarii loci conſenſu, ac literis teſtimonialibus, quibus ejus inſtitutum, pietas, ac Religio commendantur; noſtræ Archiconfraternitati (dummodo per nos ſimilis gratia prius alteri in dicto N. conceſſa, & tempore hujus conceſſionis alii Archiconfraternitati aggregata non fuerit) juxta facultatem Apoſtolicam nobis conceſſam adjungimus, & aggregamus: atque illi, ejuſque Confratribus Indulgentias, & ſpirituales gratias infra ſingillatim deſcriptas, noſtræ Archiconfraternitati Literis Pontificiis nominatim expreſſe & præciſe conceſſas largimur, & communicamus: (Hic inſeritur tenor Literarum Apoſtolicarum Pauli V., in quibus nominatim Indulgentiæ Archiconfraternitati & ſocietati aggreganti conceſſæ ſunt). *Quibus omnibus Indulgentiis, & gratiis ſpiritualibus ſingillatim deſcriptis prædicta Confraternitas uti, potiri, ac gaudere poſſit, juxta Conſtitutionem fel. rec. Clementis Papæ VIII tenoris ſequentis* (Hic inſeritur totus tenor hujus Conſtitutionis Clementis VIII.) *Volentes, & decernentes præſentibus literis noſtris eandem fidem adhiberi, quæ præinſertis literis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium has literas noſtras exinde fieri, & per noſtræ Archiconfraternitatis Secretarium ſubſcribi, & publicari mandavimus, & ſigillorum ipſius Protectoris, & Archiconfraternitatis juſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in loco*

loco ſolitæ noſtræ Congregationis Anno &c. Indictione &c. Die &c. Menſe &c. Pontificatus Sanctiſſimi &c. Præſentibus &c.

Hinc colliges Ordines Regulares, & Archiconfraternitates, quæ ſocietates, & Congregationes inſtituunt, & aggregant, antiquas Indulgentias ſibi conceſſas, & a Paulo V. poſtea revocatas communicare non poſſe, eiſque gaudere; niſi afferant documenta, ex quibus evincatur Sedem Apoſtolicam Indulgentias innovantem memoratæ revocationi derogaſſe. Verum ut innoteſcat, quibus clauſulis Literæ Apoſtolicæ hanc derogationem aperiant; inutile non erit Breve Gregorii XV. pro Indulgentiis Confratrum Cincturatorum per extenſum afferre = *Injuncti Nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, ut Archiconfraternitatum quarumlibet paternam curam gerentes, privilegia, gratias, Indulgentias, facultates, & indulta illis a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris, & Apoſtolica Sede conceſſa, quo validius perpetuo ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis munimine roboremus: illaque de novo concedamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exbibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Marci Antonii Viani Profeſſoris Ordinum Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, Cuſtodis, ac Rectoris, & Officialium Archiconfraternitatis Cincturatorum, & Cincturatarum nuncupatæ, ejuſdem* S. AUGUSTINI, *&* S. MONICÆ, *ſub invocatione B. Virginis* MARIÆ *de Conſolatione nuncupatæ, in Eccleſia S. Jacobi Bononienſis canonice inſtitutæ, petitio continebat: quod dudum eidem Archiconfraternitati, & Confraternitatibus ei legitime aggregatis diverſa privilegia, gratiæ, & Indulgentiæ a fel. rec. Gregorio XIII. & Gregorio XIV., ac diverſis aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris conceſſa, ac illis de licentia, a piæ memoriæ Clemente Papa VIII. etiam prædeceſſore Noſtro babita, in lucem editis, & impreſſis, Archiconfraternitas, & Confraternitas prædictæ, ac earum Confratres uſi, & gaviſi fuerunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Marcus Antonius, & Rector, ac Officiales præfati plurimum cupiant, eadem privilegia, gratias, & Indulgentias, ad boc, ut inpoſterum firmius ſubſiſtant, Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ patrocinio communiri; pro parte eorundem Marci Antonii, & Rectoris, ac Officialium Nobis fuit bumiliter ſupplicatum, quatenus privilegia, gratias, & Indulgentias bujuſmodi approbare, & confirmare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Chriſtifidelium quorumlibet devotionem, & religionem vigere ſinceris deſideramus affectibus, Marcum Antonium, & Rectorem, ac Officiales præfatos, eorumque ſingulos, ac Archiconfraternitatis bujuſmodi ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab bomine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, barum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; necnon ſingulorum privilegiorum, indultorum, gratiarum, & Indulgentiarum bujuſmodi, necnon literarum deſuper confectarum, tenores etiam veriores, ac Dat. præſentibus, pro expreſſis babentes; bujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula, privilegia, Indulgentias, prærogativas, facultates, gratias, & indulta quæcunque eidem Archiconfraternitati, ſive aliis quoruncunque locorum Confraternitatibus ei debite annexis, & illius, ſive illarum utriuſque ſexus Confratribus Cincturatis pro tempore exiſtentibus tam per Gregorium XIII. & Gregorium XIV., quam quoſcunque alios Romanos Pontifices prædeceſſores Noſtros, quandocunque, & quomodocunque etiam per viam, & modum extenſionis, ampliationis, & communicationis, ac alias ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis bactenus quomodolibet conceſſu, & aliquando revocata, ac ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, reſtrictionibus, limitationibus, ac modificationibus, auctori-*

tate Apoſtolica, etiam quandocunque, & qualitercunque factis, comprehenſa, decretis tamen Concilii Tridentini non repugnantia, necnon literas deſuper emanatas, eadem auctoritate tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac innovamus, eiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: & nihilominus pro potiori cautela, illa omnia, cum eorum extenſionibus, ampliationibus, & communicationibus prædictis, de novo etiam perpetuo concedimus. Decernentes præſentes, & deſuper conficiendas literas ſemper, & perpetuo validas, & efficaces eſſe, & fore: neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum, Indulgentiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, & per Nos, vel alios Romanos Pontifices ſucceſſores Noſtros, etiam in craſtinum aſſumtionis eorundem ſucceſſorum ad ſummi Apoſtolatus apicem, ſub quibuſcunque verborum expreſſionibus, & formis, etiam motu prorio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, pro tempore quomodolibet factis, comprehendi, vel confundi: ſed tanquam pro piorum operum augmento, ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de novo, etiam ſub quacunque poſteriori Dat. per Cuſtodem, & Rectorem, ac Officiales dictæ Archiconfraternitatis nunc, & pro tempore exiſtentes, quandocunque eligenda conceſſas eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere. Sicque per quoſcunque Judices, & Commiſſarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos judicari, & diffiniri etiam debere: irritum quoque, & inane quicquid ſecus, ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in provincialibus Conciliis editis generalibus, & ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac quibuſvis ſuſpenſionibus, revocationibus, & reſtrictionibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, roboris, adjectionis, conceſſionis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit; indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXI. tertio Non. Junii Pontificatus Noſtri Anno Primo.

A. Socrſovius.

Hujus Brevis occaſione ſuper ipſius intelligentia acerrimam controverſiam ſub Clemente X. novimus excitatam, & Sacræ Congreg. Indulgentiarum decreto penitus diremtam: quam hic integram cum utriuſque partis rationibus duximus referendam.

Inſtituta jam fuit anno MCCCCXLVI. ab Eugenio IV. Cincturatorum S. Auguſtini & S. Monicæ Confraternitas, poſtea in Archiconfraternitatem erecta ſub invocatione B.V. Mariæ de Conſolatione in Eccleſia S. Jacobi Bononiæ. Cum vero revocatis antiquis Indulgentiis, noviſque conceſſis a Paulo V. Ordinibus Regularibus, & Archiconfraternitatibus erigentibus & aggregantibus aliis ejuſdem inſtituti Confraternitates, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Fratres a nonnullis locorum Ordinariis traducerentur, eo quod Cincturatos tuto frui ac gaudere poſſe Indulgentiis a Pontificibus Pauli V. prædeceſſoribus eiſdem conceſſis exiſtimarent, idque fidelibus ſuaderent; Sacra Congregatio negotiis Regularium, & Epiſcoporum conſultationibus præpoſita, die 23. Martii MDCXXIX., datis literis ad Priorem Generalem dicti Ordinis, mandavit, ut Fratribus ſuis in Regno Neapolitano degentibus ſignificaret, ne alias pro Cincturatis Indulgentias, quam a Paulo V. conceſſas publicarent. Verum cum Fratres iidem Indulgentias antiquas Brevi ſupra allato Gregorii XV. confirmatas, ac innovatas eſſe contenderent; re ad Sacram Congregationem Indulgentiarum delata, Indulgentiiſque ad examen revocatis, ſub die 17. Aprilis MDCLXXIII. propoſitum fuit dubium = *An Indulgentiæ*

tiæ Confraternitati Cincturatorum a Summis Pontificibus conceſſæ, & a Paulo V. revocatæ, ſint poſtea priſtino valori reſtitutæ?

Non pauca obſtabant juxta quoſdam non infimæ notæ Doctores Indulgentiarum valori. 1.° Literæ Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium: cum credendum non ſit eo Sacram Congregationem deveniſſe, ut inaudito Priore Generali hujuſmodi ſpiritualium gratiarum promulgationem prohiberet: quin imo veroſimile fuerit eundem ante eas ſcriptas literas Breve Gregorii XV. exhibuiſſe. Obſtabat 2.° ipſummet Breve Gregorii XV. ſine prævia cauſæ cognitione emanatum, ut illa verba indicant = *Decretis tamen Concilii Tridentini non repugnantia* = *quæ* (ut inquit Barboſa *in tract. de clauſul. clauſul.* 124. *n.* 7.) *non apponuntur in gratiis, quæ ex certa ſcientia conceduntur: quia quando Papa habet certam ſcientiam, & adhibet cauſæ cognitionem, etiam cognoſcit an privilegia ſint contra Decreta Concilii* = & citat Rotam *deciſ.* 40. *par.* 2. *in poſthum. Farinacii*, *alias p* 4. *recent.* = Obſtabat 3.° Gregorium in allato Brevi enarrare a Rectore & Officialibus Archiconfraternitatis Cincturatorum fuiſſe ſibi ſupplicatum pro Indulgentiis Cincturatorum, quas Gregorius XIII. & XIV., aliique Pontifices conceſſerant, ut illæ *firmius* ſubſiſterent: quaſi minime fuiſſent a Paulo V. revocatæ, & adhuc ſuum valorem obtinerent: = *cum autem, ſicut petitio ſubjungebat, Marcus Antonius, & Rector, ac Officiales præfati plurimum cupiant, eadem privilegia, gratias & Indulgentias, ad hoc ut inpoſterum firmius ſubſiſtant, Noſtro & Sedis Apoſtolicæ patrocinio communiri; pro parte eorundem Marci Antonii, & Rectoris, ac Officialium Nobis fuit humiliter ſupplicatum &c.* = Patuiſſet autem Gregorio nullas eſſe Indulgentias aſſertas, ſi mediocrem ſaltem diligentiam in earundem examine adhibuiſſet. Quamobrem cum Gregorius ſine prævio examine privilegia, gratias, Indulgentias, facultates, & indulta hactenus, ut ipſe ait, quomodolibet conceſſa confirmet, innovetque; confirmatio & innovatio ad Pauli V. Indulgentias pertinere videntur, quæ vere revocatæ non erant: atque ad valida, & firma, quæ in uſu erant, non vero ad revocata, & nulla referuntur: ex celebri doctrina Butrii, quam affert Barboſa *clauſ.* 59. *n.* 54., plures citans Doctores, Romanæque Rotæ deciſionem. Suarius etiam *lib.* 8. *de legib. cap.* 20. *n.* 5. = *Incredibile eſt*, inquit, *Pontificem in generali loquentem, & ſine cauſæ cognitione intendere nova privilegia concedere.* = Per Breve itaque Gregorii, neque privilegia, quæ in uſu non erant, neque revocatæ a Paulo V. Indulgentiæ innovantur & confirmantur, ſed privilegia duntaxat valida, & firma: ideoque Breve illud refertur tantum ad Pauli Indulgentias, quas ſolas Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium citata promulgandas eſſe merito decrevit. Obſtabat 4.° quia clauſulæ illæ: *motu proprio*: *ex certa ſcientia*: *de plenitudine poteſtatis*: aliæque hujuſmodi vim non obtinent revocatorum redintegrativam in iis, quorum notitiam non habet Princeps: ut ex Felino, Decio, Pariſio, aliiſque Doctoribus probat Felicianus de Oliva *p.* 1. *de for. Eccleſiaſt. q.* 40. *n.* 7.: qui *n.* 42., *& ſeqq.* addit ſi de hac Principis notitia tantummodo conſtet ex clauſulis generalibus *ex certa ſcientia*, & ſimilibus; ad invalida non extendi, ſed ſolum validis conceſſionibus vim, & robur afferre. Quare rationi conſonum non eſt Gregorium, qui Oratorum ſupplicationibus deceptus comperitur, ſibi fingere de privilegiis & Indulgentiis inſtructum, quas generatim ſine ullo prorſus examine confirmavit. Et profecto Summi Pontifices, ac Principes, dum leges generales ferunt; inſolita cogitare non probantur, ſi ea clare non exprimunt. Quod enim ſemel, aut bis exiſtit, compertum eſt Legislatores ſilentio præterire: *l.* 6. *ff. de legib.* = *Caſus inſoliti* (ait Felicianus *n.* 50.) *non cenſentur cogitati in genere, & multo minus in ſpecie per textum in l. fiſtulas §. frumenta ff. de contrah. emt.* = Et Gotofredus in notis ad eam legem inquit = *Hinc nonnulli etiam colligunt, ſermonem quantumvis generalem nunquam intelligi de inſolitis: neque enim cogitatum videri poteſt de iis, quæ nonniſi raro accidunt: l.* 4. *& ſeq. ff. de legib.* = Tandem Mandoſius *in reg.* 4. *Cancellar. q.* 7. *n.* 11. = *Revocatio*, inquit, *non debet includere caſum in-*

incogitatum a Papa, ad ea quæ pulchre adducit Oldradus conſ.266. n.6.: & tanto minus videtur Papa cogitaſſe, cum gratiæ hujuſmodi raro concedantur: ad tradita per eundem Oldradum = Hinc inferri videbatur, clauſulam generalem: *non obſtantibus quibuſvis revocationibus*: aliaſque ejuſdem generis in Brevi Gregorii inſertas revocationem inſolitam per raro factam minime complecti: qualis jure optimo appellari poteſt percelebris Pauli V. revocatio in executionem Conſtitut. Clementis VIII., quam nuper obſervavimus. Breve revocationis legi poteſt apud Lavorium in *tract. de Indulg. p. 2. cap. 14. n. 99.* ab initio enim Pontificis laudati ad Gregorii XV. ætatem uſque adeo ratum erat Apoſtolicæ Sedi, quod ſingulari maturitate de Archiconfraternitatum Indulgentiis Clemens ſtatuerat, & ad ipſius mentem Paulus præſcripſerat; ut vix ſemel, & iterum ejuſmodi legis revocatio valeat reperiri. Igitur in Brevi ſic illæ clauſulæ generales ſunt accipiendæ, ut per eas noluerit Gregorius XV. veteres & revocatas a Paulo V. Indulgentias priſtino valori reſtituere, ac præter Apoſtolicæ Sedis morem, factum Clementis, & Pauli penitus abrogare. Maxime quia veroſimile non eſt, ut oſtendit Barboſa *clauſul. 83. in fin.*, Principem velle legi diu excogitatæ derogare: & ideo Felicianus de Oliva ſupralaudatus *n. 56.* negat clauſulam: *quorum tenores*: in inſolitis operari: & ex eodem capite negat Barboſa clauſula 59. *n. 54.* verba: *Innovamus: & pro majori cautela concedimus*: ſine prævio examine & cauſæ cognitione (ut in caſu noſtro contingit) vim innovationis novæque conceſſionis habere: oſtendens validis duntaxat actibus, non vero revocatis robur afferre. Quæ omnes rationes conſulto afferebantur, ut innoteſceret Breve Gregorii XV. pro Confratribus Cincturatis emanatum eſſe ſubreptitium: cum in ſupplicantium narratione manifeſta falſitas appareat. Indulgentias proinde, aliaſq; gratias ſpirituales, quas priſtino valori reſtitutas Fratres Eremitarum Ordinis S. Auguſtini arbitrabantur; inſolitas eſſe, & a Gregorio non excogitatas: adeoque ex ejus mente minime conceſſas, & innovatas.

Hæc ſunt rationum argumenta contra eas Indulgentias tunc adducta. Ex adverſo tamen, ſcribentibus ad cauſæ Cincturatorum patrocinium Alexandro Caprara, P. Franciſco Scotto, Angelo Rodulphino Curiæ Romanæ Advocatis, D. Victorio Advocato Bononienſi, Jacobo Pignatello Parocho S. Mariæ de Planctu Urbis; favebat tenor conceſſionis Gregorii XV. ſatis clarus alia explicatione non indigens = *Omnia & ſingula privilegia, Indulgentias ... eidem Archiconfraternitati ... tam per Gregorium XIII., & Gregorium XIV., quam quoſcunque alios Romanos Pontifices .... conceſſa, & aliquando revocata, ac ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus ...... auctoritate Apoſtolica etiam quandocunque, & qualitercunque factis comprehenſa, decretis tamen Concilii non repugnantibus, necnon literas deſuper emanatas eadem auctoritate tenore præſentium perpetuo approbamus, confirmamus, ac innovamus, eiſque perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: & nihilominus pro potiori cautela illa omnia cum eorum extenſionibus, ampliationibus, & communicationibus prædictis denuo etiam perpetuo concedimus.* = Cum enim Pauli V. revocatione hæc conceſſio poſterior ſit: inſuper cum poſt adjectam clauſulam: *ſub quibuſcunque revocationibus comprehenſa*: ad earundem confirmationem procedat; infertur Gregorium XV. antiquas eas Indulgentias confirmaſſe: ex notatis a Felino *in cap. Nonnulli* 28. *circa medium verſ. quia in confirmat. de reſcript.* Idque pariter citra ullam difficultatem ex aliis circumſtantiis, & adminiculis colligitur: ex quibus certa ſcientia in Summo Pontifice privilegia, aliaſque gratias confirmante dignoſcitur: Surdus *conſ.* 19. *n.* 36. Rota *coram Bichio deciſ.* 30. *n.* 30. *& trib. ſeqq.* Et Zachias *de obligat. deciſ.* 189. *n.* 21.: ubi optime diſtinguitur: aliud eſſe ſcientiam dici præſumtam, aliud vero eam præſumtionibus, atque conjecturis probari. Et quidem hujus ſcientiæ validum indicium eſt, quod Gregorius ex Bononiæ Patritiis in viridi ætate conſtitutus, inter Sodales Archiconfraternitatis Cincturatorum recenſebatur eo tempore, quo Gregorius XIII. & XIV. eximiis Indulgentiarum conceſſionibus

eam

Digitized by Google

eam ditaverunt: unde præſumebatur de illis plene informatus: Bartholus *in l. is poteſt* 18. *n.* 16. *in fine verſ. ſed ſi non eſſet vicinus ff. de acquiren. hæredit.* Riminaldus *conſ.* 190. *num.* 8. Maſcardus *de probationibus concluſ.* 195. *n.* 4.

Nec ambigi poteſt certam fuiſſe ſcientiam in Gregorio: nam antequam Summum Pontificatum obtineret, Archiepiſcopus Bononienſis fuit: ad ipſum proinde juxta Concilii Tridentini ſtatutum ſpectabat, Regularium & Confraternitatum Indulgentias promulgare: quo ſuppoſito hujuſmodi ſpirituales gratiæ cenſeri debent ab eodem confirmatæ. Ita conſuluit Bartholus *conſ.* 196. *vol.* 1. pro confirmatione facta ab Innocentio III., quantum ad conceſſionem ab ipſo editam favore Civitatis Camerinenſis, dum in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus, Legationis in Provincia Piceni fungeretur honore: quem ſequitur Ruin. *d. conſ.* 31. *ſub n.* 5. *verſ. & tanto magis lib.* 1. Poſita autem ſubinde tum Indulgentiarum tum aliarum gratiarum favore Archiconfraternitatis Cincturatorum confirmatione ex certa ſcientia; certum eſt eas ad priſtinum valorem reduci: per textum *in cap.* 1. *de tranſact. ubi Gloſſa in V. auctoritate, & in cap. veniens V. confirmatum eodem tit.* Felinus in *cap. inter dilectos* 6. *ſub n.* 14. *de fide inſtrumentor.* Pariſius *conſil.* 3. *n.* 38.

Apertiſſime præterea voluntas redintegrandi antiquas Gregorii XIII., & XIV., & aliorum Pontificum Indulgentiarum conceſſiones apertiſſime colligebatur ex eo, quod Gregorius XV. expreſſerit = ſe etiam de novo concedere *hactenus quomodolibet conceſſa, & aliquando revocata, & ſub quibuſvis revocationibus & limitationibus comprehenſa* = Quamobrem providus Pontifex non tantum de revocatione in genere cogitavit (qua non obſtante eaſdem conceſſiones confirmavit) ſed etiam in ſpecie dum verbum *revocata* inſeruit, & particulam *aliquando* appoſuit, ut ſignificaret una vice, in quam dictio *aliquando* reſolvitur. Itaque ſi Gregorius Indulgentias Cincturatorum innovavit hæc adhibens verba *quomodolibet conceſſa & aliquando revocata*; non potuit niſi de Pauli V. revocatione cogitare, eique derogare: cum alii Pontifices a Gregorio XIII., & XIV., ac Clemente VIII. earum Indulgentiarum fuerint propagatores: nullaque alia Indulgentiarum abrogatio cum Pauli V. revocatione concurrat, quæ hanc valeat confundere aut dubitationi aditum aperire: an Gregorius ita loquens aliam potius quam iſtam duxerit abrogandam. Imo rationabiliter credendum eſt, Gregorium patria Bononienſem pie motum devotione erga celebrem Archiconfraternitatem Cincturatorum in ſua Patria fundatam, atque ipſius Pauli V. exemplo ductum (qui Indulgentias Confraternitatis Roſarii non obſtante priori revocatione confirmavit Conſtitutione incipiente *Cum olim* data die 20. Septembris MDCVIII. ut refert Paſſerinus *tract. de Indulg. q.* 108. *n.* 872.) Indulgentias dictas innovaſſe cum toto illo affectu, quem clauſulæ efficaciſſimæ in ſuo Brevi inſertæ demonſtrant.

Scientiæ vero defectus, qui in Gregorio præceſſiſſe contendebatur; non poteſt evinci ex præſumta falſitate Officialium ſupplicantium, ut Archiconfraternitatis Indulgentiæ majus firmitatis robur obtinerent, quam antea habuiſſent: ac ſi doloſe iidem tacuiſſent earum revocationem. Hæc enim ſupplicationis ſubreptio non ſubſiſtit: cum conſtet ex illarum precum relato ſenſu, Confratres Cincturatos dictis Indulgentiis uſos aliquando fuiſſe: at minime in ea exprimitur, quod ipſi tunc temporis iis uterentur. = *Petitio continebat* (verba Gregorii ſupplicationem narrantis) *quod dudum eidem Archiconfraternitati, & Confraternitatibus ei legitime aggregatis diverſa privilegia, gratiæ, & Indulgentiæ a fel. rec. Gregorio XIII., & XIV., ac diverſis aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris conceſſa, ac illis de licentia a piæ memoriæ Clemente Papa VIII. etiam prædeceſſore Noſtro habita, in lucem editis, & impreſſis Archiconfraternitas, & Confraternitas prædictæ, ac earundem Confratres uſi, et gavisi fuerunt.* = per quæ verba certe non innuitur eos Indulgentiis Gregorii XIII. & XIV., aliorumque Pontificum tempore ſupplicationis uti: ſed ſolum uſos aliquo tempore fuiſſe. Imo valde veroſimile eſt in ipſamet ſupplicatione expreſſe fuiſſe factam mentionem revocationis Pauli V., ean-

eandemque a Gregorio, ob reverentiam ſuo prædeceſſori debitam, ſilentio fuiſſe prætermiſſam: cum ex alia parte ad derogandum dictæ revocationi efficaciſſimas clauſulas adhibuerit, quæ Indulgentiarum, ac privilegiorum confirmationem, ac etiam de novo conceſſionem in ampliſſima forma declararent.

Nec officit clauſula = *Decretis Concilii Tridentini non repugnantia.* = Ea ſiquidem præter ſimilia exempla, & ſignanter in Conſtitutione 41. S. Pii V., 51. Clementis VIII. 23. Pauli V., & 42. ejuſdem Gregorii XV.; de ſtilo ſolet potiſſimum in privilegiorum Regularium confirmationibus adhiberi : ut teſtatur Quaranta cum aliis Doctoribus apud Barboſam *tr. de clauſul. clauſul.* 124. *n.* 3.: qui addit dicta verba ad nullum alium effectum appoſita videri, quam ad firmandam regulam in contrarium: ita ut privilegia omnia aliis Conciliis, Tridentino excepto, contraria confirmata intelligantur: & *num. 6.* docet in privilegiorum confirmationibus expreſſam ejuſdem Concilii mentionem fuiſſe neceſſariam, ne per clauſulam in ipſis apponi conſuetam *non obſtantibus &c.* dicti Concilii decretis ſit derogatum.

Quod attinet ad literas Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium; parum urgere videtur : quia cauſa hæc non fuit mature diſcuſſa a dicta Congregatione, neque prævio examine Gregorii Breve in eadem ponderatum. Cujus ſignum eſt, quod non emanavit aliqua declaratio, ſive decretum: ſed ſimplex epiſtola ad evellendos abuſus, qui circa ejuſmodi privilegia in Regni Neapolitani partibus irrepſerant.

Ex quibus omnibus patebat, Breve Gregorii XV. editum in favorem Cincturatorum ſubreptionis, aut obreptionis vitio minime laborare: adeoque Indulgentias Cincturatorum a Paulo V. revocatas priſtino valori valide, & legitime fuiſſe a Gregorio XV. reſtitutas.

Juribus hinc inde adductis, ac utraque parte (ut moris eſt) audita; Sacræ Congregationis Indulgentiarum reſolutio ſic emanavit = *Nihil obſtare, quominus Archiconfraternitatis, & Confraternitatum hujuſmodi* (Cincturatorum) *Confratres omnibus, & ſingulis Indulgentiis per eaſdem Gregorii XV. prædeceſſoris literas confirmatis, & innovatis uti, & frui poſſent, ac deberent : non obſtante Pauli V. revocatione.*

Cæterum cum in Brevi Gregorii XV. Indulgentiæ Cincturatorum a Romanis Pontificibus jam conceſſæ non exprimerentur; eadem Sacra Congregatio mandavit per Joſephum Euſanium Epiſcopum Porphyrienſem Sacrarii Apoſtolici Præfectum, & Julium Mariam de Blanchis Ordinis Prædicatorum in Sacra Theologia Magiſtrum, dictæ Sacræ Congregationis Conſultores, ſingulas hujuſmodi Indulgentias ex originalibus Summorum Pontificum literis, aliiſque authenticis documentis colligi, ut inpoſterum ad formam Conſtitutionis Clementis VIII. incipientis: *Quæcunque*: poſſent communicari : ita tamen, ut ſi de nonnullis Indulgentiarum capitibus non convenirent; quælibet controverſia Cardinalis Bonæ authoritate diffiniretur. A Conſultoribus re diligenter examinata, atque per Cardinalem probata; novum Summarium Indulgentiarum pro Cincturatis confectum eſt a Clemente X. ſub die 27. Martii MDCLXXV., approbatum, & confirmatum Brevi quod incipit : *Ex injuncto Nobis*.

Ex hactenus dictis in hac cauſa colliges, Ordines Regulares, & Archiconfraternitates inſtituentes, & aggregantes poſſe promulgare Indulgentias ante Paulum V. conceſſas, ſi Breve confirmationis hujuſmodi gratiarum obtinuerint: ita ut conſtet Summum Pontificem confirmantem de Pauli V. revocatione informatum, illi expreſſe, vel æquivalentibus terminis derogare. Expreſſa erit derogatio per expreſſam clauſulam: æquivalens autem, ſi formulas adhibeat, quæ in narrato Gregorii XV. Brevi reperiuntur.

Ut ad alia Clementis VIII. Statuta progrediamur; ſuper V. Statuto obſervandum eſt, quod communicatis eo modo, quo communicari decretum eſt, Indulgentiis, ac privilegiis cuicunque erectæ, & aggregatæ Confraternitati; non poſſunt earum Superiores, & Officiales propria authoritate illa promulgare, quin prævie ab Ordinariis locorum recognoſcantur adhibitis duobus de Capitulo. Quod de quibuſcunque Indulgentiis ſtatuit Trident. *ſeſſ.* 21.

Digitized by Google

ſeſſ.21. de ref. c.9. = Indulgentias aut ſpirituales gratias (quibus non ideo Chriſtifideles decet privari) deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo populo publicandas eſſe decernit.

Super VI. Statuto, quo diſponitur eleemoſynas colligi non poſſe a Confratribus, niſi juxta modum a locorum Ordinariis præſcribendum, amotis patinis, capſis &c. quæ in earundem Confraternitatum Eccleſiis exponi conſueverunt; obſervandum eſt 1.° a locorum Ordinariis, dum concedunt Confraternitatibus eleemoſynas colligere, prohibendum eſſe, ne ii, qui ad hoc deputantur, jus quærendi eleemoſynas, aliaque ſubſidia locare poſſint, aut ullam ex perceptis eleemoſynis utilitatem percipiant: juxta Literas encyclicas S. Pii V. & Gregorii XIII. relatas t. *p. hujus tract. differt. proæmial.* § 5.: aliunde ſiquidem ſtipendium aliquod honeſtum potius pro ipſis conſtituendum eſt, in caſu quo non inveniretur, qui vellet propriis expenſis hoc charitatis officium exercere: ut ſentit Amoſtazius *de cauſis piis t. 2. l. 7. cap. 13.*: qui pariter addit, regulariter Confraternitatibus, quæ propriis redditibus onera poſſunt implere, aliiſque actu hoſpitalitatem non exercentibus, denegandam eſſe licentiam quæſtuandi tempore meſſium, & vindemiarum: ne forte eleemoſynæ perſonis majori rerum inopia laborantibus ſubtrahantur. Obſervandum eſt 2.° diſcrimen inter eleemoſynas precario a Confraternitatibus collectas, & redditus, qui ex bonis ſtabilibus Confraternitatum proveniunt: & notandum, quod eleemoſynas quomodolibet quæſtu perceptas non valent Confratres proprio, ſed Ordinariorum arbitrio in Eccleſiarum reparationem, aliosque pios uſus impendere: certos tamen redditus proprio libito ipſis inſumere licet pro oneribus adimplendis, & ſatis eſt, ſi poſt factas expenſas de Confraternitatis redditu um recto uſu, atque adminiſtratione Curiæ Epiſcopali rationem reddant. Quamobrem Sacra Cong. Conc. in Firmana 4. Auguſti MDCCXIV., & in Lancianen. 20. Septembris MDCCX. cenſuit = *Confratres non poſſe quæſtuare tam intra, quam extra Eccleſiam abſque licentia Curiæ Epiſcopalis: neque libere diſponere de eleemoſynis: bene vero de aliis introitibus, ſervata Conſtitutione Clementis VIII.*

Ad perfectam VII. Statuti intelligentiam, quo decernitur Confeſſarios vigore privilegiorum (quatenus ſunt in uſu) ſive Regulares, ſive ſæculares, prævia debita Ordinariorum approbatione, poſſe abſolutionis beneficium impendere, exceptis caſibus, quorum ibi fit mentio; obſerva, per non uſum Religiones, & Confraternitates amittere privilegia: hæc enim ſunt leges privatæ ſpecialia beneficia concedentes: quæ ab iis, in quorum favorem conceſſa ſunt, vel dictis, vel factis renunciari poſſunt: imo voluntas magis factis, quam dictis oſtenditur: ut habetur *l. ſi tamen 48. §. ei qui ff. de ædilit. edict.*: per non uſum igitur ceſſant privilegia. Porro non uſus, quo amittuntur privilegia, alius eſt privativus, alius vero contrarius. Privativus eſt, quando obtento privilegio ut aliquid fiat, dataque occaſione, ac opportunitate illud faciendi; eo minime utitur privilegiatus: contrarius vero, cum quis non ſolum privilegio non utitur, ſed etiam elicit actum privilegio penitus contrarium: puta ſi decimæ ſolvantur ab habente privilegium eas non ſolvendi. Ut autem uterque non uſus privilegii abdicationem inferat; tres verificari debent conditiones (ut notat Gonzalez in *Commentar. ad 5. lib. Decretal. de privileg. cap. 6. n. 5.*) Prima eſt, ut oblata fuerit occaſio faciendi id, quod per privilegium conceſſum eſt. Secunda ut detur ſcientia privilegii. Tertia, ut data occaſione & opportunitate, vel ea oblata; nullum ad ejus uſum detur impedimentum. Quod ſi deſit vel aliqua ex his conditionibus, vel tempus ad præſcriptionem requiſitum; per non uſum minime inducta privilegii renunciatio cenſeretur. Non tamen abſolute dici poſſet ceſſare privilegium Religioſis, aut Confratribus reſpective conceſſum, ſi Superior particularis alicujus Conventus, aut Officiales alicujus Confraternitatis eodem voluntarie non uterentur etiam per totum tempus ad præſcriptionem inducendam ſufficiens: quia hic non uſus non ſe teneret ex parte totius Religionis, vel omnium Confratrum: quanvis Conventus ille, aut Confraternitas privilegium amittere poſſet. Ex quo colliges, ea privilegia eſſe in uſu penes Religio-

giones, & Confraternitates, quæ ſunt in viridi obſervantia: cujuſmodi ſunt ea, quibus licet perſonæ actu non utantur ob ſcientiæ defectum; ſunt tamen in uſu habitualiter: inſuper privilegia, quorum uſus non viget, etiam habita eorum notitia, dataque occaſione eiſdem utendi, ſi legitimum tempus elapſum non ſit ad privilegii ceſſationem.

Quantum vero ad caſus tam Bullæ Cœnæ, quam alios quoſcunque Sedi Apoſtolicæ reſervatos, quorum abſolutio prætextu privilegiorum, Confratribus quarumlibet Societatum interdicitur obtinenda; obſerva cum Thomaſſino in *Eccleſ. Diſciplina circa Beneficia &c. t. 1. l. 2. c. 13. n. 1.* ante annum milleſimum non extitiſſe diſcrimen caſuum Epiſcopis reſervatorum a caſibus reſervatis Summo Pontifici: quæ diſtinctio orta eſt, ex quo cœperunt Epiſcopi atrociora quædam facinora ad Summos Pontifices referre, eo ducti conſilio, ut magis peccantibus minus obvium eſſet abſolutionis beneficium, ac ut pœnitentiæ, ſatisfactioniſque condignitas admiſſorum criminum enormitati reſponderet. Concilium Lemowicenſe II. anno MXXXI. celebratum multa congerit homicidarum, aliorumque perditorum hominum exempla, quos Epiſcopi ad Summum Pontificem abſolvendos ablegarunt. In Epiſtolis pariter Alexandri II., qui ſedit ab anno MLXI. ad MLXXIII., multas reperies Epiſtolas enunciantes, ex diverſis Provinciis, variis criminibus obnoxios ad Sedem Apoſtolicam fuiſſe remiſſos, ut abſolutionis gratiam conſequerentur.

Ineunte Sæculo duodecimo cum eò proceſſiſſet homicidarum licentia, ut nec Clericorum dignitati, nec Monaſticæ profeſſioni parceret; ſtatuit Innocentius II. in Concilio Rhemenſi anno MCXXXI., ne Epiſcopi anathematis vinculum laxarent, quo conſtringuntur Clericorum, Monachorumque percuſſores; donec homicidæ ad Limina Apoſtolorum proficiſcerentur: mandatumque eſſet Epiſcopis a Summo Pontifice, qua ratione erga eos ſe gerere deberent: = *Nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, et ejus mandatum ſuſcipiat.* = Hic canon robur confirmationis obtinuit in Concilio Lateranenſi II. Oecumenico ſub eodem Pontifice celebrato anno MCXXXIX.: in quo ulterius adjectum eſt, ne incendiarii ab Epiſcopis, vel Archiepiſcopis abſolverentur; donec hujus criminis rei ad bellum ſacrum profecti eſſent, & per unum ſaltem annum militaſsent ſive Hieroſolymis, ſive in Hiſpania. = *Pœnitentia detur* (verba ſunt canonis 19. & 20.), *ut Hieroſolymis, aut in Hiſpania in ſervitio Dei per integrum annum permaneat: ſi quis autem Archiepiſcopus, vel Epiſcopus hoc relaxaverit; damnum reſtituat, et per annum ab Epiſcopali officio abſtineat.*

Succeſſu deinde temporum ultra enormes humani ſanguinis relatas effuſiones, frequentia erant incendia: irrepſit deteſtandum ſimoniæ vitium: irruit inter privatos palliata tyrannis certaminum ſingularium perſonarum: ſcelera ipſa libertatis, necnon immunitatis Eccleſiaſticæ violatæ ſæpius graſsabantur: tamque exardebat impia auri cupiditas, ut rapaces manus ipſum Romanæ Eccleſiæ patrimonium deprædari minime dubitarent. His aliiſque criminibus eliminandis intenti, opportunis decretis atque ſanctionibus Romani Pontifices illa ſibi reſervare curarunt: quorum aliqua continentur in Bulla, quæ publicatur die Cœnæ Domini, alia extra talem Bullam: omniaque hæc dicuntur communiter caſus Papales.

Creſcebat in dies caſuum Sedi Apoſtolicæ reſervatorum numerus, & non raro dabatur a Sancta Sede privilegium ab eiſdem abſolvendi, & reſpective eandem abſolutionem recipiendi: tum favore Prælatorum Eccleſiaſticorum, ſæcularium, & Regularium, tum favore Collegiorum, & Confraternitatum: hoc autem contingebat potiſſimum occaſione Indulgentiarum. Proſpiciens autem Sixtus IV. ſalubri animarum medelæ, ne ex veniæ facilitate Chriſtifideles procliviores ad illicita redderentur; (ex qua benigna largitate ſæpius peccandi captabatur incentivum:) ſequenti Conſtitutione prohibuit, ne inpoſterum hujuſmodi abſolutiones concederentur, niſi ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto, ac prævia derogatione hujus ſuæ Conſtitutionis. = *Etſi Dominici gregis ſaluti ſingulis cum humilitate poſcentibus ea benigne concedere ſtudeamus, per quæ (peccatorum mole depoſita) ſalus ipſa*

ipſa ſuccedat, & ab hoſtis humani generis ſervitute ereptas animas lucrifaciamus Altiſſimo, qui nobis eas ſua bonitate commiſit; id tamen propenſiori ſtudio præcavendum eſſe cenſemus, ne cujuſvis Indulgentiæ, remiſſionis, vel facultatis obtentu Chriſtifideles procliviores ad illicita inpoſterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentivum. Cum itaque (ſicut multorum fide dignorum teſtimonio accepimus) ob multitudinem facultatum per Nos, vel authoritate Noſtra conceſſarum tam verbo, quam in ſcriptis, confectis exinde literis vel non, Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, etiam Religioſis, & ſæcularibus utriuſque ſexus, Capitulis, Collegiis, Conventibus, Hoſpitalibus, Confratriis, & Univerſitatibus tam in genere, quam in ſpecie, ſub electione, vel deputatione Confeſſorum, qui eligentes eoſdem, vel pro Indulgentiis per Nos conceſſis conſequendis, ad Eccleſias, & alia pia loca confluentes, ſeu ad aliqua pia opera manus porrigentes adjutrices, earundemque Confratriarum Confratres, & Sorores, ac in Hoſpitalibus prædictis degentes, ſeu deſervientes, aut eis pie aliquid relinquentes, vel aliqua alia meritorum miniſteria exhibentes, & in Ordinibus profitentes, eorum Confeſſione diligenter audita in ſingulis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus ſemel in vita, & in aliis toties quoties, ac in morte plenarie, vel alias etiam ad effectum conſequendi quaſcunque Indulgentias plenarias, vel non plenarias, abſolvere, & pœnitentiam ſalutarem eis injungere, emiſſa quoque vota per illos quæcunque in alia pietatis opera commutare libere, & licite valeant; Fideles præfati ad peccandum, & ad alia illicita committendum, nonnunquam procliviores exiſtant, in non parvum periculum ſalutis animarum ſuarum; Nos qui Deo propitio ejuſdem gregis Dominici (meritis licet inſufficientibus) cauſam gerimus, & illum ſpiritualis theſauri elargitione cupimus ipſi Deo reddere acceptabilem: ne exinde Clavium authoritas deducatur in contemtum, ipſique ad peccandum procliviores, ut diximus, liberius prolabantur; Ex præmiſſis, & aliis rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus, Motu proprio (non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de Noſtra mera voluntate, & deliberatione) authoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero prætextu facultatum hujuſmodi conceſſarum a Nobis, vel authoritate Noſtra, & quas concedi quomodolibet continget inpoſterum, verbo, literis, & qualibet alia ſcriptura, etiam cum clauſula, quod ſola ſignatura ſufficiat, etiam in favorem fidei, & Cruciatæ nullus Confeſſorum eorundem quempiam cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtat, & quacunque Eccleſiaſtica, etiam Epiſcopali, vel majori, aut mundana, etiam Regali, & majori dignitate præfulgeat, qui offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis: violationis interdicti ab eadem Sede impoſiti: ſeu hæreſis, poſtquam fuerint de ea ſententialiter condemnati, delati, ſeu publice diffamati: conſpirationis in perſonam, aut ſtatum Romani Pontificis, ſeu cujuſvis offenſæ, inobedientiæ, aut rebellionis ejuſdem Pontificis, vel dictæ Sedis: mutilationis membrorum, vel occiſionis cujuſcunque in Sacris Ordinibus conſtituti: offenſæ perſonalis in Epiſcopum ſeu alium Prælatum: invaſionis, deprædationis, occupationis, aut devaſtationis terrarum Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectarum: ac etiam invaſionis Romipetarum, ſeu quorumcunque aliorum ad Romanam Curiam venientium: prohibtionis devolutionis cauſarum ad dictam Curiam: delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium: impoſitionis novorum onerum realium, vel perſonalium Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis perſonis: ſimoniæ ſuper Ordinibus, vel beneficiis conſequendis in dicta Curia, vel extra eam contractæ, criminum quomodolibet reus foret; & generaliter in caſibus contentis in literis, quæ conſueverunt in die Cœnæ Domini publicari; prætextu hujuſmodi facultatum abſolvere: & per eos emiſſa peregrinationis ultramarinæ, & viſitationis Liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli, in Compoſtella, & caſtitatis, ac Religionis vota (niſi ex ſpecia-

ciali licentia, & certa ſcientia Noſtra, de qua demum conſtare cenſeatur, cum in ſignatura Noſtra deſuper manu Noſtra ſcriptum, aut in Literis Noſtris expreſſum fuerit) Nos ex certa ſcientia, & de ſpeciali gratia id concedere cum derogatione præſentis Conſtitutionis, illius de verbo ad verbum inſerto tenore: non autem per clauſulas id importantes, vel in articulo mortis conſtitutum, & tunc in caſibus, in quibus ſatisfactio fuerit impendenda facta ſatisfactione, vel idonea præſtita cautione commutare præſumant. Et ſi aliqui Confeſſorum prædictorum contra præſentem Conſtitutionem quenquam abſolvere, aut excepta vota prædicta commutare attentaverint; abſolutio, & commutatio hujuſmodi nullius ſit roboris vel momenti. Et contrafacientes eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant: a qua (niſi in mortis articulo conſtituti) ab aliquo, quam a Romano Pontifice abſolvi non poſſint. Non obſtantibus Literis, & Conſtitutionibus hujuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus &c. Et ne aliquis de præſentibus ignorantiam valeat allegare; mandamus eas in Cancellaria Apoſtolica, & audientia literarum contradictarum legi, & publicari: ac inter extravagantes alias Apoſtolicas Conſtitutiones in quaterno dictæ Cancellariæ deſcribi &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtrarum ſuſpenſionis, inhibitionis, mandati, & voluntatis &c. Datum Spiræ anno Domini MCCCCLXXVIII.

Ex liberalitate nihilominus Summorum Pontificum, qui Sixto IV. ſucceſſerunt, quibuſdam Ordinib. Regularib. conceſſa fuit facultas abſolvendi ab aliquibus caſibus in Bulla Cœnæ contentis, & alio quocunque modo Summo Pontifici reſervatis, & nonnullis Archiconfraternitatibus privilegium obtinendi ab ejuſmodi caſibus abſolutionem: ſed ea largitas nimia viſa fuit Clementi VIII., qui proinde Sacræ Congregationi Epiſcoporum, & Regularium mandavit prohibere in poſterum Sacerdotibus ſive ſæcularibus, ſive Regularibus abſolutionem a caſibus tum in Bulla Cœnæ contentis, tum Sedi Apoſtolicæ, & Ordinariis locorum reſervatis, ac reſervandis ſub pœna excommunicationis & privationis officiorum, necnon dignitatum: niſi obtenta ſpeciali Summi Pontificis quantum ad caſus ad eundem ſpectantes: quantum vero ad caſus locorum Ordinariis reſervatos, niſi de eorundem licentia in ſcriptis exhibenda. Mandatum Summi Pontificis laudati executa eſt eadem Sacra Congregatio tenore ſequentis Decr. = *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita juſſis, & graviſſimis cauſis id exigentibus, ac de SS. D. N. Clementis Papæ VIII. ſpeciali mandato, vivæ vocis Oraculo deſuper habito, Sacerdotibus omnibus, tam ſæcularibus, quam Regularibus per univerſam Italiam extra Urbem degentibus, ad Confeſſiones audiendas probatis, quorunvis Ordinum, etiam Mendicantium, Militarium, aut Congregationum, etiam Societatis Jeſu, & generaliter quarumcunque aliarum quovis nomine nuncupentur; jubet, & præcipit: ne quis eorum, ſub prætextu privilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel ſpecifice, ſcripto, aut vivæ vocis Oraculo, vel per communicationem a Sede Apoſtolica, vel ejus authoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus ſæcularium, aut ſingularibus perſonis, ſeu alias quomodocunque ſub quibuſvis tenoribus, formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis &c. ab ullo ex caſibus clare, vel dubie in Bulla die Cœnæ Domini legi ſolita contentis, uel ab aliis quomodocunque Sedi Apoſtolicæ reſervatis, aut in futurum per Sanctitatem ſuam, ejuſve Succeſſores pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reſervandis, nec etiam a caſibus, quos Ordinarii Locorum hactenus reſervaverunt, vel inpoſterum ſibi reſervabunt; nullo caſu etiam neceſſitatis, vel impedimenti (niſi mortis articulo) ſeu cum nova, & ſpeciali Sanctitatis ſuæ, aut Succeſſorum, vel Ordinariorum, quoad caſus ab ipſis tantum reſervatos reſpective impetrata in ſcriptis licentia Ordinariis Locorum exhibenda; abſolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præſumat: ſub pœna contrafacientibus tam Regulari-*

laribus, quam ſæcularibus excommunicationis, privationis Officiorum & dignitatum aut beneficiorum. Sub die 7. Martii MDCI.

Non modicæ hinc inſurrexerunt difficultates ſuper hujus Decreti intelligentia: quibus permotus idem Pontifex illud moderando, declaravit ſub ejus prohibitione comprehendi caſus in Bulla Cœnæ contentos, ac ſex celebres, nempe: Violationis immunitatis Eccleſiaſticæ, Violationis clauſuræ Monialium, Duelli, Percuſſionis Clerici, Simoniæ realis, & Confidentiæ Beneficialis: necnon caſus locorum Ordinariis reſervatos ac reſervandos. Damus hic verba declarationis = *Sacra Congregatio &c. ſub die 7. Januarii MDCI. prohibuerat Decreto, quod eſt tenoris ſequentis &c.* (ut ſupra). *Cum vero quædam dubia, & difficultates circa hujus Decreti obſervationem emerſiſſent; eadem S. Congregatio ne ullus deinceps obſcuritati, ſcrupulo, ambiguitative locus relinqueretur; ut clarius appareret, in quibus caſibus vigore ejuſdem Decreti reſervatis intelligatur prohibita abſolutio; ex ſpeciali mandato Clementis VIII. ſimiliter vivæ vocis Oraculo ſuper ea re habito, ita moderata fuit, ut in ſequenti forma declaravit: videlicet ſub ejuſdem prohibitione illos tantum inpoſterum comprehendi caſus, qui in Bulla Cœnæ Dom. legi conſueta continentur: ac præterea violationis immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis fel. record. Gregorii XIV., quæ incipit: Cum alias nonnulli &c. Violationis clauſuræ Monialium ad malum finem: Provocantium, & pugnantium in Duello, juxta Decretum Sacri Concilii Tridentini, & Conſtitutionem felic. record. Gregorii Papæ XIII. incipientem: Ad tollendam: Injicientium violentas manus in Clericos, juxta Canonem: ſi quis Suadente &c. 17. qu. 4. ac juris diſpoſitionem: Simoniæ realis ſcienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes caſus, quos Ordinarii locorum ſibi reſervant, vel inpoſterum reſervabunt. In quibus omnibus jam enumeratis Caſibus duntaxat &c. Eadem Sacra Congregatio, vult, & mandat dictum Decretum in ſua firmitate, & robore permanere: ac præterea declarat, eos quidem Sacerdotes tam ſæculares, quam Regulares, qui aliquo ex privilegiis, in Indultis, & facultatibus in ſupradicto Decreto expreſſis ſuffulti fuerint; poſſe juxta eorum privilegia, in Indulta, & facultates uſu ante idem Decretum receptas, & quæ ſub aliis revocationibus non comprehenduntur, tantum, & non alias abſolvere a caſibus in præſenti declaratione non comprehenſis &c. Sanctitas Sua &c. Specialiter & expreſſe derogat &c. Romæ die 26. Novemb. MDCII. Alexander Card. Florentin. Epiſcopus Præneſtinus. Hieronymus Augubius Secretarius.* = Ex qua declaratione fit, ut ad abſolvendum a caſibus reſervatis ſive in Bulla Cœnæ, ſive Sedi Apoſtolicæ, ſive locorum Ordinariis reſervatis, atque reſervandis; ſufficiat licentia Superioris, cui caſus reſervantur vivæ vocis Oraculo obtenta: quin opus ſit eam in ſcriptis conferri.

Cum vero adhuc quidam Regulares perperam aſſerere non dubitarent ſe poſſe abſolvere a caſibus locorum Ordinariis reſervatis: cumque alii ulterius arbitrarentur nomine caſuum, quos Clemens VIII. reſervavit, peccata duntaxat, non vero cenſuras intelligi: ac proinde Regulares poſſe abſolutionem impertiri a cenſuris, quibus ſublatis poſſent etiam abſolvere a caſibus, quibus annexa erat cenſura reſervata; ut etiam hæc mere arbitraria opinandi licentia penitus tolleretur; Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium jubente Paulo V. ſequentem edidit declarationem: = *Quoniam Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum, et Regularium præpoſitorum nuper accepit, quamplures Regulares, tantum facultatis, ſeu privilegii ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſum profiteri, ut etiam a caſibus locorum Ordinariis in eorum Diœceſibus reſervatis, abſque alia ipſorum Ordinariorum licentia pœnitentes abſolvere, minime dubitent: nonnulloſque alios in Decreto prohibitionis abſolutionis a caſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ, vel locorum Ordinariis reſervatis die 9. Januarii fel. rec. Clementis Papæ VIII. juſſu edito, necnon in declaratione illius eodem Clemente Pontifice jubente die*

 26. No-

26. Novembris MDCII. promulgata, excommunicationes Sanctæ Sedi, vel Ordinariis prædictis reſervatas minime comprehenſas aſſerere: unde ſit, ut metus, quo homines a peccando coercentur, abſolutionis facilitate exoleſcat; Ideo Sac. eadem Congregatio de SS. D.N. Pauli Papæ V. ſpeciali mandato, vivæ vocis Oraculo deſuper habito, Decretum hujuſmodi, illiuſque declarationem, necnon cenſuras, & pœnas, in eiſque contenta omnia confirmanda, atque innovanda operæ pretium duxit, prout per præſentes confirmat, atque innovat: ab omnibuſque Sacerdotibus tam ſæcularibus, quam Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, Militarium, Congregationum, aut cujuſvis alterius Inſtituti, etiam neceſſario exprimendi, quovis nomine nuncupetur, inviolabiliter obſervari: ac inſuper, ut nulli ex Sacerdotibus prædictis quibuſcunque privilegiis, indultis, & facultatibus ſuffulti, ab excommunicationibus, vel a caſibus eiſdem Ordinariis, vel Sedi Apoſtolicæ reſervatis, tam ad forum contentioſum eorundem Ordinariorum deductis, quam deducendis, præterquam in mortis articulo abſolvere audeant, vel præſumant, ſub eiſdem cenſuris & pœnis eo ipſo, & abſque alia declaratione incurrendis mandat, ac præcipit: non obſtantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in Decreto, & declaratione hujuſmodi voluit non obſtare. Datum Romæ die 7. Januarii MDCXVII. Antonius Cardinalis Saulius. V. Theatinus Secretarius.

Nec juvat replicare, (ut nonnulli DD. voce & ſcriptis temere divulgare tentarunt) dictas facultates a Clemente VIII. & Paulo V. relatis Decretis ſublatas, ob impetratas deinde privilegiorum confirmationes priſtino valori fuiſſe reſtitutas. In contrarium ſiquidem eſt alia declaratio Congregationis Epiſcoporum, & Regularium. = *Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit: per Confirmationes privilegiorum, quas Regulares a Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant abſolvendi a caſibus Ordinario loci reſervatis: quemadmodum nec indulta abſolvendi a caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit, utpote ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, vires aut robur acquiſiviſſe ex ſubſequentibus privilegiorum Confirmationibus: ac proinde Regulares cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, ac Inſtituti, etiam neceſſario exprimendi nec intra, nec extra Italiam, in vim privilegiorum, aut Confirmationum hujuſmodi, quas vel hactenus obtinuerant, vel deinceps forte obtinebunt; poſſe quemquam abſolvere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario Loci reſervatis: ac ſi ſecus egerint; abſolutiones nullas, atque irritas fuiſſe, ac fore: ab aliis vero caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſi quidem Regulares habeant a Sede Apoſtolica abſolvendi facultatem; illam extra Italiam minime ſublatam fuiſſe iiſdem Sacræ Congregationis Decretis hac de re editis juſſu Sanctæ Memoriæ Clementis VIII Quam Sacræ Congregationis ſententiam Sanctitas Sua ad ſe relatam approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, obſervari. Romæ 28. Novemb. MDCXXVIII. Fr. Antonius Cardinalis S. Honuphrii. Proſper Fagnanus Secretarius.*

Aliam viam aggreſſi ſunt Velaſcus, & Delgadillus: & eo uſque procedere conati ſunt, ut dicerent Sac. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium quæ illis opponuntur Decreta vim opinionis probabilis inducere, non vero virtutem legis obligantis obtinere. Addebant Regularium privilegium abſolvendi a caſibus Epiſcopis reſervatis in Corpore Juris contineri, nempe in Clementina: *Dudum*: & in Extravaganti: *Inter cuncta*: ibi = *Electi ab eiſdem Fratribus*, (nempe Ordinis Prædicatorum, & Minorum) *ad audiendas Confeſſiones, & pœnitentias injungendas, libere, & authoritate Apoſtolica abſque licentia Diœceſanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum exemtorum & non exemtorum, quibus ſubſunt, qui ad confitendum accedunt; audiant eos pec-*

ceata

cata ſua confiteri volentes = adeoque ad ejuſmodi privilegii derogationem,opus fuiſſe ſpecialem de eo fieri mentionem, ac de Canonico textu in quo enunciatur: quod profecto in Urbani VIII. Decreto minime reperitur. Irrito tamen conatu laxioris doctrinæ Theologi his, & ſimilibus verborum involucris omnem movèrunt lapidem, ut dictum privilegium poſt Decreta laudata adhuc poſſent ſaltem probabili ratione roboratum ſuſtinere: eorum enim opinio quacunque probabilitate deſtituta declaratur ex propoſitione 12. inter proſcriptas ab Alexandro VII. ſub die 24. Septembris MDCLXV. = *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate* = Quis enim non videt Sacræ Congregationis Decreta habere vim legis cunctos Chriſtifideles obligantis, quum juſſu Summorum Pontificum publicantur? Porro Urbanus VIII. Decretum juſſit publicari, quo expreſſe declaratur, privilegium Regularium abſolvendi a caſibus Epiſcopalibus Concilii Tridentini authoritate ſublatum, aliiſque Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium Decretis, nunquam priſtino valori fuiſſe reſtitutum: nec ex Confirmationibus privilegiorum ſubinde obtentis a Sede Apoſtolica robur ullum acquiſiviſſe. Quod profecto etiam ſine alia ſpeciali mentione revocationis antiqui privilegii ſufficit, ut cunctos Regulares afficiat.

Nihil prorſus pro Velaſco probant verba citatæ Extravagantis, quæ concedunt duntaxat Regularibus facultatem, qua gaudebant Parochi: quin imo ſi expendantur ſequentia in eadem Extravaganti adjecta; in iis potius prohibetur abſolutio a caſibus tam Sedi Apoſtolicæ, quam Epiſcopis reſervatis = *Per hoc autem non intendimus, quod ſæpe dicti Fratres, qui ad hoc eligentur officium exercendum, plus habeant in audiendis Confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis, quam Parœciales Sacerdotes noſcuntur habere: ſicque de caſibus, Epiſcopis & Superioribus, quos inferius annotamus, ac Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſe nullatenus intromittant.*

Hinc non amplius vigent, & jam dudum revocata ſunt privilegia abſolvendi ab aliquibus caſibus ſive in Bul. Cœnæ contentis,ſive Sedi Apoſtolicæ, & locorum Ordinariis reſervatis conceſſa pro Confratribus Archihoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia a Sixto IV.Conſtitutione incipiente: *Illius* edita ſub die 21. Martii MCCCCLXXIV. pro Confratribus S. Joannis Decollati de Miſericordia nuncupatis ab Innoc VIII. Conſtitutione incipiente: *Inter deſiderabilia* edita decimo Calendas Septembris MCCCCXC. pro Confratribus tituli Sanctiſſimi Corporis Chriſti in Urbe a Paulo III. Conſtitutione,cujus initium eſt: *Dominus* die 30.Novembr. MDXXXIX. pro Confratribus S. Rochi de Urbe a Pio IV. Conſtitutione incipiente: *Regimini* edita die 18. Octobris MDLX. pro Confratribus ſub titulo Nominis Dei ab eodem PontificeConſtitutione incipiente: *Injunctum* die .... Aprilis MDLXIV.: & alia his ſimilia privilegia quibuſcunque Congregationibus,& Societatibus conceſſa priuſquam decreta, quæ hic retulimus, emanarent.

Advertendum tamen hic exiſtimamus, ſupradictis Pontificiis ſanctionibus non fuiſſe derogatum Privilegio jam pridem Mendicantibus conceſſo, abſolvendi quoſcunque Fideles a caſibus Papalibus extra Bullam die Cœnæ Domini publicari conſuetam in adducta Clementis VIII. declaratione expreſſis, ſaltem intra Urbem, & extra Italiam. Contrarium tamen ſentit Dominicus Viva in *Theſib. damnat. ad Prop. 12. Al. VII.*: arbitratur enim revocationem privilegii abſolvendi a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, afficere Regulares Mendicantes, etiam extra Italiam degentes = *Quia per Decretum Pauli V.*, inquit, *ea facultas omnino videtur ſublata, ut patet perpendendo verba illius Decreti, ubi dicitur: Ac inſuper ut nulli ex Sacerdotibus prædictis* (videlicet ſive ſæcularibus ſive Regularibus quorunvis Ordinum) *quibuſcunque privilegiis, indultis, & facultatibus ſuffulti, ab excommunicationibus, vel caſibus eiſdem Ordinariis, vel Sedi Apoſtolicæ reſervatis, præterquam in articulo mortis, abſolvere audeant, vel præſumant. Clauſula: inſuper: videtur indicare novam diſpoſitionem Legiſlatoris ab antiquis diſtinctam: ex cap. Statutum §. Inſuper de reſcriptis in 6.: adeoque*

que videtur Pontifex abſtuliſſe a Regularibus facultatem abſolvendi ab omnibus quomodocunque Epiſcopo, vel Sedi Apoſtolicæ reſervatis = Subdit deinde: *Sicut prohibitio Pauli V. fuit univerſalis relate ad Confeſſarios, ut declaravit Urbanus VIII. dicens in ſuo Decreto neque intra, neque extra Italiam poſſe Confeſſarios abſolvere a caſibus Epiſcopalibus; pariformiter dicendum eſt, quod eadem prohibitio fuerit univerſalis etiam relate ad caſus: ut proinde vi Decreti Pauli V. ſublata fuerit Regularibus omnis facultas abſolvendi tam a caſibus quomodocunque Epiſcopo, quam a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis.*

Verum ſi ſupra relatum Pauli V. Decretum attente expendatur; nequaquam in eo fundari poſſe colligitur, quod hic ad ſuæ aſſertionis patrocinium arbitratur Dominicus Viva. Siquidem Paulus V. nihil aliud, quam Clementis VIII. Decreta innovare voluit, & confirmare contra pravas quorundam Doctorum opiniones, quæ in Eccleſiaſticæ Diſciplinæ detrimentum irrepſerant: quare Decretum Pauli V. eodem modo eſt intelligendum ac Clementis VIII. Decretum. Porro cum hoc Clementis VIII. ſtatutum Regulares duntaxat intra Italiam exiſtentes afficiat = *Sacerdotibus omnibus tam ſæcularibus, quam Regularibus per univerſam Italiam extra Urbem degentibus*; = ſequitur quod illa etiam clauſula in Pauli V. Decreto inſerta = *Ac inſuper ut nulli ex Sacerdotibus quibuſcunque privilegiis indultis, & facultatibus* = ad eoſdem Regulares ſit referenda, de quibus locutus fuerat, atque ſanciverat in ſuo Decreto Clemens VIII.: unde infertur derogatum a Paulo V. non eſſe facultati illorum Regularium abſolvendi (ſaltem extra Italiam) a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Utque nullus deinceps dubitationi ſit locus; ſubjungimus Epiſtolam Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ad Archiepiſcopum Neapolitanum datam 7. Decembris MDCXLVI. = *Queſta Sagra Congregazione ha più volte dichiarato con ordini eſpreſſi di Clemente VIII. adì 11. di Gennaro MDCI. e adì 26. Novembre MDCII. di Paolo V. adì 7. Gennaro MDCXVII. e di Urbano VIII. MDCXXVIII., che tutte le facoltà d'aſſolvere da caſi riſervati, o riſervandi dagl'Ordinarj, overo compreſi, o da comprenderſi nella Bolla in Cœna Domini, implicite, vel explicite, & altri riſervati ſolamente alla Santa Sede, nel medeſimo Decreto di Novembre del MDCII. conceſſe a ſecolari, o Regolari Congregazioni, Confraternite di qualunque prerogativa, o ſpecialità, etiam neceſſario exprimenda; ſono ſtate annullate, ed eſtinte così dal Sagro Concilio di Trento come dalle ſuddette Coſtituzioni: e che in vigore delle confirmazioni, eſtenſioni, o communicationi ottenute doppo, o da ottenerſi in avvenire, ſotto qualſivoglia ampliſſime clauſule; non s'intenda mai rinovata la ſuddetta facoltà: riſervando ſolo gl'indulti conceſſi ſpecialmente fuori d'Italia, o dentro Roma, quanto a' caſi riſervati alla Santa Sede, non compreſi nella detta Bolla.*

Caveant tamen 1.° Mendicantes, aliique Regulares in eorum privilegiis communicantes, ne abſolvant nunc in Urbe a Violatione publica clauſuræ Monialium ob malum finem: a Presbyteri occiſione publica: a Violatione vel publica, vel occulta immunitatis Eccleſiaſticæ, quæ patrata ſit authoritate publica: ob noviſſimum Decretum Congregationis particularis ſpecialiter deputatæ a Clemente XI., per hæc verba expreſſum. *Quoniam Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens XI. pro paſtorali in commiſſum ſibi gregem zelo, & pro Eccleſiaſticæ diſciplinæ recta ratione conſervanda, deputavit Congregationem particularem Eminentiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium S. Clementis, Paulutii Majoris Pœnitentiarii, & Fabroni, necnon RR. PP. Corradini Sanctitatis ſuæ Auditoris, Mei infraſcripti Sacræ Congregationis Concilii, & hujus deputatæ Secretarii, ac RR. PP. Damaſceni Conſultoris S. Officii, & Alfari Conſultoris Theologi Sacræ Pœnitentiariæ; Eadem Congregatio conſiderata reformatione facultatum Officii Sacræ Pœnitentiariæ a fel. rec. Innocentio XII. in ejus Conſtitutione edita tertio nonas Novembris MDCXCII. cenſuit ſi Sanctiſſimo placuerit præcipiendum eſſe omnibus, & quibuſcunque Pres-*

Digitized by Google

Presbyteris tam ſæcularibus, quam Regularibus in Urbe ad Confeſſiones audiendas deputatis, ne inpoſterum in foro conſcientiæ abſolvant extra mortis articulum quoſcunque Pœnitentes, tam incolas Urbis, quam ad eam confluentes, ab infraſcriptis caſibus, nempe: a caſu publico violatæ Clauſuræ Monialium ad malum, ſeu inhoneſtum finem: a Presbytericidio publico: & a caſu publico violatę immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutiones Gregorii XIV. incipientis: Cum alias nonnulli: & etiam a caſu occulto dictæ violationis immunitatis, ſi fuerit ſecuta auctoritate publica: idque omnino ſervari ab omnibus, & quibuſcunque Confeſſariis in Urbe degentibus cujuſcunque Religionis, Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, ac Congregationis, quacunque ſpeciali nota explicandis, prout explicati latius fuere in Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium die 9. Menſis Januar. MDCXVII. & Urbani VIII. die 17. Nov. MDCXXVIII. editis. Ac ſub præſenti probibitione comprehendi etiam Pœnitentiarios Baſilicarum Urbis, & ab omnibus Confeſſariis prædictis eam obſervari, ſub iiſdem pœnis, & cenſuris eo ipſo, & abſque alia declaratione incurrendis, quæ continentur in præfatis Decretis. Noverintque Pœnitentes abſolutionem, ſi quam inpoſterum obtinuerint a præfatis caſibus in præſenti Decreto expreſſis; eſſe nullam, nulliuſque roboris & momenti. Eaque omnia obſervari non obſtantibus quibuſcunque privilegiis abſolvendi a prædictis caſibus, ſub quibuſcunque tenoribus, tam ante, quam poſt dicta Decreta, tam particularibus perſonis, quam ratione Religionis, Societatis, vel Inſtituti obtentis: & juxta latam derogationis formam in iiſdem Decretis contentam, quæ in præſenti repetita cenſeatur: & non obſtantibus omnibus, quæ idem Clem. VIII. Paulus V., & Urbanus VIII. voluerunt non obſtare. Rurſus declarando (prout declaratum fuit in præfatis Decretis) quod circa alios caſus Sanctæ Sedi Apoſtolicæ reſervatos non expreſſos in præſenti Decreto (exceptis illis, quæ continentur in Bulla in die Cœnæ Domini legi conſueta) ita intelligatur præſervata facultas abſolvendi Confeſſariis privilegiatis in Urbe degentibus, quatenus tamen eam habeant ex legitimis privilegiis non revocatis, & in uſu exiſtentibus, ac juxta eorum tenorem tantum exequendis. Aliis vero in Urbe Confeſſariis privilegia non habentibus, nihil de novo, ſicuti per præfata Decreta, ita per præſens cenſeatur conceſſum. Facta per me infraſcriptum hac die decima tertia Menſis Maii MDCCXI. relatione prædictæ reſolutionis SS. D. N.; Sanctitas Sua eam, omniaque, & ſingula in ea contenta, cum omnibus clauſulis derogatoriis benigne approbavit, ac inviolabiliter inpoſterum ſervari præcepit ab omnibus, ut ſupra expreſſis: præſenſque Decretum in forma ſolita publicari juſſit, atque mandavit. Vincentius Petra Sacræ Congregationis Concilii, & dictæ deputatus Secretarius.

Caveant 2.° Confeſſarii quantunvis privilegiati, ne abſolutionis Sacramentalis beneficium impendant citra mortis articulum perſonis utriuſque ſexus, quæ innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices ſive per ſe ſive per alios ſollicitationis accuſant: neque munus Confeſſariorum obeant reſpectu complicis in peccato turpi contra ſextum præceptum, etiam in virtute cujuſcunque Jubilæi vel Bullæ Cruciatæ: ſublata ipſo jure abſolvendi authoritate ab hujuſmodi crimine ſub pœna excommunicationis Summo Pontifici reſervata, excepto mortis articulo. Ita ſtatuit noviſſime SS. D. N. BENEDICTUS XIV. confirmata Gregorii XV. Conſtitutione contra Sacerdotes audiendis Confeſſionibus deputatos ad turpia, & inhoneſta ſollicitantes. = *Sacramentum Pœnitentiæ, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad univerſi Dominici gregis curam ſuperna diſpoſitione vocati, omne ſtudium, & Paſtoralem ſollicitudinem adhibere tenemur, ne quod poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam datum eſt Divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perverſe utentium malitiam, naufragis, ac miſe-*

miſeris peccatoribus luctuoſum evadat exitium: Et quod in ſalutem, & curationem animarum a Deo, qui dives eſt in miſericordia, inſtitutum eſt, execrabili ſceleſtorum quorundam Sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur. Dudum quidem a fel. recor. Gregorio Papa XV. prædeceſſore Noſtro per ſuas literas in forma Brevium ſub datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 30. Auguſti MDCXXII. Pontificatus ſui anno ſecundo, ſapienter proviſum fuit contra quoſcunque Sacerdotes audiendis Confeſſionibus deputatos ad turpia, & inhoneſta ſollicitantes: Et deinceps ſucceſſivis temporibus ad earum literarum interpretationem, ac declarationem plura ſubinde a Congregatione Vener. Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum ſub die 11. menſis Februarii anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, & a rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter prædeceſſore Noſtro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis die 24. Septembris MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & diſſonas propoſitiones, ſexta videlicet & ſeptima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt. Nos itaque mature perpendentes, quanti momenti ſit ad æternam animarum ſalutem ea ubique exacte obſervari, & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem S. Eccleſiæ Dei retinendum interſit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro medicina venenum porrigant; ſed animo ſecum recolentes, ſe a Chriſto Domino Præſides, & Judices animarum conſtitutos, ea ſanctitate, quæ ſublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum adminiſtrent; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac maturæ deliberatione Noſtra præfatas literas hujuſmodi, ac omnia, & ſingula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus: illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus. Atque etiam, (quatenus opus ſit,) denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis reſpective Diœceſibus, ut diligenter, omnique humano reſpectu poſtpoſito inquirant, & procedant contra omnes, & ſingulos Sacerdotes tam ſæculares, quam Regulares quomodolibet exemtos, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectos, quorumcunque Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuſcunque Dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio, & indulto munitos, qui aliquem pœnitentem, (quæcunque perſona illa ſit,) vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt Confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu Confeſſionis, vel etiam extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionali, ſive in alio loco ad Confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſſionem; ad inhoneſta, & turpia ſollicitare, vel provocare ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam aut tunc, aut poſt legendam tentaverint: aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint. Et quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint; in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis ſevere animadvertant per condignas pœnas juxta memoratam Gregorii prædeceſſoris Noſtri Conſtitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inſerta haberi volumus. Dantes etiam, (ſi opus ſit,) & rurſus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei injurioſum remaneat ob probationum defectum impunitum, jam alias in præfata Conſtitutione tributam, procedendi cum teſtibus etiam ſingularibus: dummodo præſumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant. Meminerint prætérea omnes, & ſinguli Sacerdotes ad Confeſſiones audiendas conſtituti teneri ſe,

ac

Digitized by Google

ac obligari ſuos pœnitentes, quos noverint, fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſollicitatos ſedulo monere (juxta occurrentium caſuum circumſtantias) de obligatione denunciandi Inquiſitoribus, ſive locorum Ordinariis prædictis perſonam, quæ ſollicitationem commiſerit, etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſollicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit, ſive ſollicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit, aut ſollicitatio a Confeſſario, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit. Caveant inſuper diligenter Confeſſarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſollicitatos, Sacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti Judici, vel ſaltem ſe, eum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui (vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati,) tremendo Dei judicio poſthabito, & Eccleſiæ auctoritate contemta, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falſò ſollicitationis inſimulant; Ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur; quæcunque perſona, quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſum innocentes Confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab aliis fiat; a quocunque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam a Nobis, Noſtriſque ſucceſſoribus, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo ſpe abſolutionis obtinendæ, (quam Nobis, & ſucceſſoribus prædictis reſervamus,) perpetuo careat. Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis Judicii, & Sacri Tribunalis ſanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum contemtum, & Eccleſiæ injuriam longe ſubmovere: & tam exitioſa hujuſmodi mala prorſus eliminare, & quantum in Domino poſſumus, animarum periculis occurrere: quas ſacrilegi quidam Dæmonis potius, quam Dei Miniſtri, loco eas per Sacramentum Creatori ſuo, ac Noſtro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie ſubmergunt; nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magiſtrorum conſilio deſuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Epiſcoporum ſupplicationibus, hac noſtra in perpetuum valitura ſanctione (quemadmodum a pluribus Epiſcopis per Synodales ſuas Conſtitutiones jam factum eſſe novimus): omnibus & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſcunque Ordinis, ac Dignitatis, tametſi alioquin ad Confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis privilegio, & indulto, etiam ſpeciali expreſſione, & ſpecialiſſima nota, & mentione digno ſuffultis, auctoritate Apoſtolica, & Noſtra poteſtatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi Præceptum commiſſo excipere audeat: ſublata propterea illi ipſo jure quacunque auctoritate, & juriſdictione ad qualemcunque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam: adeo quidem, ut abſolutio, ſi quam impertierit; nulla, atque irrita omnino ſit: tanquam impertita a Sacerdote, qui juriſdictione, ac facultate ad valide abſolvendum neceſſaria privatus exiſtit, quam ei per præſentes has Noſtras adimere intendimus. Et nihilominus ſi quis Confeſſarius ſecus facere auſus fuerit; majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua abſolvendi poteſtatem Nobis ſolis, Noſtriſque ſucceſſoribus duntaxat reſervamus, ipſo facto incurrat. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuſcunque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appella-

*tur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cu-
juslibet indulti Confeſſionem dicti com-
plicis bujuſmodi quiſquam valeat exci-
pere, eique Sacramentalem abſolutio-
nem elargiri: cum ad bunc effectum,
& in boc caſu nullus Confeſſarius, utpo-
te qui in bujuſmodi peccati, & pœni-
tentis genere, juriſdictione, (ut præfer-
tur) careat, & abſolvendi facultate a
Nobis privatus exiſtat; babendus ſit pro
Confeſſario legitimo, & approbato. Non
obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordi-
nationibus Apoſtolicis, præſertim quæ
nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Ju-
bilæi Univerſalis, & plenarii: necnon
quibuſvis Eccleſiarum, & Monaſterio-
rum, & Ordinum quorumlibet, quo-
rum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam ju-
ramento, confirmatione Apoſtolica, vel
quavis firmitate alia roboratis, ſtatu-
tis, & conſuetudinibus, privilegiis
quoque, indultis, & Literis Apoſtoli-
cis ſub quibuſcunque tenoribus, & for-
mis, ac cum quibuſvis clauſulis, & de-
cretis, etiam Motu proprio, aut alias
quomodolibet conceſſis, etiam iteratis
vicibus approbatis, & innovatis: Qui-
bus omnibus, eorum tenores præſentibus
pro expreſſis babentes, bac vice dunta-
xat ſpecialiter, & expreſſe derogamus,
cæteriſque contrariis quibuſcunque.
Volumus demum, ac præcipimus, ut
omnes locorum Ordinarii tam præ-
ſentes, quam futuri pro tempore exi-
ſtentes in approbatione Confeſſariorum
tum prædictam Conſtitutionem Grego-
rii prædeceſſoris, quam præſentem
bunc Noſtram ab omnibus Sacerdotibus
approbandis attente legi, & accurate
obſervari curent: moneantque eos in
Domino, atque bortentur, ut Sacrum
Miniſterium ipſorum fidei commiſſum
ſumma animi innocentia, morum puri-
tate, judicii integritate peragant,
exbibeantque ſemetipſos, ut Miniſtros
Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum
Dei: memores præterea ſint, ſe locum
tenere, ac vices obire ſummi, atque
æterni Sacerdotis, qui Sanctus, inno-
cens, impollutus, per Spiritum San-
ctum ſemetipſum obtulit immaculatum
Deo, ut emundaret conſcientiam no-
ſtram ab operibus mortuis ad ſervien-
dum Deo viventi. Sedulo igitur ſtu-
deant, diligenterque caveant, ne quæ-
rentibus & pulſantibus eorum culpa
Cœlum claudatur: ne deperditæ oves ad
ovile Dominicun redire properantes, eo-
rum manibus ferarum dentibus dila-
niandæ tradantur: ne prodigi filii
egentes, & faucii, ad cœleſtem Patrem
revertentes nefaria eorum improbitate
gravioribus peccatorum vulneribus,
dum adbuc in via ſunt, confodiantur.
Ut autem præſentes Literæ ad omnium
notitiam facilius deveniant, & nemo
illarum ignorantiam allegare valeat;
volumus illas, ſeu earum exempla ad
valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſili-
cæ Principis Apoſtolorum, necnon Can-
cellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Genera-
lis in Monte Citatorio, ac in Acie Cam-
pi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi,
& publicari: ſicque publicatas, & af-
fixas omnes, & ſingulos, quos illæ con-
cernunt, perinde arctare, & afficere,
ac ſi unicuique eorum nominatim, &
perſonaliter intimatæ fuiſſent: uque
ipſarum præſentium Literarum tran-
ſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis
manu alicujus Notarii publici ſubſcrip-
tis, & ſigillo alicujus perſonæ in Ec-
cleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis
eadem prorſus fides tam in judicio,
quam extra illud, ubique adbibeatur,
quæ ipſis præſentibus adbiberetur, ſi
forent exbibitæ, vel oſtenſæ. Nulli er-
go omnino bominum liceat paginam
banc Noſtræ voluntatis, ſanctionis,
præcepti, mandati, & derogationis
infringere, vel ei auſu temerario con-
traire. Si quis autem boc attentare
præſumſerit; indignationem Omnipo-
tentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pau-
li Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſu-
rum. Datum Romæ apud Sanctam Ma-
riam Majorem anno Incarnationis Do-
minicæ milleſimo ſeptingenteſimo qua-
drageſimo primo, Cal. Junii Pontifica-
tus Noſtri Anno primo.*

Super VIII. Statuto, quo decernitur
Confraternitates quavis authoritate inſti-
tutas, necnon ab Archiconfraternitatibus
aggregatas, quibus Indulgentiarum,
& privilegiorum communicationes factæ
ſunt, debere novas inſtitutionum ſeu ag-
gregationum literas ab Ordinibus, & Ar-
chiconfraternitatibus inſtituentibus, &
aggre-

aggregantibus infra tempus ibi præfinitum impetrare juxta formam ab ipſoClemente VIII. approbatam ſub pœna nullitatis Indulgentiarum; obſerva, ubi Confraternitates erectæ, & aggregatæ infra dictum tempus præſcriptæ renovationis literas ex errore vel inadvertentia Officialium, ut hic præcipitur, minime impetrarunt: ſi Indulgentiis ab Ordinibus Regularibus, vel Archiconfraternitatibus communicatis exoptant inpoſterum gaudere; oportere reſtitutionem in integrum petere a Sacra Congregat.Concilii,vel Indulgentiarum: quæ petentibus ſolet concedi adjecta hac clauſula = *dummodo intra annum a die conceſſionis computandum aggregatio,aut inſtitutio jam facta renovetur* = ut in Mantuana 27. Septembris MDCCXVII.

Super IX. Statuto de expeditione literarum inſtitutionum, & aggregationum Confraternitatum gratis,nullaque mercede, etiam a ſponte dantibus accepta; obſerva,hic nequaquam prohiberi ſolutionem expenſarum, quæ in eiſdem ſunt inſumendæ: vetitum tamen eſt ſub pœna nullitatis Indulgentiarum, quæ ex vi vel inſtitutionis, vel aggregationis communicatæ ſunt, expenſas prædictas unius aurei ſummam excedere: ut decrevit Sacra Congregatio Indulgentiarum ſequentibus verbis. = *Ad tollendos nonnullos abuſus, qui in expediendis literis patentibus aggregationum Archiconfraternitatibus almæ Urbis, retroactis temporibus irrepſerant; Sacra Congregatio Indulgentiarum decreto edito die 6. Martii 1608. approbante S. Memoriæ Paulo V., ſtatuit, atque decrevit, ut pro expeditione prædictarum literarum aggregationum, ſeu potius pro expenſis deſuper faciendis, nempe pro pergamena, ſcriptura, ſigillo, capſulis, cordulis, cera, Secretarii, Notariique labore, vel mercede, aliiſque omnibus quibuſcunque nihil omnino ultra ſcutum unum aureum pro ſingula aggregatione, inſtitutione, vel confirmatione, quovis prætextu aut colore, etiam meræ eleemoſynæ, exigi, aut recipi valeat: ſub pœna ipſo facto incurrenda nullitatis aggregationis, omniumque Indulgentiarum, & ſpiritualium gratiarum in aggregationibus contentarum: cum privatione etiam facultatis aggregandi, & privatione pariter officiorum, & inhabilitate ad eadem officia inpoſterum obtinenda pro Miniſtris, Superioribus, Officialibus, aliiſque contra prædictum Decretum facere præſumentibus, quæ a nullo alio, niſi a Romano Pontifice pro tempore exiſtente remitti valeat: aliiſque etiam ſub gravioribus pœnis, arbitrio ejuſdem Romani Pontificis pro tempore exiſtentis imponendis. Ne autem longo temporis decurſu prædicti Decreti oblivio induci, ac denuo abuſus irrepere poſſint;Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita habita die 9. Aprilis 1720. decrevit & mandavit ſingulis Ordinibus, Religionibus, Inſtitutis, & Archiconfraternitatibus, earumque Superioribus, & Miniſtris, atque Officialibus quocunque nomine nuncupatis, ut pro expediendis literis patentibus aggregationum, ſeu potius pro illarum expenſis quibuſcunque nihil ultra unum ſcutum aureum, ſub quovis prætextu, aut quæſito colore, etiam a ſponte dantibus, aut titulo eleemoſynæ recipere audeant, aut recipere permittant ſub eiſdem pœnis contentis in ſupramemorato Decreto, edito die 6. Martii 1608: ne Confraternitates aggregandæ ſumtibus nimium graventur, & ut omnes intelligant, cæleſtis Eccleſiæ theſauros non quæſtus, aut alicujus lucri cauſa, ſed ad pietatem fidelium excitandam ex Apoſtolicæ Sedis benignitate aperiri. Quibus per me Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi XI. relatis; Sanctitas Sua Decretum Sacræ Congregationis approbavit, & in omnibus executioni mandari juſſit. Datum die 10. Aprilis MDCCXV. Jo. Dominicus Cardin. Paraccianus*. Hinc eadem Sacra Congregatio Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum non raro nullas declarat Indulgentias a Confratribus per aggregationem impetratas mediis expenſis dictam ſummam excedentibus, quamvis reſcribat: *Supplicandum Sanctiſſimo pro nova conceſſione Indulgentiarum*. Occaſione talis exceſſus dubitantibus Confratribus N. Diœceſis N. de validitate Indulgentiarum ab Archiconfraternitate N. Urbis N.obtentarum;duo ſequentia dubia

propoſita fuerunt: 1. *An aggregatio obtenta revalidari debeat?* 2. *An aliquod deſuper agendum ſit?* Et die 20. Maii MDCCXX. Sacra Congregatio Indulgentiarum &c. Reſpondit: Ad 1.= *Dilata: & ad mentem. Et mens eſt quod poſtquam factum poſitum fuerit in claris; ſupplicetur Sanctiſſimo pro conceſſione ex integro Indulgentiarum, quibus fruitur Archiconfraternitas N. de Urbe.* Ad 2. = *ad Eminentiſſimum Vicarium, qui dignetur procedere contra omnes tranſgreſſores* = Rurſus ut clarius appareat excedi non poſſe dictam pecuniæ ſummam in aggregationibus Confraternitatum; aliam afferimus hic Sacræ Congregationis Indulgentiarum reſolutionem: nonnullis enim Archiconfraternitatum Officialibus inſtantibus pro opportuna declaratione = *An inter cæteras expenſas, quæ juxta Decretorum tenorem ſimul junctæ excedere non poſſunt prædictam ſummam unius aurei, comprehendatur etiam intertitium, quod offerri ſolet in actu ingreſſus a Procuratore Confraternitatis aggregandæ?* die 20. Octobris MDCCXX. reſponſum fuit = *Omnia comprehendi: & nihil omnino recipi poſſe præter unum ſcutum aureum.*

Ut nulla ſuboriatur difficultas pro intelligentia X. ſtatuti, quo indicitur pœna privationis Officiorum cum inhabilitate ad ea obtinenda Superioribus Ordinum Regularium, Miniſtris, & Officialibus Archiconfraternitatum non implentibus ea, quæ in Clementina Conſtitutione explicata ſunt; obſervandum eſt 1.° Lezanam *in Summa quæſt. regular. 1. par. cap. 10. n. 30.* exiſtimare, ad hanc pœnam ante ſententiam Judicis declaratoriam ſuper legis tranſgreſſione delinquentes in conſcientia non obligari = *Ratio eſt*, inquit, *tum quia ita in praxi recipitur apud viros doctos, & timoratos, ut non ſe credant obligatos eſſe ad tales pœnas ſubeundas, niſi præmiſſa ſupradicta Judicis ſententia: tum quia hoc eſt conforme naturæ legis humanæ, quæ debet eſſe facilis, & accomodata fragilitati humanæ: videtur autem nimis rigidum, & durum, quod hujuſmodi pœnæ incurrantur ante Judicis declarationem. Sotus 1. de Juſt. quæſt. 6. artic. 6. ad 4. Molina tom. 1. de Juſtit: diſp. 69.* =. Cui ſententiæ, ſalvo meliori judicio, ſubſcribere non poſſumus: urget quippe nimis clara legiſlatoris pœnam ſtatuentis expreſſio, ut indicant illa verba, *eo ipſo*: quæ in proprio, obvio, & genuino ſenſu nihil aliud ſignificant, quam ſtatim poſt legis tranſgreſſionem Ordinum Regularium Superiores, & Archiconfraternitatum Officiales pœnam ſubire. Alias ſuperfluum foret ea verba apponere, ſi nollet Summus Pontifex ante ſententiam Judicis declaratoriam in conſcientia tranſgreſſores hujus Conſtitutionis obligare. Obſervandum eſt 2.° hic nomine Officiorum illa duntaxat intelligi, quæ connexionem dicunt cum inſtitutionibus, & aggregationibus Confraternitatum, non vero de quibuſcunque aliis muneribus ad eas diſparate ſe habentibus: quia juxta praxim quando pœna privationis quoruncunque Officiorum etiam diſparate ſe habentium infligitur; iſtæ dictiones apponuntur: *privationis Officiorum, dignitatum, graduum, & honorum*. Eo vel maxime, quod odioſa reſtringenda ſunt potius, quam amplianda: adeoque privatio munerum Officialium non de quibuslibet Officiis, ſed ſolum de habentibus connexionem cum inſtitutionibus, & aggregationibus Confraternitatum eſt intelligenda.

Unum ſupereſt de Clementis VIII. Conſtitutione dubium examini proponendum: num ſcilicet ipſa per relatas clauſulas comprehendat Eccleſiæ Lateranenſis Capitulum quantum ad communicationes Indulgentiarum, & privilegiorum pro aliis Eccleſiis, Oratoriis, aliiſque locis piis in ſolo Lateranenſi conſtructis ſibi ſubmittendis, uniendis, vel aggregandis? Ad dubii ſolutionem obſervandum eſt Eccleſiam Lateranenſem Urbis & Orbis Caput olim privilegium a Sede Apoſtolica obtinuiſſe Eccleſias, & Oratoria conſtruendi, Confraternitates erigendi in fundis, ſeu prædiis ad Capitularem menſam ſpectantibus, eiſque omnibus tanquam Grangiis (ut vulgo dicuntur) & membris dictæ Eccleſiæ privilegia, Indulgentias, aliaſque ſpirituales gratias communicandi: ſed ob dirimendas controverſias inter locorum Ordinarios, ac Canonicos Eccleſiæ Lateranenſis; a Pio IV. Conſtitutione incipiente: *Regimini* edita: die 15. Junii MDLXII. illi fuiſſe dero-

derogatum .= *Motu proprio* (verba ſunt memoratæ Conſtitutionis) *omnia & ſingula privilegia, facultates, & indulta ... Capitulo Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis etiam ſuper facultate erigendi & inſtituendi Eccleſias, Cappellas, & Cappellanias, Oratoria, Altaria, Societates, & Confraternitates, illaque in Grangias vel membra recipiendi, ac per eos erectis & inſtitutis Eccleſiis, Cappellis, Cappellaniis, Oratoriis, Altaribus, Societatibus, & Confraternitatibus ... etiam ex certa ſcientia conceſſa, ac forſan authoritate Apoſtolica approbata & confirmata; dicta auctoritate tenore præſentium ex ſimili Noſtra ſcientia caſſamus, extinguimus, irritamus penitus, & abolemus. Necnon Eccleſias ... cum omnibus illorum bonis juriſdictioni, correctioni & obedientiæ Ordinariorum, ac Rectorum Parochialium Eccleſiarum, in quorum Diæceſibus & Parochiis illa reſpective extiterint, ut præfertur, (prædictis, & aliis quibuſvis ſibi alias conceſſis privilegiis, immunitatibus, facultatibus, exemtionibus, & gratiis non obſtantibus,) ſubjicimus, & ſupponimus &c.* = Sed nihilominus conſtat hoc jus a Sixto V. Capitulo Lateranenſi fuiſſe reſtitutum ad preces ejuſdem Capituli per Bullam cujus initium eſt: *Si cunctas* editam anno MDLXXXVI. die 15. Junii cum hac conditione, ut ejuſmodi Eccleſiarum, aliorumque piorum locorum conſtructiones, & Confraternitatum erectiones inpoſterum fierent ex venia ab Ordinariis locorum obtinenda: citra privilegium exemtionis ab eorundem juriſdictione = *Nos moti tam prænarratæ Bonifacii Papæ prædeceſſoris conſideratione, quam præclara memoria Imperatoris &c. Conſtantini qui &c. veſtris hujuſmodi ſupplicationibus benigne annuentes, prænarrataſque Bonifacii Papæ literas cum omnibus & ſingulis Decretis, clauſulis, & aliis in eis contentis Apoſtolica auctoritate (modificationibus infraſcriptis ſemper ſalvis) harum Noſtrarum ſerie revalidantes & innovantes, voſque ad illarum priſtinum uſum adverſus ſupradictas Pii IV. Literas revocatorias reſtituentes, & plenarie reintegrantes; ex ſpeciali gratia indulgemus, quod perpetuis futuris temporibus, literis veſtris patentibus ſub ſolitis titulo, & nomine ſupradictis, etiam abſque præſentium Noſtrarum inſertione expediendis, licentiam, & facultatem liberas quibuslibet bene viſis in fundis, terris, & locis menſæ veſtræ Capitularis, ac alias juxta earundem Bonifacii Papæ prædeceſſoris literarum formam, quæcunque Monaſteria, Prioratus, Conventus, Eccleſias &c. & alia pia loca fundandi, erigendi, ædificandi &c. quæ quidem dominio, protectioni, juriſdictioni, defenſioni, ac poteſtati veſtris immediate ſubſint: necnon earundem plenum jus, dominium, merumque & mixtum imperium, inſtitutio inſuper, deſtitutio, collatio, proviſio, præſentatio, & quævis alia diſpoſitio ad vos ſolum & inſolidum perpetuo ſpectet: dummodo Epiſcoporum, in quorum Civitatibus ſeu Diæceſibus illa fuerint, licentia expreſſa ad hoc accedat: Eccleſiæque, & alia (ut præfertur) fundanda, erigenda, ædificanda, & dotanda, atque illa pro tempore obtinentes, libertatis, immunitatis, & exemtionis privilegium aliquod a juriſdictione & ſuperioritate ipſorum Epiſcoporum, aliterve contra formam decretorum, & ordinationem Sacri Concilii Tridentini propterea non acquirant, licentiam, & facultatem liberas ut prius in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi literæ hujuſmodi revocatoriæ nullatenus emanaſſent, concedere valeatis.*

Hoc ſuppoſito privilegio cum ex una parte ſæpe memorata Clementis VIII. Conſtitutio Collegia, Capitula, Congregationes quaruncunque perſonarum complectatur; ad Lateranenſe pariter Capitulum videtur extendi: nemo quippe excipitur a lege, ubi de omnibus a legiſlatore ſermo inſtituitur. Et ideo poſt dictam Conſtitutionem emanatam cœpit Capitulum Lateranenſe dubitare: an poſſet inpoſterum aggregationes, & Indulgentiarum communicationes concedere, ut antea conſueverat. Id habetur ex ſequenti decreto relato in Regiſtro aggregationum ejuſdem Capituli *ſub die 14. Junii MDCIX.* = *Capitulariter &c. deputaverunt ſimiliter, & elegerunt Illuſtriſſimum Vicarium noſtrum, ac Vulpium utriuſque Signaturæ Referendarium ad vi-*

videndum & decernendum: an Capitulum noſtrum Lateranenſe, ut dicitur, Bullarum expeditiones, & præſertim aliarum Eccleſiarum uniones, & ſubmiſſiones ſecundum ritum & conſuetudinem antiquiſſimam Eccleſiæ noſtræ facere poſſit?

Ex alia parte ſub Clementina Conſtitutione Capitulum Lateranenſe ſuas aggregationes minime comprehendi arbitrabatur, ob maximas ejus Baſilicæ prærogativas, quæ ſpeciali indigebat mentione: juxta Summorum Pontificum privilegia, & ſignanter Honorii II. & Innocentii III. relata per Rotam *deciſ.* 274. *n.* 7. *& deciſ.* 241. *n.* 3. *coram Bichio*: ideoque minime receſſit ab antiquiſſima praxi faciendi uniones, ſubmiſſiones, ſeu Eccleſiarum & Confraternitatum erectiones, necnon Indulgentiarum communicationes, ſtatuta annua ceræ preſtatione in ſuperioritatis ſignum & argumentum.

Nos vero dubio reſpondemus affirmative, quia Paulus V. apertiſſime declaravit Conſtitutionem Clementis VIII. quantum ad formam communicandi Indulgentias ad Canonicos & Capitulum Baſilicæ Lateranenſis alioſque habentes ejuſmodi facultatem communicandi Indulgentias extendi: ut habetur ex ſequenti Conſtitutione = *Quæ ſalubriter a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus conſtituta ſunt, ut ab omnibus præſertim in Alma Urbe noſtra inviolabiliter obſerventur, ex officii Noſtri debito providere tenemur, prout in Domino conſpicimus expedire. Olim ſiquidem felic. record. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter volens nonnullas pravas conſuetudines tollere, quæ irrepſerant in uſu facultatum a Sede Apoſtolica conceſſarum nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, & Inſtitutis, ac etiam Chriſtifidelium ſecularium, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diverſarum Nationum, nominum, & Inſtitutorum tam in prædicta Alma Urbe noſtra, quam in aliis Civitatibus, & Locis Chriſtiani Orbis inſtitutis erigendi, & inſtituendi, necnon etiam ſibi aggregandi Confraternitates, & Congregationes, eiſque privilegia, Indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta ſibi conceſſa reſpective communicandi; perpetuo valitura Conſtitutione, quæ incipit: Quæcunque a Sede Apoſtolica: facultates hujuſmodi moderando, Indulgentias, aliaſque ſpirituales gratias communicandas, & formulam eaſdem Confraternitates, & Congregationes erigendi, inſtituendi, aggregandi, & reſpective communicandi præſcripſit: & alia conſtituit, voluit, & ordinavit, prout in literis in hujuſmodi forma Brevis, ſub datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die 7. Septembris MDCIV. Pontificatus ſui anno decimotertio, deſuper expeditis plenius continetur. Cum autem ſicut accepimus dilecti Filii Capitulum, & Canonici Baſilicæ Lateranenſis de eadem Urbe, diverſas ubique conſtitutas, Eccleſias, vel Cappellas, ſeu Altaria, vel Oratoria eidem Baſilicæ ſubmittere, ſubjicere, annectere, incorporare, ac in Baſilicæ prędictæ membrum recipere, atque in ſubmiſſione, ſubjectione, annexione, incorporatione, & receptione hujuſmodi eiſdem, necnon aliis ſimiliter Eccleſiis, Cappellis, Altaribus, ſeu Oratoriis, & piis locis ædificatis, & conſtructis in ſolo Lateranenſi, varias Indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, indulta, & privilegia concedere ſoleant, dictæ Conſtitutionis forma, & quod in ea ſe non comprehendi prætendant, minime ſervata; Propterea Nos volentes, ut Conſtitutio prædicta tam ab eiſdem Lateranenſis Eccleſiæ Capitulo, & Canonicis, quam ab aliis quibuſcunque jus, & facultatem communicandi hujuſmodi Indulgentias habentibus, (ut par eſt) ſine diſcrimine inpoſterum obſervetur; Conſtitutiones, & literas prædictas dictis Clementis prædeceſſoris, cum ſuis clauſulis, & Decretis ad Baſilicæ Lateranenſis, & aliarum Baſilicarum, & Eccleſiarum quarumcunque, Capitula, Canonicos, & quaſvis alias perſonas ſimiles facultates habentes, illiſque utentes, ad effectum videlicet, ut ipſa Capitula, & Canonici ac perſonæ nullas inpoſterum Indulgentias communicare poſſint, niſi prædictæ Conſtitutionis forma ſervata: & eas ſolummodo, quæ a nobis illis præſcribuntur, auctoritate Apoſtolica*

Digitized by Google

lica tenore præſentium extendimus: & ab ipſis perinde ac ſi eorum expreſſa mentio in dictis literis facta eſſet perpetuis futuris temporibus, ſub pœnis, in eiſdem literis contentis inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus. Non obſtantibus præmiſſis, & omnibus illis, quæ idem Clemens prædeceſſor dictis literis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod Indulgentiæ, peccatorum remiſſiones, gratiæ, & privilegia per dictum Capitulum, & Canonicos Lateranenſes vigore indultorum eis a Sede prædicta conceſſorum quibuſvis Eccleſiis, Cappellis, Altaribus, Oratoriis, & locis piis, hactenus conceſſa, & communicata in ſuo robore permaneant. Quodque præſentium tranſumptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum apud S. Petrum &c. 23. Novembris MDCX. anno ſexto.

Ex quo colliges aggregationes, & Indulgentiarum communicationes Capituli Lateranenſis differre a cæteris conceſſis ab Ordinibus Regularibus, Archiconfraternitatibus, aliiſque Congregationibus habentibus facultatem inſtituendi, aggregandi, & Indulgentias communicandi ante Clementis VIII. Conſtitutionem: quod iſtæ ſint valoris robore deſtitutæ niſi (ut ſupra dictum eſt) juxta leges in ea Conſtitutione præſcriptas fuerint renovatæ: e converſo illæ uſque ad diem 23. Novembris hic ſupra indicatum expeditæ citra aliam renovationem in ſuo robore perſeverent. Habetur id tum ex relata Pauli V. Conſtitutione, tum ex ſequenti Sacræ Congregationis Indulgentiarum Decreto.=*Sacra Congregatio &c. ut Indulgentiarum nonnullis abuſibus mederetur; 7. die Martii 1678. cunctas Indulgentias ante Pauli V. Breve, cujus initium eſt: Quæ ſalubriter &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate, Congregatione, Ordine, Capitulo, vel cœtu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliiſque perſonis, vel perſona (etiamſi earum, vel ejus mentio ſpecialis, & individua facienda eſſet,) nullius eſſe roboris, ac momenti declaravit, niſi fuerint auctoritate Romani Pontificis deinde innovatæ, vel confirmatæ. Sed in eodem Brevi cum Paulus apertiſſimis verbis confirmet Indulgentias, peccatorum remiſſiones, gratias & privilegia per Lateranenſis Eccleſiæ Capitulum, & Canonicos vigore indultorum eis ab Apoſtolica Sede conceſſorum hactenus (hoc eſt uſque ad vigeſimum tertium diem Novembris 1610. duntaxat, in quo Breve datum eſt) conceſſa, & communicata Eccleſiis, Cappellis, Altaribus, Oratoriis, aliiſque locis piis; nemini dubium eſſe poteſt, quin ipſa rata, & firma ſint, utpote Pauli auctoritate confirmata. Ea tamen Sacra Congregatio præfati Capituli, & Canonicorum ſupplicationibus annuens rata, & valida eſſe declarat. Romæ 11. Cal. Julii 1679. A. Card. Homodeus. Michael Angelus Riccius Secretarius.*

Hic tamen adverte Eccleſias, & Confraternitates aggregatas Capitulo Eccleſiæ Lateranenſis ſive ante, ſive poſt dictam Pauli V. Conſtitutionem 1.° non gaudere Indulgentiis Scalæ Sanctæ: ut colligitur ex decreto Sacræ Congregationis Concilii ſub die 19. Junii MDCCXVII., quæ declaravit in Neapolitana=*Confratres vigore dictæ aggregationis non poſſe, nec eis permittendum eſſe habere Scalam Sanctam nuncupatam cum Indulgentiis Scalæ Sanctæ de Urbe: imo poſſe compelli ad amovendum lapidem poſitum ſupra dictam ſcalam cum inſcriptione: Viſitantibus quotidie Indulgentur pœnæ ſicut in Baſilica Lateranenſi*=2.° neque gaudere Altari Privilegiato pro defunctis quod habet Eccleſia Lateranen. quia per privilegium communicationis Indulgentiarum generaliter conceſſum, non datur facultas ea communicandi, quæ a jure communi exorbitant, quæve raro conceduntur: Rota *deciſ.* 214. *p.* 2. *recent. & deciſ.* 55. *n.* 14. *&* 15. Et ita reſpondit Sacra Congregatio Indulgentiarum &c. in Mantuana ſub die 14. Novembris MDCCXIV. 3.° neque gaudere Indulgentiis intuitu ſpecialis prærogativæ dictæ Eccleſiæ conceſſis: ſiquidem quæ ob hanc rationem Eccleſiis conceſſæ ſunt, nequeunt ex vi generalis communicationis aliis convenire: ut dictum eſt *art. antec.* §. 6.

§. IV.

§. IV.

Indulgentiæ Confraternitatibus a Sede Apoſtolica concedi ſolitæ: & conditiones ad illas obtinendas requiſitæ.

Confraternitates ad Sedem Apoſtolicam recurrentes pro Indulgentiis, ſequentes obtinere conſueverunt in perpetuum. Tres plenarias, quas poſſunt lucrari Confratres: 1.° ipſa die qua ingrediuntur in Confraternitatem: 2.° in feſto principali Confraternitatis: 3.° in articulo mortis. Quatuor ſeptem annorum, & totidem quadragenarum acquirendas a Confratribus aliis quatuor feſtivis anni diebus eligendis ac approbandis a locorum Ordinariis. Sexaginta item dierum toties quoties Miſſis, aliiſque divinis officiis in Oratorio, aut Cappella Confraternitatis celebrandis interfuerint, aliiſque pietatis operibus vacaverint. Habetur ex formula conceſſionis: quam hic ſubiicimus, tum ad uberiorem notitiam eorum quæ ſupra diximus, tum ad dubiorum intelligentiam, quæ inferius proponemus. = *Cum ſicut accepimus in Eccleſia S. N. loci N. Diœc. N. una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſtifidelium Confraternitas ſub titulo, ſeu invocatione N. non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat, cujus Confratres, & Conſorores quamplurima pietatis, & charitatis opera exercere conſueverunt, ſeu intendunt; Nos ut Confratres hujuſmodi majora in dies ſuſcipiant incrementa; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui dictam Confraternitatem inpoſterum ingredientur, die primo eorum ingreſſus, ſi vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint; Plenariam. Ac eiſdem tam deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus, ac Conſororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere pœnitentes & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint; etiam Plenariam. Ac eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus dictæ Confraternitatis Confratribus, & Conſororibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui præfatæ Confraternitatis Eccleſiam, ſeu Cappellam, vel Oratorium, die feſto principali ejuſdem Confraternitatis per Confratres dictæ Confraternitatis ſemel tantum eligendo, & ab Ordinario approbando, a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis diei feſti hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem in Domino concedimus. Inſuper eiſdem Confratribus & Conſororibus, vere quoque pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, Eccleſiam, ſeu Cappellam, vel Oratorium hujuſmodi in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis, ſeu Dominicis diebus per dictos Confratres ſemel tamen pariter eligendis, & ab Ordinario approbandis ut ſupra viſitantibus, & ibidem orantibus, quo die præfatorum id egerint; ſeptem annos & totidem quadragenas. Quoties vero Miſſis & aliis Divinis Officiis in Eccleſia, ſeu Cappella, vel Oratorio hujuſmodi pro tempore celebrandis, & recitandis, ſeu Congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, ac pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, vel etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum, & Conſororum hujuſmodi, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque Proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctiſſimumque Euchariſtiæ Sacramentum, tam in Proceſſionibus, quam cum ad infirmos, quam alias ubicunque, & quandocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel impedi-*

pediti campanæ ad id ſigno dato ſemel Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem & ſalutationem eandem pro animabus defunctorum Confratrum, & Consororum hujuſmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & quæ ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint; toties pro quolibet prædictorum operum exercitio ſexaginta dies de injunctis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus: Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ſi alias dictis Confratribus, & Consororibus præmiſſa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit; præſentes nullæ ſint. Utque ſi dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam ſit, vel inpoſterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet inſtituatur; priores & quævis aliæ literæ Apoſtolicæ illis nullatenus ſuffragentur: ſed ex tunc eo ipſo nullæ ſint. Datum &c. ſub Annulo Piſcatoris &c. In favorem Confraternitatum aliud etiam Breve concedere ſolet Sancta Sedes Altaris privilegiati ad ſeptennium, pro Confratribus, & Consororibus defunctis pro una feria cujuslibet hebdomadæ, ac pro die commemorationis omnium fidelium defunctorum, ejuſque octava: ut dictum eſt *cap. 1. artic. 4. §. 4.*

Pro impetrandis autem, quas nunc exponimus, Indulgentiis; debet a Confraternitate poſtulante Sanctæ Sedi documentum exhiberi: quo conſtet Sanctum, ſub cujus invocatione Confraternitas eſt inſtituta, in Romano Martyrologio deſcriptum reperiri. Quamobrem in Auguſtana 30. Aprilis MDCCXXII. propoſito dubio in Sac.Congreg.Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum = *An non obſtante quod nomen Sancti Simperti in Martyrologio Romano non reperiatur, Indulgentiæ ſint concedendæ?* = reſponſum eſt. *Negative*.

Antequam earum Indulgentiarum conceſſio obtineatur, opus eſt inſuper, ut Confratres Sedem Apoſtolicam certiorem reddant de canonica Confraternitatis erectione, mediis literis teſtimonialibus Ordinarii. Exigitur tandem, quod Confraternitas pro Indulgentiis ſupplicans nulli Archiconfraternitati, aut Congregationi ſit prius aggregata: & quod a Superioribus Regularibus habentibus facultatem erigendi Confraternitates, non fuerit inſtituta. Alienum quippe eſt a mente Summorum Pontificum, ut Confraternitates gaudeant ſimul Indulgentiis, & per Brevia immediate ad recurrentes directa concedi conſuetis, & per communicationem impetratis, aut alia via obtentis. Et idcirco apponitur in prædictis Indulgentiarum Brevibus hæc clauſula = *Volumus autem, ut ſi alias dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam ſit, vel inpoſterum aggregetur, ſeu quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet inſtituatur; priores, & quævis aliæ literæ Apoſtolicæ illis nullatenus ſuffragentur: ſed ex tunc eo ipſo nullæ ſint.*

Cum autem non raro Confraternitates canonice erectæ præter Indulgentias, quas ſupra innuimus, concedi conſuetas, Plenariam pro uno feſto cujuslibet menſis poſtularent; nec deeſſent qui longe profuſiores earundem conceſſiones exoptarent; propoſita fuerunt in Sacra Congregatione Indulgentiarum ſequentia dubia = 1. *An præter Indulgentias relatas in prædicto Summario* (nempe conſuetas) *addere etiam interdum expediat Indulgentiam Plenariam ſingulis menſibus? & quatenus affirmative. 2. An ſaltem poſt novam hanc conceſſionem aliæ inſuper Indulgentiæ petentibus dari deberent?* = Et Sacra Congregatio 23. Februarii 1711. ita reſcripſit = *Reſpondebitur in caſibus particularibus.*

§. V.

Nonnulla dubia ſolvuntur ſuper Indulgentiis Confraternitatum.

QUæres 1.° An omnes Indulgentiæ Confraternitatum ante Paulum V. conceſſæ fuerint revocatæ.

Dubio occaſionem præbuit poſtulatio nomi-

nune Confraternitatis Goenſis ſub titulo de Miſericordia nuper porrecta Sacræ Congregationi Indulgentiarum 20. Januarii MDCCXXXIII. pro confirmatione Indulgentiarum olim a Julio III. conceſſarum die 1. Martii MDLII.: aliqui enim Conſultores aſſerebant eſſe revocatas, ac proinde nullo modo confirmandas: alii vero exiſtimantes adhuc eas ſubſiſtere; putabant eſſe moderandas ad normam moderni ſtili Sedis Apoſtolicæ. Cui inſtantiæ propter hanc ſententiarum diverſitatem, Eminentiſſimi PP. reſponderunt: *Dilata*.

Quod autem Indulgentiæ omnes Confraternitatibus ante Paulum V. conceſſæ fuerint revocatæ; poteſt inferri. 1.° ex nonnullorum opinione qui olim exiſtimabant Paulum V. Confraternitatum Indulgentias univerſim revocaſſe, qui nempe certas unicuique illarum duxerat præſcribendas: (ut in ſuis literis in forma Brevis expeditis pluries aſſerere conſuevit.) Ex his unus fuit Nicolius, qui in Compendio manuſcripto Decretorum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium negociis præpoſitæ id apertiſſimis verbis affirmat=*Ubi nota*, inquit, *quod Paulus V. revocavit omnes Indulgentias conceſſas Confraternitatibus: & earum ſingulis conceſſit novas facultates, quæ in communi ſunt &c.*

Favet 2.° huic opinioni Decretum Sacræ Congregationis Indulgentiarum referendum infra ſuo loco, quo nedum innuitur ſpecialis Archiconfraternitatis SS. Sacram. S. Mariæ ſupra Minervam Indulgentiarum ſpecialis revocatio; ſed etiam generalis pro quibuſcunque Confraternitatibus ibi = *Quia tamen per nonnullas Apoſtolicas Conſtitutiones, & Ordinationes, quæ deinceps emanarunt, præſertim vero per recolendæ memoriæ Clementis VIII. Conſtitutionem de aggregationibus editam; facultates & Indulgentiæ tam ſupradictæ Sanctæ Mariæ ſupra Minervam, quam cæteris omnibus Confraternitatibus antea conceſſæ, aut abrogatæ, aut ſaltem moderatæ comperiuntur: aliaque hoc de genere decreta ſunt*=Inſuper ibi declaratur Confraternitates Corporis Chriſti non gaudere Indulgentiis a Paulo III., bene vero a Paulo V. *ſub die 3. Novembris MDCVI. nominatim & expreſſe conceſſis*.

Conſonat 3.° ejuſdem Sacræ Congreg. Decretum de Indulgentiis apocryphis editum 7. Martii MDCLXXVIII. ibi = *Ac demum omnes Indulgentias &c. ante Conſtitutionem Clementis VIII., cujus initium: Quæcunque &c. niſi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ aut confirmatæ; nullius eſſe roboris, ac momenti pariter declarat.* = Quibus omnibus inſpectis Indulgentiæ ante Paulum V. Confraternitatibus conceſſæ nullæ, & revocatæ videbantur.

His tamen non obſtantibus, Reſpondemus negative; quia prætenſa hæc Indulgentiarum generalis revocatio pro cunctis Confraternitatibus facta fuiſſet vel a Clemente VIII, vel a Paulo V. A neutro autem Pontifice eam generalem revocationem prodiiſſe conſtat ex eo, quod Clemens VIII. in percelebri Conſtitutione *Quæcumque* pro communicationibus Indulgentiarum, ſpiritualiumque gratiarum plures condidit leges in inſtitutionibus, & reſpective aggregationibus Confraternitatum obſervandas, ſub pœna nullitatis Indulgentiarum, niſi inſtitutiones & aggregationes factæ juxta ſtatuta, infra tempus eo loco præfixum renovarentur. Hoc autem profecto non eſt Indulgentias revocare: ſed potius ſupponere, & ratas habere. Maxime quia cum aliquæ Confraternitates vel a Sede Apoſtolica, vel a locorum Ordinariis erectæ fuerint independenter ab Ordinibus Regularibus, & Archiconfraternitatibus, & immediate a Summis Pontificibus Indulgentias obtinuerint; de iis profecto in Clementis VIII. Conſtitutione laudata nulla mentio fit, nec quidquam iis detrahitur. Neque vero Paulus V. id præſtitiſſe cenſendus eſt. Hic enim humillime poſcentibus Ordinibus Regularibus, & Confraternitatibus per Sanctam Sedem Apoſtolicam benigne, & opportune provideri, ut in inſtituendis, & reſpective aggregandis Confraternitatibus juxta Clementis VIII. præſcriptum in dicta Conſtitutione expreſſum tuto procederent; pro ſingulis Ordinib. Regularib., & Archiconfraternitatibus peculiare Breve expedivit revocationis antiquarum, & conceſſionis novarum Indulgentiarum. Quod ſane evincit Paulum V. laudatum nullam generalem

Digitized by Google

neralem pro cunctis Confraternitatibus Indulgentiarum revocationem edidiſſe: alias, ut jam obſervavit Eminentiſſimus Riccius in MSS., rem actam egiſſet. Harum rationum pondus cum libraſſet Sacra Congregat. Indulgentiarum &c. die 16. Januarii MDCLXXIV. cenſuit=*Non conſtare de revocatione generali Indulgentiarum Confraternitatum omnium*.

Ad primum fundamentum: Reſpondemus Paulum V. Indulgentiarum quidem revocationem peculiarem pro quolibet Ordin. Regul. atque Archiconfraternitate inſtituente, & aggregante edidiſſe, non vero generalem revocationem: & de hujuſmodi revocatione fit mentio in Indice memorato Bullarum Apoſtolicarum. Cæterum id non tangit alias Confraternitates neque erectas ab Ordinibus Regularibus, neque ab Archiconfraternitatibus aggregatas, de quarum Indulgentiis generalis revocatio ſolidis rationibus probari non poteſt.

Ad 2.^m dicimus obſervato eo Decreto Sac. Cong. Indulg. potius ex ipſo inferri; oppoſitum; ſiquidem ibi ſubditur=: *Aliaque hoc de genere decreta ſunt ex quibus in dubium revocari poſſe videtur an hujuſmodi Pauli III. conceſſiones, priſtinum ſuum robur adhuc retineant* = Sacram quippe Congregationem latere non poterat generalis, quæ prætenditur Indulgentiarum revocatio, ſi paulo ante facta fuiſſet, nec poſt revocationem ita tanquam dubitans de Indulgentiarum Pauli III. valore loqueretur. Accedit dictam Sacram Congregationem ibi declaraſſe Confraternitates ſub titulo Sanctiſſimi Corporis Chriſti gaudere duntaxat Indulgentiis contentis in Brevi Pauli V. edito ſub die 3. Novembris MDCVI. Non ergo in lucem prodierat generalis Indulgentiarum reformatio cunctas afficiens Confraternitates: ac per conſequens nec generalis earundem revocatio.

Ad 3.^m Reſpondemus in verbis relati Decreti non omnium, & quarumcunque Confraternitatum Indulgentias ante Conſtitutionem Clementis VIII. *Quæcumque*, & Pauli V. *Quæ ſalubriter* obtentas nullas declarari: ſed duntaxat communicatas ab Ordinibus Regularibus, atque Archiconfraternitatibus: *Demum omnes Indulgentias* (ſunt verba quæ obiiciuntur) *ante Decretum Clementis VIII. latum, vel ante Conſtitutionem Clementis VIII. 115. cujus initium: Quæcumque, & 68. Pauli V. incipient. Quæ ſalubriter, habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Jeſu, Capitulo, vel cœtu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus aliiſque perſonis, (etiamſi earum, vel ejus mentio ſpecialis & individua facienda eſſet,) niſi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius eſſe roboris ac momenti pariter declarat* = Quæ ergo a Confraternitatibus ante dictas Conſtitutiones independenter ab Ordinibus Regularibus, & Archiconfraternitatibus, ſed immediate a Sede Apoſtolica obtentæ fuerunt; quantum eſt ex vi prædicti Decreti, nullitatis vitio non ſubduntur: ſed vere, & proprie adhuc ſubſiſtunt. Quod poteſt ſequenti reſolutione Sacræ Congregationis Indulgenriarum, & Sacrarum Reliquiarum confirmari. Cum enim Monachi Ordinis S. Benedicti Luſitaniæ dubitarent de Indulgentiis Confratrum, & Conſororum Congregationis S. Benedicti, a Gregorio XIII. eiſdem Confratribus, & Conſororibus conceſſis anno MDLXXX. propter illa verba laudati Decreti de Indulgentiis apocryphis = *Ac demum omnes Indulgentias &c.* propoſito hoc dubio = *An in Decreto hujus Sacræ Congregationis comprehendantur Indulgentiæ conceſſæ a S. Memoriæ Gregor. XIII. Confratribus, & Conſororibus Congregationis Divi Benedicti Congregationis Luſitaniæ? & quatenus negative*: Eadem Sacra Congregatio ſub die 12. Februarii MDCCXV. reſpondit: *Indulgentias, de quibus agitur, non eſſe comprehenſas* = Addimus ad uberiorem hujus tertii argumenti pro parte negativa ſolutionem, Indulgentias habitas per aggregationem aut communicationem a Confraternitatibus nullas ibi fuiſſe declaratas, non quia Clemens VIII. aut Paulus V. eas univerſe revocaverit: ſed quia Clemens VIII. in ſua Conſtitutione *Quæcumque* voluit omnes hujuſmodi Indulgentias antea obtentas infra annum in Europa, extra vero Europam infra biennium innovari ſub pœna nullitatis earundem; ut

ut diximus §. antecedenti : ideoque ex niſi innoventur elapſo tempore ibi ſtatuto in ſuo robore non perſeverant .

Quæres 2.° An conceſſio Indulgentiarum facta uni Confraternitati , impediat quominus ejuſdem Confratres poſſint alteri Confraternitati nomen dare, ejuſque Indulgentias lucrari ?

Dubium videtur affirmative reſolvendum ob clauſulam in Brevibus Indulgentiarum pro Confraternitatibus inſertam tenoris ſequentis = *Volumus autem , ut ſi alias dictis Confratribus, & Sororibus præmiſſa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetua &c. vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit ; præſentes literæ nullæ ſint .*

Reſpondemus tamen negative , quia Indulgentiæ Confraternitatibus ab Apoſtolica Sede conceduntur intuitu Inſtituti.Per hoc autem quod quis ſit unius Inſtituto Confraternitatis addictus ; non tollitur quod alteri mancipetur, ejuſque obligationibus ſatisfaciens Indulgentias lucretur . Et confirmatur ex reſolutione Sacræ Congregationis Indulgentiarum , & Sacrarum Reliquiarum : quæ propoſito ſequenti dubio = *An non obſtante Clauſula Brevis : Volumus autem, ut ſi alias dictis Confratribus &c. Confratres & Conſorores Confraternitatis erectæ in Eccleſia S. Michaelis loci Joſephurgi Bergh. Frinſingen. Diœceſis ſi alteri Confraternitati adſcribantur ; lucrari poſſint Indulgentias aliis Confraternitatibus conceſſas, aut ſuper numiſmatibus a Sanctiſſimo Domino noſtro dari ſolitas , vel alias ſimiles ?* die 4. Februarii MDCCXVIII.Reſpondit = *Affirmative* .

Quæres 3.° An per renunciationem Indulgentiarum factam a Confratribus ceſſarent Indulgentiæ Confraternitatis ?

Reſpondemus, per Indulgentiarum renunciationem a Summo Pontifice acceptatam Confraternitatis Indulgentias ceſſare : quia unumquodque per eaſdem cauſas , per quas naſcitur , pari ratione diſſolvitur . Vide dicta *in 1. p. cap. 13. art. 2. concluſ.* 1.

Quæres 4.° An Indulgentiæ Confraternitatis ceſſent per translationem ejuſdem de uno loco pio in alium ?

Reſp.Indulgentias Confraternitati conceſſas non intuitu loci , in quo reperiebatur erecta , ſed ratione Inſtituti non ceſſare : cum ratio conceſſionis Indulgentiarum perſeveret : ſi vero conceſſæ fuerunt Confraternitati intuitu . loci pii in quo fuerat erecta ; tunc eas ceſſare : & ideo aſſeruimus *artic. cit. concluſ.* 2. Sacram Congregationem Indulgentiarum , & Sacrarum Reliquiarum id reſpondiſſe in Tudertina ſub die 27. Julii anno MDCCXXXIII. ſequenti dubio = *An Confraternitas Sanctæ Mariæ Gratiarum translata ad novam Eccleſiam gaudeat Indulgentiis olim eidem conceſſis a Julio II. intuitu ſoli Hieroſolymitani , in quo primo fuerat erecta ?*

Quæres 5.° An in aliis caſibus ceſſent Indulgentiæ Confraternitatis ?

Reſp. affirmative: & quidem primo , ſi propter delictum,aut defectum Superioris authoritate deſtrueretur: quia ſicut in hoc caſu omnia privilegia ei conceſſa perirent: *l. ſi uſusfructus ff. quibus modis uſufruct. amittat*; ita & Indulgentiæ: maximam enim ea pati videretur capitis diminutionem , per quam ipſius jura, & gratiæ in totum comminuuntur : *l. cognitionum in fin. ff. de var. & extraord. cognitionib.* Secundo ſi ex voluntate Confratrum eorum Collegium penitus diſſolveretur : quia amplius dici non poſſet Confraternitas: *l. 3. ff. de Colleg. illicit.*: imo etiamſi Confraternitatem inſtaurari contingeret ; adhuc Indulgentiæ non reviviſcerent , ſicut nec privilegia : ut tradit Guillelmus *Obſervat. 61. n. 4. lib. 2.* Id autem dicendum non eſt ſi Confratres diſpergerentur : puta ſi a Civitate vel ob violentam hoſtium incurſionem , vel ob peſtem graſſantem recederent , atque ad eandem hiſce calamitatibus ceſſantibus redirent ; quia non fieret aut deſtructio, aut diſſolutio abſolute , & ſimpliciter talis Confraternitatis .

§. VI.

§. VI.

De conditionibus, & operibus injunctis ad acquirendas Indulgentias Confraternitatum.

UT Confratres & Consorores Indulgentiis ſibi conceſſis potiantur, & gaudeant; debent conditiones proprii inſtituti in erectionis,ſeu aggregationis literis præſcriptas indiſpenſabiliter implere: & ideo de Confraternitate Mortis Eccleſiæ S. Donati Civitatis Januen. aggregata Ordini Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum, ob non impletam conditionem tradendi eleemoſynas ſponte oblatas ad redimendum Captivos; declaravit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium, dictam Confraternitatem Indulgentiis, aliiſque facultatibus vi hujuſmodi aggregationis communicatis non gaudere. En Decretum relatum a Joanne a Conceptione in Inſtructione pro Confratribus Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum. = *Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotiis & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, ad quam Sanctiſſimus Dominus Noſter negotium hujuſmodi remiſit; habita deſuper matura conſideratione declaravit: Confraternitatem prædictam non adimpleta conditione aggregationis non gaudere Indulgentiis, nec aliis prærogativis in vim ejuſdem aggregationis competentibus: prout eorum vigore declaravit, & decrevit. Contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Romæ ſub die 26. Januarii MDCLXIII. M. Cardinalis Ginnettus. E. Epiſcopus Camerinenſis Secretarius.*

Quod ſi ad Confraternitatum inſtitutum ſpectet parvum habitum vulgo Scapulare, Corrigiam, ſeu Cordam geſtare, aut aliquid ſimile; debet id adimpleri eo modo, quo in earundem literis ſive erectionum, ſive aggregationum injungitur, ut Indulgentiis poſſint gaudere. Rem hanc declarat ſequens Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum Decretum. = *Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita habita die 25. Aprilis labentis anni MDCCXVI. relatis precibus P. Joannis a S. Franciſco Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum nuncupatorum Congregationis Hiſpaniæ humiliter poſtulantis declarari: An Sodales Confraternitatum ſui Ordinis, loco Scapularii, quod a pleriſque geſtari ſolet, exiguum panni albi fruſtulum, cui parvula Crux rubri, & cærulei coloris acu intexta eſt, veſti aſſutum deferentes lucrari valeant Indulgentias conceſſas iis, qui Scapularium deferunt? EE. Patres declararunt non lucrari. Datum die 29. Aprilis MDCCXXVI. L. Card. Picus Præfectus. Raphael Coſmus de Hieronymis Secretarius.*

Nedum vero oportet Confratres conditiones Inſtituti proprias implere, ut Indulgentiis perfruantur; ſed etiam opera injuncta, & quidem non utcunque, ſed eo modo quo injuncta ſunt: ut conſtat ex Declarationibus prædictæ Sacræ Congregationis die 22. Febr. MDCCXVII. diſcuſſis enim his dubiis 1.° *An benefactores Ordinis S. Auguſtini gaudentes aggregatione per affiliationem ejuſdem, & Confratres Cincturati, ſi non dicant quinque Pater, & Ave, participent omnes & ſingulas Indulgentias, aliaque bona ſpiritualia Ordinis S. Auguſtini?* 2.° *An viſitatio Altarium ſuppleri poſſit a Confratribus in aliena Eccleſia, præcipue quando ſunt in locis, in quibus non eſt Eccleſia Ordinis S. Auguſtini, aut non eſt erecta Confraternitas Cincturatorum? Et an Princeps in Eccleſia Aulica lucrari poſſit Indulgentias viſitationis Altarium?* 3.° *An ſufficiat Cingulum quomodocunque deferre?* 4.° *An per communicationem Privilegiorum, & gratiarum cum Ordine S. Auguſtini, & cum aliis Ordinibus Cincturati participent omnia opera bona totius Eccleſiæ militantis?* Reſponſum eſt ab eadem Sacrà Congreg. ſequentibus verbis: *Ad 1.*m *Benefactores gaudentes affiliatione Ordinis S. Auguſtini participes eſſe bonorum operum, quæ fiunt in eodem Ordine, etſi quinque Pater, & Ave non recitent: Et Confratres non gaudere Indulgentiis, niſi recitent quin-*

quinque Pater, & Ave. Ad 2.m, & 3.m Negative. Ad 4.m Quemlibet fidelem exiſtentem in gratia participare de bonis operibus militantis Eccleſiæ=Idem habetur ex ſequenti Decreto=*Cum Sacræ Congregationi Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ Pater Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum ſupplices preces porrexerit pro declaratione dubii: An qui Sanctiſſimum Roſarium B.V.M. recitant ommiſſa conſueta meditatione Myſteriorum humanæ reparationis, & illorum vice mortem, ac cætera noviſſima, vel alia pia ac religioſa meditentur; Indulgentias a ſummis Pontificibus conceſſas pro recitatione Roſarii lucrentur? Sacra Congregatio die 6. Auguſti MDCCXXVI. Reſpondit: Non lucrari. Quam Sacræ Congregationis declarationem per me Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro relatam Sanctitas ſua benigne approbavit. Datum die 13. Auguſti MDCCXXVI. L. Card. Picus Præfectus. Raphael Coſmus de Hieronymis Secretarius.*

Quæres 1. An Regulares, qui nomen ſuum in libris Confraternitatum deſcribi voluerunt, earundem Indulgentias poſſint percipere? Negat Bordonus *t.2. variarum Reſolution. reſol. 72. quæſito 26.* de Religioſo dicens = *Imo puto illum Religioſum, qui ſine licentia ſui Superioris ſe facit deſcribere in hujuſmodi Confraternitatibus, neque lucrari Indulgentias, neque eſſe participem ſuffragiorum: non quia videtur id implicite denegari a Superiore, ſed præcipue ex eo, quod ſimul cum aliis intereſſe non poteſt Communionibus, exercitiis, & oneribus, quæ ſolent a Confratribus præſtari: unde tanquam membrum inutile nihil videtur operari, ex quo non poſſit conſequi quidquid obtinere non valent alii.*

Aliqui Sac. Cong. Conſultores dubium de Monialibus proponentes reſpondebant omnes, & ſingulas peccatorum remiſſiones, ſive etiam relaxationes, Indulgentias, & prærogativas de auctoritatis Apoſtolicæ plenitudine Archiconfraternitatibus Almæ Urbis conceſſas, iis etiam communes eſſe, qui in perpetua Clauſura degentes de licentia ſuorum Superiorum, conjunctim vel diviſim, in ſpecie, vel individuo in Confratrum ac Conſororum numerum canonice deſcribuntur = *Quia* (ajebant) *non debent eſſe deterioris conditionis iis, qui ſunt perpetuo in carceribus truſi: quos certum eſt (veluti legitime impeditos ab implendis Confratrum oneribus) omnes & ſingulas Indulgentias recte diſpoſitos poſſe lucrari.*

Nec ex adverſo obſtare videtur Moniales onera atque exercitia a Confratribus, & Conſororibus implenda peragere non poſſe. Argumentum enim a paritate rationis retorquetur. Patres enim Societatis Jeſu communicant in privilegiis per Sanctam Sedem Apoſtolicam conceſſis Dominicanis, Franciſcanis, Auguſtinianis, & Carmelitis: & tamen pleraque onera externa Mendicantium Ordinum non ſubeunt.

Neque id minimum valet: quod ſcilicet Moniales a conſortio ſemotæ, & mundo mortuæ, non poſſint certo loco convenire, & Confratrum atque Conſororum conſuetis Proceſſionibus intereſſe. Actus ſiquidem contritionis, & charitatis cunctis externis bonis operibus præponderant.

Alii Bordono ſubſcribunt, ſi Monialis ſe deſcribendam curaverit in libro Confraternitatis poſt ſuſceptum ſtatum Religioſum; cum aliis vero poſterioris ſententiæ patronis oppoſitum ſentiunt, ſi Monialis antequam ſe Religioni manciparet, cum cæteris Conſororibus in libro Confraternitatis adſcripta Sodalitatis Templum frequentaverit. Quoniam in Confraternitatibus, quæ voluntaria collegia vocantur a Doctoribus, non tam rigide accipienda eſt obligatio frequentandi templa &c. ut religioſæ profeſſionis juſta excuſatio rejiciatur.

Nos vero adeo generales dicendi modos citra limitationem amplexari non poſſumus, ſed in hujus dubii ſolutione ad Confraternitatis Inſtitutum attendimus. Si enim hoc pugnet cum oneribus propriis Regularium; (ut quandoque contingere obſervat Antonius Ricciullus. *lib.4. Eccleſiaſticar. elucubration. cap.1.* dicens = *Monachus ſubjicitur Superiori quoad obſervantiam Regulæ, quæ frequenter repugnat cum Inſtituto Confra-*

Digitized by Google

fraternitatis ; nequit deſcriptio in libro Sodalitatis prodeſſe ad acquirendas Indulgentias conceſſas Confratribus. Indulgentiæ ſiquidem conceduntur ratione inſtituti : itaque ſi id compati non poteſt vel cum ſtatu Religioſo, vel cum Regula , & Conſtitutionibus peculiaris Religionis ; nequit Regularis frui Indulgentiis Sodalitatis . Secus dicendum eſt , ſi Confraternitas ratione inſtituti compatibilitatem dicat cum iis, quæ Regularis ex vi ſuarum obligationum vel ratione ſtatus, vel Regulæ, vel Conſtitutionum tenetur implere: cujuſmodi ſunt Confraternitates plurimæ, quarum munera obeunda ſunt quandam teſſeram in obſequium B.V.M. vel Sanctorum geſtare , privatas preces recitare , certis anni diebus jejunare, aliaque hujuſmodi pia opera exercere : cum Indulgentiæ, de quibus agimus, eas conditiones, & opera injuncta implentibus concedantur. Unde non immerito Theodorus Stratius olim Prior Generalis Ordinis Carmelitarum in ſua *Inſtructione pro Carmelit. de Indulgent. Confratr. Scapular.*, inquit = *Sæcularis Confrater unius Confraternitatis, licet ut Confrater poſſit Indulgentias tantum ſuæ Confraternitatis obtinere; ſi tamen efficiatur Religioſus, tunc poterit ut Religioſus Indulgentiis Religionum, & ut Confrater Indulgentiis ſuæ Confraternitatis gaudere* = Idque verum eſt etiam ſi deſcriptio in libro Confraternitatis facta ſit poſt ſuſceptum habitum regularem: nulla enim eſt ratio, quare Regulares debeant canonica Confraternitati adſcriptione privari , atque ſpiritualibus Indulgentiarum emolumentis , quæ Sæcularibus in dicto Confraternitatum libro pariter deſcriptis , potiſſimaque Confraternitatum opera peragentibus ab Apoſtolica Sede conceduntur . Ideoque Ricciullus loco citato ait = *Quantum attinet ad Dei cultum; non eſt maſculus, neque fœmina, neque liber , neque ſervus : omnes enim in Chriſto eandem mercedem percipere debent :* §. *Hinc autem auth. de Monachis : & ob id omnes poſſunt eſſe de Confraternitate , ſi opus, cujus cauſa Confraternitas inſtituitur, ſexui , vel ſtatui non repugnet . Bartbol. in l. fin. n.* 16. *ff. de Collegiis illicitis . Prædicta procedunt ſive ſint laici, ſive Clerici , aut Religioſi Regulares : nam & ipſi poſſunt eſſe de Confraternitate de licentia ſui Superioris : Barth in d. l. fin. n.* 17.

Conſulto diximus nullam eſſe rationem, quare Regulares debeant tum canonica Confraternitatibus adſcriptione privari, tum ſpiritualibus Indulgentiarum emolumentis, quæ Sæcularibus in dicto Confraternitatum libro pariter canonice deſcriptis , potiſſimaque Confraternitatum opera peragentibus ab Apoſtolica Sede conceduntur . Nam , ſi nequeant plerumque publicis ſupplicationibus, aliiſque ſimilibus Confratrum actibus intereſſe, pro quibus etiam Indulgentiæ addictæ ſunt ; fructum earum nequaquam acquirerent : ſicut neque hujuſmodi Indulgentias Confratres ſæculares perciperent, qui cæteris expletis ad Confraternitatum inſtitutum ſpectantibus, cum aliis ad publicas ſupplicationes, aut ſimiles actus minime convenirent . Non ob id tamen cæteris Indulgentiis privarentur, ſi alias conditiones, aliaque opera pietatis ad eas comparandas injuncta implere ſatagerent .

Hinc verum non eſt Confratres ad carceres perpetuos damnatos veluti legitime impeditos, ſi recte diſpoſiti ſint, omnes & ſinguli Confraternitatum Indulgentias lucrari: quamvis eas acquirere certum ſit, quæ certis quibuſdam operibus adimplendis affixæ ſunt, ſi modo ea opera impleant.

Nec refert, quod in Ordinum Mendicantium privilegiis Patres Societatis Jeſu communicent : quia tametſi Patres iſti onera propria Ordinum Regularium Mendicantium non ſubeant; alia tamen implenda ſuſcipiunt ratione proprii Inſtituti pro Chriſtianæ Reipublicæ bono: propter quæ merito fruuntur iiſdem privilegiis, indultis, & gratiis ſpiritualibus, quibus a Gregorio XIII. decorati promeruerunt . Ut ergo aliquid evincat paritas; oſtendatur Pontificia Conſtitutio, quæ legitime impeditis a piis Confraternitatum exercitiis peragendis extendat Indulgentias pro talibus exercitiis conceſſas: & tunc nemo ibit inficias, Regulares lucrari omnes & ſingulas Indulgentias Confraternitatum, quibus adſcripti ſunt.

Nec

Nec excellentia actuum contritionis & charitatis valet ſupplere defectum operum injunctorum pro Indulgentiis comparandis. Alias impotens ad Eccleſiarum viſitationes eos actus eliciendo, poſſet plurimas Indulgentias locales acquirere: quod profecto nemo ſanæ mentis dixerit.

§. VII.

Notanda ſuper Indulgentiis, ac Privilegiis, quibus gaudent Confraternitates Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & Doctrinæ Chriſtianæ.

SAnctiſſimi Corporis Chriſti, ac Doctrinæ Chriſtianæ Confraternitatum Indulgentias hic ſeorſim duximus exponendas: quia utraque ob eximia virtutum opera ex proprio inſtituto exercenda ejuſmodi ſpiritualibus gratiis, ac peculiaribus privilegiis a Sede Apoſtolica decorari promeruerunt. Confraternitas enim Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſpecialem cultum exhibet Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quod eſt eximium fidei noſtræ Myſterium, æternæque hæreditatis pignus. Doctrinæ etiam Chriſtianæ Sodalitas memorandum charitatis actum toti Chriſtianæ Reipublicæ ſaluberrimum ſolet exercere, certis ſcilicet diebus parvulos, aliaſque miſerabiles perſonas notitiæ ad ſalutem neceſſariæ ignaras, fidei rudimentis, morumque diſciplinis inſtruere. Tam laudabile eſt hoc virtutis opus juxta Chriſti Servatoris mentem, qui parvulos ad ſe venire cupiebat: quam damnabilis oppoſitus juxta illud *Thr.* 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

Cives aliquot, ac Curiales Romani conſiderantes Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum in Parochialibus Urbis Eccleſiis non ea, qua decet, veneratione ſervari, neque per ipſam Urbem ad infirmos honorifice deferri; non modicum ex utroque ſexu numerum in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam coordinarunt: ut majori ejuſdem Sacramenti venerationi conſulerent. Hanc exortam Societatem Paulus III. duabus Conſtitutionibus approbavit (quarum prima incipit: *Dominus Noſter Jeſus Chriſtus*, edita pridie Calendas Decembris MDXXXIX. altera, cujus initium eſt: *Ad providam*:) atque adeo profuſum Eccleſiæ Theſaurum aperuit; ut eam, necnon alias ejuſdem inſtituti Confraternitates ubilibet inſtitutas, ac inſtituendas pluribus Indulgentiis ac privilegiis ditaverit: iiſque potiſſimum, quibus Sedes Apoſtolica diverſas Archiconfraternitates, & Congregationes Romæ erectas cumulaverat.

A diſtincta earum gratiarum narratione abſtinemus: ſuperfluam ſiquidem hujuſmodi notitiam exiſtimamus. Paulus ſiquidem V. Indulgentiarum moderationi conſulens, has novas ſuo Brevi adjecit: quod hic ſubjicimus: = *Paulus Papa V. Dilectis Filiis Adminiſtratoribus, & Confratribus Archiconfraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia* B. M. *ſupra Minervam de Urbe Ordinis FF. Prædicatorum canonice inſtitutæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum certas unicuique Confraternitati Indulgentias, & gratias ſpirituales, quibus de cætero fruantur, duxerimus præſcribendas; idcirco omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes, veſtræ Archiconfraternitati, & illius Confratribus, & Conſororibus hactenus per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores Noſtros conceſſas revocantes, & annullantes, ac nullius roboris & momenti eſſe declarantes; De Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui dictam Archiconfraternitatem de cætero ingredientur, die primo eorum ingreſſus, ſi vere pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint; Plenariam: Ac tam ipſis pro tempore deſcribendis, quam jam deſcriptis in dicta Archiconfraternitate Confratribus, & Conſororibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui proceſſioni per dictos Confratres in die octava Corporis Chriſti ſingulis annis fieri ſolitæ devote interfuerint, dictumque Sanctiſſimum*

Sa-

Sacramentum aſſociaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias apud Deum preces effuderint; etiam Plenariam. Necnon etiam iis Confratribus, & Conſororibus, qui dictæ proceſſioni (etiamſi de Ordine dictæ Archiconfraternitatis juxta illius Conſtitutiones impediti ſint) ſimiliter pœnitentes & confeſſi minime interfuerint, & Sanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum ſumſerint, & ut præfertur oraverint; etiam Plenariam. In mortis qnoque articulo omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus dictæ Archiconfraternitati adſcriptis, qui pœnitentes, & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti, nomen Jeſu ore ſi potuerint, ſin autem corde devote invocaverint; plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præterea iiſdem Confratribus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in die feſto ejuſdem Sanctiſſimi Sacramenti ſumſerint, & (ut præmittitur) oraverint; ſeptem annos, & totidem quadragenas. Qui vero officiis divinis, ac proceſſionibus dictæ Archiconfraternitatis interfuerint; centum dies: & qui ſexta feria cujuslibet hebdomadæ Eccleſiam S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe Ordinis FF. Prædicatorum devote viſitaverint, & ibi ut præfertur oraverint; ſimiliter centum dies. Ac eiſdem Confratribus, & Conſororibus, qui pœnitentes & confeſſi, ac Sacra Communione refecti proceſſioni in qualibet tertia Dominica menſis, & feria quinta in Cœna Domini fieri ſolitæ interfuerint, & ut præfertur oraverint; ſeptem annos & totidem quadragenas: & Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, in dicta Archiconfraternitate non deſcriptis eidem proceſſioni intereſſentibus; ducentos dies. Necnon etiam eiſdem Confratribus, & Conſororibus, qui ſaltem contriti, & confeſſi in dicta feria quinta in Cœna Domini dictum Sanctiſſimum Sacramentum proceſſionaliter comitati fuerint; centum dies: qui vero dictum Sanctiſſimum Sacramentum (cum tam ad infirmos, quam alias ubicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur) cum lumine, vel pariter ſine lumine comitati fuerint; quinque annos, & totidem quadragenas: & iiſdem impeditis ſemel orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitando, & ut præfertur orando; centum dies. Inſuper mulieribus, quæ juſta de cauſa prædictum SS. Sacramentum non comitatæ fuerint, ſemel orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitando, & pro infirmo pias ad Deum preces fundendo; ſimiliter centum dies. Ac prædictis Confratribus, & Conſororibus, qui locum, ubi Sanctiſſimum Sacramentum aſſervatur, in feria quinta in Cœna Domini viſitaverint, & (ut præmiſſum eſt) oraverint; ſimiliter centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Et ulterius vobis, ac veſtræ Confraternitati, ut Confraternitates aggregare, illiſque omnes ſupradictas Indulgentias (ſervata forma tradita in Conſtitutione felic. record. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris Noſtri ſupra dictarum Confraternitatum aggregationibus edita) communicare libere, & licite poſſitis, & valeatis, authoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem concedimus, & impertimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 3. Novembris MDCVI. Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

Præter Indulgentias in Pauli V. Brevi recitatas eximio gaudent privilegio hujus generis Confraternitates, quod in ſingulis Parochiis poſſint inſtitui: juxta Decretum Sacræ Congregationis Indulgentiarum, de quo meminit Cardinalis Arigonius in ſua Epiſtola ſupra in §. 3. allata.

Videbatur Confraternitatum Sanctiſſimi Sacramenti Pauli III. privilegio fuiſſe derogatum, quo illæ poterant ubique ſive Apoſtolica, ſive Ordinaria authoritate inſtitutæ iiſdem Indulgentiis Archiconfraternitati S. Mariæ ſupra Minervam ejuſdem inſtituti conceſſis citra aliam earundem Indulgentiarum communicationem potiri & gaudere: cum Paulus V. ita Indulgen-

tias a Paulo III. conceſſas dictæ Archiconfraternitati, juxta mentem Clementis VIII., revocaverit; ut novas dederit cæteris Confraternitatibus per aggregationem communicandas. Sed hoc dubium olim inter nonnullos eruditos Doctores excitatum, locum amplius non habet poſt Declarationem Sacræ Congregationis Indulgentiarum, quam hic conſiderandam ſubjicimus = *Licet felic rec. Paulus III. per binas ſuas Conſtitutiones conceſſerit, ut Sanctiſſimi Corporis Chriſti Confraternitates omnes & ſingulæ ubivis locorum tunc inſtitutæ, ac inſtituendæ iiſdem privilegiis, & conceſſionibus, Indulgentiis, gratiis, & indultis, quæ ConfraternitatibusSSmi Sacramenti in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe erectæ a ſe elargitæ fuerant, ac inpoſterum elargirentur, uti, potiri & gaudere poſſent, ac deberent; quia tamen per nonnullas Apoſtolicas Conſtitutiones, & Ordinationes, quæ deinceps emanarunt, præſertim vero per recolendæ memoriæ Clementis VIII. Conſtitutionem de aggregationibus editam, facultates, & Indulgentiæ tam ſupradictæ S. Mariæ ſupra Minervam, quam cæteris omnibus Confraternitatibus antea conceſſæ, aut abrogatæ, aut ſaltem moderatæ comperiuntur, aliaque hoc de genere decreta ſunt, ex quibus in dubium revocari poſſe videtur: an hujuſmodi Pauli III. conceſſiones priſtinum ſuum robur adhuc retineant; Congregatio Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium a Sanctiſſimo Domino Noſtro Paulo divina providentia Papa V. Indulgentiarum reformationi præfectorum, optans ſummopere Sacratiſſimi Sacramenti venerationem, & cultum in dies magis augeri, ad idque Chriſtifideles ſpiritualibus gratiis excitari; ſpeciali Sanctitatis Suæ Ordine vivæ vocis Oraculo habito decernit, ac declarat juxta ejuſdem Pauli III. Conſtitutiones omnes & ſingulas Confraternitates Sanctiſſimi Corporis Chriſti ubique terrarum hactenus Apoſtolica vel Ordinaria authoritate erectas, vel de cætero erigendas, abſque nova, & peculiari alia conceſſione, communicatione, vel aggregatione fore, ac eſſe debere participes quoruncunque privilegiorum, conceſſionum, Indulgentiarum, facultatum, gratiarum, & indultorum a Sanctitate Sua Archiconfraternitati Sanctiſſimi Sacramenti de Minerva per Breve datum Romæ apud S. Petrum die 3. Novemb. MDCVI. nominatim, & expreſſe conceſſorum, ac inpoſterum a Sede Apoſtolica concedendorum: illiſque omnibus, & ſingulis uti, potiri, & gaudere poſſe, ac debere, ſtatim ac Confraternitatum earundem erectio Apoſtolica, vel Ordinaria authoritate facta fuerit: ſervata tamen in reliquis omnibus prædicta Clem. VIII. Conſtitutione. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis de Indulgentiis adinſtar non concedendis, nec aliis contrariis quibuſcunque. Datum Romæ die 15. Februarii MDCVIII. Robertus Cardinal. Bellarminus: Antonius Epiſcopus Anagninus Secretarius* = Quæ declaratio jubente Clemente X. ab eadem Sacra Congregatione poſtea innovata eſt die 23. Aprilis MDCLXXVI.

Hinc obſerva, quod privilegium aggregandi ejuſmodi Confraternitates extra Urbem canonice erectas, & erigendas ejuſdem nominis, & inſtituti, conceſſum a Paulo V. in allato Brevi ſupramemoratæ Archiconfraternitati Sanctiſſimi Corporis Chriſti in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam de Urbe inſtitutæ, necnon aliud ſimile Archiconfraternitati in Baſilica S. Petri pariter de Urbe ejuſdem inſtituti datum die 12. Februarii MDCVII., inutile factum eſt quantum attinet ad Indulgentias: quanquam alios poſſint iſtæ aggregationes effectus obtinere non contemnendos: ut notat Riccius in ſuis MSS.

Quantum vero ad Confraternitates Doctrinæ Chriſtianæ, quoniam onus injunxit Epiſcopis Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 4.* ut pueri Fidei rudimentis, aliiſque ad mores ſpectantibus inſtruerentur = *Iidem (nempe Epiſcopi inquit) ſaltem Dominicis, vel aliis feſtivis diebus, pueros in ſingulis Parochiis, fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & Parentes, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curabunt, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent. Non obſtantibus privilegiis, & conſuetudinibus* = ideo S. Pius V. ut Tridentini mens compleretur, juſſit a locorum Ordinariis Confraternitates Doctrinæ Chriſtianæ inſtitui,

tui: propoſitis Indulgentiis tam Confratribus, quam pueris per eos inſtruendis: ut conſtat ex ſequenti Conſtitutione. = *Ex debito paſtoralis officii, Nobis meritis licet imparibus, ex alto commiſſi, ad ea libenter intendimus, per quæ divinus cultus, fideliumque devotio ubique ſuſcipiat incrementum: ac ipſos fideles ad id Indulgentiis, & remiſſionibus invitamus, ut Chriſtifideles ipſi per temporalia, quæ egerint, conſequi valeant præmia felicitatis æternæ. Nos igitur attendentes, quod infantes, & pueri bonis moribus, & exercitiis educati, quaſi ſemper vitam pudicam, honeſtam & exemplarem, ac aliquando ſanctam agunt: e converſo autem qui parentum carentia, ſeu paupertate, aut incuria, vel ignavia non ſic educati perſæpe ducuntur in exitium: & (quod pejus eſt) ſecum ducunt plures in interitum: unde ſi diligenter educati, & in doctrina Chriſtiana inſtructi fuerint, a vitiis, & multis aliis erroribus retraherentur; Conſiderantes etiam, prout ex fide dignis relatibus intelleximus, quod nonnulli approbatæ vitæ Chriſtifideles charitate omnium ſuprema virtute, circa hoc tam pium, tamque Reipublicæ ſaluberrimum opus accerſiti, in ſingulis feſtivitatibus, & Dominicis diebus, in diverſis Eccleſiis & locis hoc opus Sanctiſſimum amplexi ſunt, & ibi eoſdem infantes, & pueros, ac alias miſerabiles perſonas Chriſtianæ veritatis ignaras congregari faciunt, & eos bonis moribus, & ſana doctrina inſtruunt, ac diligenter in via mandatorum Domini dirigunt, ex quo ſalutiferi fructus hactenus provenerunt, & in dies magis auxiliante Domino ſperamus: & quod ſi ad hoc opus Sanctiſſimum ubique locorum exercendum præfatos Chriſtifideles paternis favoribus, & Indulgentiarum muneribus invitaremus; proculdubio non ſolum eorundem infantium, & puerorum, ac perſonarum aliarum ſaluti conſuleretur, verum etiam devotio Chriſtifidelium omnium ad præfatum opus amplectendum multo magis augeretur. Cupientes igitur tam pio, tamque laudabili operi viribus totis favere, & animas lucrifacere Creatori; ex certa Noſtra ſcientia univerſos, & ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſque Eccleſiarum Prælatos, et locorum quorumcunque Ordinarios ubilibet conſtitutos præſentes, et futuros rogamus, et hortamur attente: eis, ac eorum in ſpiritualibus, et temporalibus Vicariis, ſeu Officialibus generalibus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus hoc opus Sanctiſſimum toto pectore amplectentes, aliquas Eccleſias in ſuis Civitatibus, et Diœceſibus reſpective, ſeu loca honeſta, in quibus præfati infantes, et pueri ad audiendum doctrinam Chriſtianam convenire poſſint, deputent: et viros ad id idoneos vita, et moribus approbatos, qui diebus ſaltem Dominicis eoſdem infantes, & pueros, ac alias perſonas divinæ legis expertes, in articulis fidei, & præceptis S. Matris Eccleſiæ inſtruant, confirment, & eligant: atque tot Societates, ſeu Confraternitates, quot ad hoc Sanctiſſimum opus exercendum eis opportune videbitur, inibi auctoritate Noſtra erigant, & inſtituant. Nos enim ut promtius & alacrius ad hanc curam ſubeundam omnes Chriſtifideles alliciantur, & eo libentius curam ipſam ſuſcipiant, quo ex hoc dono cæleſtis gratiæ conſpexerint ſe uberius refectos; De Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ſeu ſtatutis a jure temporibus firmum confitendi propoſitum habentibus, qui in aliqua dictarum Societatum, ſeu Confraternitatum ubilibet conſtitutarum intraverint, & adſcripti fuerint, illis videlicet, tam qui alios docuerint, quam qui ab aliis in articulis fidei, & præceptis Eccleſiæ hujuſmodi inſtructi fuerint, quotieſcunque in præfato Sanctiſſimo Exercitio ſe occupaverint; quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium miſericorditer in Domino relaxamus: præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Cæterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides forſan facienda foret, deferri; volumus quod ipſarum tranſumptis manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigilla ali-*

alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in judicio & extra, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S.Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 6. Octobris MDLXXI. Pontificatus noſtri anno ſexto. = Innocentius vero XI. utilitatem earundem Confraternitatum expendens datis literis Encyclicis ad locorum Ordinarios ſub die 22. Junii MDCLXXXVI. ſancivit eas in ſingulis Parochiis poſſe inſtitui: ut refert Auguſtinus Mattheucci in ſuo opere inſcripto *Officialis Curiæ Eccleſiaſtic. cap. 14. num. 3.*

Ut autem tam laudabile inſtitutum in commune bonum Eccleſiæ excogitatum majora pietatis incrementa ſuſciperet; Confraternitatem Doctrinæ Chriſtianæ Baſilicæ S.Petri de Urbe in Archiconfraternitatem erexit Paulus V., uberiores ei Indulgentias adiiciens: necnon facultatem aliis ſimilibus Confraternitatibus ubique erectis, eaſdem Indulgentias una cum privilegiis communicandi: ut habetur ex ſequenti Conſtitutione = *Ex credito Nobis paſtoralis officii munere piis locis, quæ majora in dies in ſpiritualibus, & temporalibus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem incrementa ſuſcipiunt, ulteriora ſubſidia, & ampliora concedimus privilegia: ne quicquam illarum rerum prætermittamus, quæ ad Chriſtianam propagandam Religionem condiſcere videntur. Ob has cauſas conſiderantes Nos jure optimo a Sacro Tridentino Concilio, & Summis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris, ſtatutum, & jam multos ab hinc annos maximo Eccleſiæ Dei commodo obſervatum fuiſſe, ut pueri ſingulis Dominicis, & aliis feſtivis diebus, fidei rudimenta, obedientiam erga Deum, & parentes, aliaſque Chriſtianas virtutes ab iis, ad quos ſpectat, edocerentur: ut hac ratione, qui ad mundi voluptates ſequendas natura proni ſunt, Chriſtiana pietate eruditi, de virtute in virtutem proficientes, tales evaderent, qui ad populi Chriſtiani mores reformandos, & Catholicæ fidei incrementum idonei efficerentur miniſtri: atque hoc conſilio, cum nonnulli probitatis viri zelo charitatis accenſi, pro divini cultus augmento in hac Alma Urbe Noſtra cæterarum Matre & Magiſtra Tridentino Concilio publicato in quibuſdam Eccleſiis pueros, & adultos quoſcunque ſumma pietate, ac diligentia Doctrinam Chriſtianam docere cœpiſſent; hoc pium opus præſtante Domino, exiguo temporis ſpatio adeo incrementa ſuſcepiſſe, ut Congregatio ſub Doctrinæ Chriſtianæ nomine jam pridem inſtituta fuerit: ex quibus licet aliqui tantum in communi vivant cum ſuo Præpoſito in Eccleſia S.Agathæ Regionis Tranſtiberinæ; in unum tamen omnes ſub uno Protectore conveniunt, atque uno Præſide huic ſaluberrimo operi ſingulis feſtivis diebus ſedula incubuerunt, & incumbunt diligentia, Nos pro Noſtro Paſtoralis officii munere hoc pium, Chriſtianæque Reipublicæ neceſſarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenerunt, ac multo uberiores poſthac proventuros ſperamus, ex animo amplectentes, illudque in dies augeri magis, ac magis cupientes; Congregationem prædictam in Urbe inſtitutam, necnon ſingulas illius perſonas, & Eccleſias, nempe S.Martini Regionis Arenulæ, S.Agathæ Regionis Tranſtiberinæ eidem Congregationi Apoſtolica auctoritate conceſſas; ſub noſtra, & Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipientes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in celeberrima Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ hujuſmodi in Archiconfraternitatem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo erigimus, & inſtituimus. Illiuſque ſic erectæ, & inſtitutæ perpetuum Adminiſtratorem, & Protectorem dilectum filium noſtrum Hieronymum tituli S.Blaſii Presbyterum Cardinalem Pamphilium nuncupatum, ac pro tempore exiſtentem in Urbe, & ejus diſtrictu Rom. Pont. Vicarium, harum ſerie conſtituimus, & deputamus. Ac ipſius Archiconfraternitatis Confratribus pro tempore exiſtentibus aggregandi dictæ Archiconfraternitati alias quaſvis ejuſdem Doctrinæ Chriſtianæ in qualibet mundi parte canonice erectas & inſtitutas, ac inſtituendas Confraternitates,*

tes, illiſque privilegia, indulta, favores, exemtiones, gratias, & Indulgentias infraſcriptas ſibi per Nos conceſſas, ac pro tempore a Sede Apoſtolica concedendas communicandi. Necnon de Adminiſtratoris, & Protectoris prædicti conſenſu, quæcunque ſtatuta felix regimen, & gubernium dictæ Archiconfraternitatis concernentia, licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus, & decretis Concilii prædicti, Conſtitutionibuſque Apoſtolicis minime contraria condendi, illaque ſic condita, pro rerum, & temporum qualitate in toto, vel parte, ac toties quoties opus fuerit immutandi, & in eorum locum alia de novo edendi, licentiam, facultatem, & auctoritatem concedimus, et impartimur. Ut autem devotio Chriſtifidelium ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi, omnibus, et ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, et confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui pro Miniſtris, operariis et Confratribus dictam Archiconfratesnitatem ingredientur; die primo illorum ingreſſus, ſeu eo die, quo dictæ Archiconraternitati adſcripti fuerint, Plenariam. Necnon eiſdem ſic deſcriptis, qui vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in feſto, quod ab ipſa Achiconfraternitate, & aliit Confraternitatibus aggregatis, ſeu aggregandis pro earum præcipuo, & principali, reſpective eligetur, ſumſerint; etiam Plenariam. Quique vere pœnitentes, & confeſſi dictum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, aut id facere non valentes, animo contrito, nomen Jeſu ſaltem corde in mortis articulo invocaverint; ſimiliter Plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam dicta auctoritate earundem tenore præſentium concedimus. Præterea eiſdem Confratribus, qui vere pœnitentes, & confeſſi ſemel quolibet menſe Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint; ſeptem annos, & totidem quadragenas. Quique in cauſa fuerint, ut pueri, famuli, aut quævis aliæ perſonæ ad diſcendam Doctrinam Chriſtianam eant; ducentos dies. Qui vero diebus Stationum Urbis hanc Doctrinam in Eccleſiis docuerint, ac etiam illi qui ad eandem diſcendam acceſſerint; eaſdem Indulgentias conſequantur, quas conſequerentur, & conſequi poſſent, ſi Eccleſias Stationum perſonaliter viſitarent. Eaſdem etiam Indulgentias viſitatores dictæ Archiconfraternitatis, qui ex commiſſo ſibi officio viſitabunt illas ſcholas, quas in illo die viſitare poterunt, conſequantur. Inſuper eiſdem Confratribus, qui diebus feriatis hanc Doctrinam Chriſtianam aut publice, aut privatim explanaverint; centum dies. Necnon omnibus, & ſingulis præceptoribus, qui diebus feſtivis diſcipulos ſuos ad Doctrinam Chriſtianam duxerint, eoſque illam docuerint; ſeptem annos. Quique diebus feriatis in propriis ſcholis eandem Doctrinam explicaverint; centum dies. Sacerdoti etiam dictæ Archiconfraternitatis, qui in Eccleſia ſeu Oratorio illius Confraternitatis, Verbum Dei prædicaverit, aut Collationes fecerit, (licet illo die non intervenerit in aliqua ſchola docendi cauſa); ſeptem annos. Omnibus autem, & ſingulis patribus, & matribus familias, qui in ſuis domibus liberis, famulis, & familiaribus utriuſque ſexus Doctrinam Chriſtianam explanaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies. Item Confratribus, qui per Civitatem viros, mulieres, aut pueros ad eandem Doctrinam Chriſtianam ducendi cauſa circumierint; ſeptem annos. Eiſdem autem Confratribus, qui extra Civitatem ad illam docendam per Caſtella, & Villas exierint; decem annos. Item eiſdem Confratribus, qui diſputationibus, quæ in ſcholis dictæ Archiconfraternitatis fieri ſolent, interfuerint; ducentos dies. Omnibus item, & ſingulis Chriſtifidelibus, qui per mediam horam Doctrinam aut docendi, aut diſcendi gratia ſtuduerint; centum dies. Eiſdem etiam Confratribus, qui infirmos dictæ Archiconfraternitatis viſitaverint; quoties id fecerint, ducentos dies. Quoties vero Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, dum ad infirmos defertur, comitati fuerint; ſeptem annos.

Eiſ-

Eiſdemque Confratribus, qui corpora Confratrum, & Conſororum defunctorum, ac defunctarum ad ſepulturam aſſociaverint, aut exequiis, anniverſariis, officiiſve, quæ pro eis celebrantur, pro eorum animabus preces fundentes interfuerint; tres annos. Ac quoties divinis officiis, & Congregationibus publicis, vel ſecretis dictæ Archiconfraternitatis intervenerint; ducentos dies. Eandemque Indulgentiam conſequantur, quandocunque proceſſionibus a locorum Ordinariis ſub vexillo dictæ Archiconfraternitatis præſcribendis interfuerint. Item omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus, & cujuslibet ætatis Chriſtifidelibus ad Doctrinam Chriſtianam diſcendam in dictis ſcholis convenire ſolitis, qui peccata ſua quolibet B. Mariæ Virginis, aut alio feſto a Superioribus dictæ Congregationis determinando, confeſſi fuerint; tres annos: iis vero, qui ad Communicandum habiles ſunt, ſi dictum Euchariſtiæ Sacramentum devote ſumſerint; quinque annos. Præterea quolibet die dicta Congregatio in quavis Civitate, vel Terra publicabitur; omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Confratribus dictæ Confraternitatis vere pœnitentibus, confeſſis, ac Communicatis ſeptem annos, & totidem quadragenas de eis injunctis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino concedimus, & relaxamus. Noſtræ propterea intentionis eſſe declaramus, quod Indulgentiæ, gratiæ, & indulta prædicta intelligantur, ac ſint conceſſa cuivis Confraternitati canonice erectæ, ſive erigendæ in quolibet Orbis parte, ſtatim, ac prædictæ Archiconfraternitati juxta Conſt. ſel. rec. Clem. Papæ VIII. prædeceſ. Noſtri fuerit aggregata, nec abſque aggregatione hujuſmodi gratiarum, & Indulgentiarum prædictarum participes ullo modo eſſe poſſit. Declarantes nihilominus, quod cum una Confraternitas dictæ Doctrinæ Chriſtianæ unius Civitatis aggregata fuerit; intelligantur, & ſint omnino aggregatæ reliquæ omnes utriuſque ſexus ab Ordinario loci erectæ & erigendæ, earundemque Indulgentiarum, & gratiarum prædictarum participes ſint. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Archiconfraternitatis munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die 6. Octobris MDCVII. Pontificatus Noſtri anno 3.

Diligenter inſpiciendum eſt allatum Breve, præcipue ubi habetur = *Declarantes nihilominus, quod cum una Confraternitas Doctrinæ Chriſtianæ unius Civitatis aggregata fuerit; intelligantur & ſint omnino aggregatæ reliquæ omnes utriuſque ſexus ab Ordinario loci erectæ & erigendæ, earundemque Indulgentiarum, & gratiarum prædictarum participes ſint* = iis enim verbis ſignificari videbatur, ut ſemel Civitatis alicujus aggregata Confraternitate, aliæ pariter aggregatæ cenſeantur, quæ in eadem Civitate exiſtunt; minime tamen illæ, quæ per totam Diœceſim reperiuntur erectæ. Neque vero ii duntaxat Confratres, qui extra Urbem degunt, de hac re dubitarunt, ſed illi ipſi etiam, qui elapſis temporibus gubernio Archiconfraternitatis præfuerunt. Ne igitur in poſterum dubitatio ulla poſſet erumpere, utque fideles per loca Civitatibus minora diſperſi, tot ſpiritualium gratiarum ipſis communicandarum ſpe ad inſtitutum maxime Chriſtianæ Reipublicæ utile allicerentur; quæſitum eſt nomine Archiconfraternitatis, de qua hic eſt ſermo, a Sacra Congregatione Indulgentiarum &c. declarari, quid per ea verba Brevis Pauli V. intelligeretur: an ſcilicet ſtatim ac in aliqua Civitate Doctrinæ Chriſtianæ una Confraternitas fuerit aggregata, omnes aliæ ſimiles Confraternitates intra Diœceſim erectæ, aggregatæ cenſeantur, & Indulgentiis omnibus Archiconfraternitati conceſſis ipſæ perfruantur? Inſuper Archiconfraternitas oratrix humilli me ſupplicavit, ea de re circulares literas ad Epiſcopos dari, ex quibus indubia Sacræ Congregationis mens innoteſceret. Expoſita itaque inſtantia juxta morem ſub duobus dubiis = 1. *Qua ratione verba Bullæ pro Confraternitatibus Doctrinæ Chriſtia-*

ſtianæ intelligenda ſint? 2. An ea de re literæ circulares dandæ ſint? = Sacra Congregatio ſub die 23. Martii MDCCXI. reſpondit = *Quoad primum: Intelligenda eſſe de omnibus Confraternitatibus in tota Diœceſi exiſtentibus. Quoad ſecundum: Affirmative juxta modum* = Inde ſequens prodiit Decretum = *Cum Venerabilis Archiconfraternitas Doctrinæ Chriſtianæ poſita in Eccleſia S. Martini de Urbe Sacræ Congregationi Indulgentiarum humiliter expoſuerit: ſæpius a nonnullis dubitatum fuiſſe, an attenta Bulla a S. Mem. Paulo V. edita, quæ incipit: Ex credito: ſatis ſit, ut una Confraternitas ejuſdem inſtituti in aliqua Civitate aggregetur, ad hoc ut cunctæ aliæ ſimiles Confraternitates, quæ in tota Diœceſi eriguntur ab Archiconfraternitate, ſeorſim aggregationem ſuſcipiant? Cumque pariter ſupplices preces porrexerint, ut Eminentiſſimi Patres ea de re ſuum oraculum proferre dignarentur; eadem Sacra Congregatio, (etiam ſi verba prædictæ Bullæ ſatis clara viderentur,) tamen ne ullus inpoſterum dubii locus ſupereſſet; die 23. Martii 1711. declaravit: Sufficere ut aliqua Confraternitas Doctrinæ Chriſtianæ in una Civitate Archiconfraternitati aggregata ſit, ad hoc ut cunctæ aliæ ab Ordinario loci in tota Diœceſi erectæ, ſive erigendæ aggregatæ cenſeantur, & omnium ſpiritualium gratiarum, & Indulgentiarum, quibus dicta Archiconfraternitas fruitur, participes ſint. Datum die 26. Martii MDCCXI. J. M. Card. Gabriellius. Raphael Coſmus de Hieronymis Secret.* = Et ſane quod ſpectat ad illius Bullæ interpretationem; ejus verba de omnibus, & ſingulis Confraternitatibus expreſſe loquuntur. Quod autem eſt generaliter traditum, generaliter pariter eſt intelligendum: *l. de pretio ff. de publician.* Accedit inſuper, quod in marginali nota ſupradictis verbis appoſita, Romæ tempore ejuſdem Pauli impreſſa, atque vulgata, hæc diſerte habentur: = *Declaratio, quod ſufficit aggregatio unius Confraternitatis pro qualibet Diœceſi, ut cæteræ ibi erigendæ ab Ordinario participes ſint.* =

ARTICULUS III.

De Indulgentiis pro publica Expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti conceſſis.

Inter præcipua Indulgentiarum Brevia, quæ expediuntur a Sede Apoſtolica, recenſentur ea, quæ publicam Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ expoſitionem concernunt: ideoque ejus expoſitionis uſum, ac Indulgentias conceſſas, necnon pro ea dari conſuetas in hoc Articulo tradere opportunum duximus.

§. I.

De Inſtitutione Orationis quadraginta horarum.

Antiquioribus Eccleſiæ ſæculis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ad fovendum Religionis ac pietatis ſtudium ſuper Altaribus Sacris aſſervatum fuiſſe docemur a Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 6. his verbis = *Conſuetudo aſſervandi in Sacrario Sanctam Euchariſtiam adeo antiqua eſt, ut ſæculum etiam Concilii Nicœni agnoverit* = Aſſervabatur itaque tunc Sacra Euchariſtia in columbis aureis, & argenteis pendentibus ſuper Altaribus: de quibus extat præclarum teſtimonium in vita D. Baſilii Magni, vel ab Amphilochio Iconii Epiſcopo, vel ab alio Authore ſub ejus nomine exarata *cap.* 6., ubi habetur: = *Dividens panem in tres partes* (Baſilius) *unam quidem ſuſcepit cum timore multo, aliam vero ſervavit ad conſepeliendum ſibi, tertiam autem poſitam ſuper columbam auream ſuſpendit ſuper Altare.* = Idem oſtendunt querelæ Clericorum, & Monachorum Antiochiæ, contra Severum ejus Urbis Epiſcopum in epiſtola ad Joannem Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum data, ac recitata in Concilio Conſtantinopolitano II. & Generali V. celebrato anno DLIII., cujus hæc verba ſunt: = *Neque utique ipſis Sanctis Altaribus pepercit*

Se-

Severus : *neque ſacris vaſis parcens, alia autem conſlans, ſimilibus ſuis erogat. Præſumtum eſt autem ab ipſo & hoc, o Beatiſſimi: nam columbas aureas, & argenteas in formam Spiritus Sancti ſuper divina lavacra, & Altaria appenſas una cum aliis ſibi appropriavit, dicens : non oportere in ſpecie Columbæ Spiritum Sanctum nominare.* = Temporum ſucceſſu cœpit Sacra Euchariſtia in Turriculis, ſeu Turribus pretioſis ſuper Altaribus conſtitutis reponi. Hinc Felix Epiſcopus Bituricenſis, qui Concilio Turonenſi II. celebrato anno DLXVII. ſubſcripſit; ad Euchariſtiam ſervandam vas aureum fieri curavit adinſtar Turris : merito a Venantio Fortunato commendatus hoc ſcripto Epigrammate ad *Felicem Bituricenſem Epiſcopum* in Turrim ejus.

Quam bene juncta decent ſacrati ut corporis agni.
Ingens Margaritum ac aurea dona ferant.
Cedant criſolythis Salomonia vaſa metallis.
Iſta placere magis ars facit atque fides.
Quæ data Chriſte tibi Felicis munere ſi eſſent.
Qualia nunc tribuit de grege Paſtor oves.
Et cujus tu corda vides pietate coæquas.
Par viduæ merito, quæ dedit æra duo.

Harum Turrium meminit Gregorius Turonenſis, qui ſub finem Sæculi VI. ſcripſit: *lib. de gloria Martyrum cap. 86.* ibi = *Tempus ad offerendum ſacrificium advenit : acceptaque Turre Diaconus, in qua Myſterium Dominici corporis habebatur, ferre cæpit ad oſtium: ingreſſuſque templum, ut eam Altari ſuperponeret; elapſa de manu ejus ferebatur in aera: & ſic ad ipſam aram accedens, nunquam eam manus Diaconi poteſt adſequi* = Et Remigius Antiſſiodorenſis Monachus, qui claruit anno DCCCLXXX. in ſuo Teſtamento apud Hodoardum *lib. 5. hiſtor. Rhemen.* inquit = *Illud quoque vas aureum decem librarum, quod mihi ſæpe memoratus Dominus Clodovæus Rex donare dignatus eſt, tibi hæredi meæ Eccleſiæ ſupramemoratæ* (Rhemenſi) *jubeo turriculum & imaginatum calicem fabricare* = Quamobrem audiendi non ſunt quidam Authores ita legentes: *Thuribulum, & imaginatum calicem &c.*: ut recte probat poſt Briſonem Souſas *in Panopl. Sacerdot. cap. 4.*, idemque non obſcure demonſtrat Hodoardus mox memoratus de Laudone Archiepiſcopo ita ſcribens: = *Turrim quoque auream, quam ad votum ſuum fabricari fecerat, ſuper Altare poſuit Sanctæ Mariæ Rhemenſis Eccleſiæ, & patènas tres.*

Nedum vero in turriculis pretioſis, & ſacris pixidibus (ut modo in uſu eſt) conſtat ex antiquis monumentis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum fuiſſe aſſervatum; ſed etiam recentioribus ſæculis in tabernaculis portatilibus ad publicam Chiſtifidelium venerationem propoſitum : quæ vulgo *Oſtenſoria* dicuntur, & *Monſtrantiæ* a Concilio Colonienſi anno MCCCCLII. celebrato vocantur: quorum tamen uſus, juxta commune Scriptorum placitum, ante trecentos quinquaginta annos invectus nequaquam reperitur. Nec audiendus eſt quidam eruditus Scriptor a Joanne Baptiſta Tyers in ſuo *Tract. de expoſit. Sacræ Euchariſtiæ cap. 7. l. 1.* relatus, qui cenſuit alienum non eſſe a veritate, *Monſtrantias* hujuſmodi, quarum meminit Concilium Colonienſe, fuiſſe duntaxat ad claudendas ſacras hoſtias adinventas : eo modo quo Monſtrantias dicimus capſulas, quæ ita continent horologia, ut tamen rotarum machinas nequaquam oſtendant, imo potius operiant. Audiendus inquam non eſt: cum earundem rerum inſtitutum apertiſſime ex Concilii laudati verbis deprehendatur = *VISIBILITER in quibuſcunque Monſtrantiis* (Sacra Euchariſtia) *ponatur, aut deferatur.*

Cæterum quanquam nequeat certo definiri, quo tempore, ad publicam Sacræ Euchariſtiæ exhibitionem, Oſtenſoriorum, ſeu Tabernaculorum portatilium uſus cœperit adhiberi; ritus tamen, quo veluti in ſede Majeſtatis ſuæ publice in Templis quadraginta horarum ſpatio proponitur ad orandum, Mediolani exordium habuit circa annum MDLVI.: ejuſque inſtitutio Fratri Joſepho a Mediolano Religioſo Ordinis Cappuccinorum tribuitur. = *L'annèe*,

née, MDLVI.(inquit Petrus a Sancto Romualdo Fulienſis in ſuo *Theſ. Chronolog. tom. 3.*) *mourut le P. Joſeph de Milan Capuccin , grand perſonage; & de grand ſcavoir , principalment en Theologie . On lui donne la gloire , d'avoir le primier inſtituè l' Oraiſon des quarant heures* = Premebatur tunc Civitas Mediolanenſis ab exercitu Gallorum, cum Frater Joſeph, (qui ſupra,) hanc Orationem civibus ſuaſit : ut populus cum fiducia ad thronum gratiæ accedens , ac quadraginta horarum ſpatio in oratione perſeverans, divinæ iracundiæ flagellum averteret : ſpondens ipſe , brevi Civitatem ab ingruentibus calamitatibus evaſuram . Zaccharias Bocrius hæc enarrat , atque hujus inſtitutionis conſilium *tom. 1. Annal. Cappuccinor. ad annum MDLVI. num 5. & 6.* quem non pigeat hic audire = *Ut admirabiles in hominum animis Frater Joſeph a Mediolano , ac præſertim cum Orationi quadraginta horarum incumberet , cujus ipſe primus auctor , & inſtitutor fuit , impetus , ac mutationes efficeret ; id uno, vel altero exemplo lubet oſtendere . Quo tempore Mediolanenſis Urbs , ob graſſantia Cæſarianorum , & Francorum bella maxime conſternantia , jacebat ; in ea Joſeph verbum Dei diſſeminans civibus perſuadet , ut quadraginta horarum Orationem in Urbe inſtituant : ex qua futurum illis pollicetur , ut ex tot incendiis ac direptionibus , quibus Urbs , ac totus Mediolanenſis ager undique premebatur , tandem liberarentur . Cives diuturnis jam calamitatibus attriti , ac viri promiſſionibus allecti ; haud ſurdas Joſepho , qui plurimum apud eos, ob vitæ ſanctimoniam , atque in dicendo vim , auctoritate valebat, aures præbent . Quare communi Urbis conſilio, quadraginta horarum Oratio , primo quidem in Cathedrali Eccleſia , tum etiam in aliis Urbis Eccleſiis per totum anni circulum inſtituta fuit : in qua cum populus ad Sacram Euchariſtiam, & Orationem conflueret ; is Dei verbum per ſingulas Eccleſias miniſtrans , univerſos ad pœnitentiam , ac meliorem vitæ frugem hortabatur . Nec defuit ſervi ſui promiſſo Clementiſſimus Pater. Vix enim in ea Urbe Oratio inſtituta fuit ; cum paulatim bellorum tumultus cœpit miteſcere : ſedatus armorum ſtrepitus : & pax inter Cæſarianos, & Gallos, Carolo V. Imperatore , & Franciſco Gallorum Rege ad Foſſas Marianas in mutuum conſpectum , & colloquium convenientibus , compoſita fuit . Hinc quoniam de quadraginta horarum Oratione ſermo inſtitutus fuit : ut nonnulla obiter de pia hac inſtitutione attingamus ; illud primum apud omnes certum eſſe debet , quadraginta horarum Orationem ea ratione a Joſepho inſtitutam fuiſſe , ut illud quadraginta horarum tempus ad mentem revocet , ac pia inſtitutione colat , quo Sanctiſſimum Domini Corpus in ſepulchro olim conditum jacuit : indeque eam ſibi apud Chriſtianos religionem vendicet , ut Sacra Euchariſtia publice in Eccleſia per totidem horas expoſita , Chriſtiana plebs pœnitentiæ Sacramento a culpis expiata , ac ſacro Domini corpore refecta , quoad Dei dona capeſſenda aptior fiat , totum illud temporis ſpatium pia oratione celebret , quo Dominus pro hominum ſalute mori , ac ſepulchro recondi voluit .* =

Quadragenarius numerus prædictæ Orationi deputatus aliis novi Teſtamenti fulget myſteriis vitæ & Reſurectionis Chriſti : inter quæ potiſſimum eminent, quod Chriſtus adhuc infantulus quadraginta diebus manſerit in antro Bethlemitico: paremque dierum numerum, expleto anno ætatis ſuæ trigeſimo, jejunio conſecraverit: ac totidem diebus poſt Reſurrectionem ſuam Diſcipulis apparuerit , loquens de Regno Dei . Ut vero id orandi genus per varias Italiæ Urbes feliciter propagatum, ac Romæ uſu receptum perpetuo ritu ſingulis menſibus perageretur; erecta eſt Confraternitas Orationis, (quæ ex alio pietatis exercitio defunctorum corpora ſepeliendi etiam Mortis eſt nuncupata) primum in Eccleſia S. Laur. in Damaſo , ac poſtea in Eccleſia S. Joannis Evangeliſtæ in Ayra Urbis : quam probavit, confirmavitque Pius IV. Conſtitutione incipiente : *Divina diſponente Clementia:* edita 15. Cal. Decembris anno MDLX., in qua hæc habentur= *Sane ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardianorum , Adminiſtratorum, & Officialium Confraternitatis de Ora-*

tione, alias DELLA MORTE nuncupatæ in Alma Urbe inſtitutæ, petitio continebat, jam multis annis elapſis nonnulli Chriſtifideles in ipſa Urbe degentes divino inſtinctu moti, & pia mente conſiderantes, Orationes humiliter, & devote a Chriſtifidelibus in unum in Dei nomine convenientibus factas, divinæ Majeſtati gratas & acceptas exiſtere, ac illis, & eleemoſynis, aliiſque piis operibus ipſius Omnipotentis Dei clementiam, & miſericordiam impetrari; unam Societatem, ſeu Confraternitatem utriuſque ſexus perſonarum de Oratione, alias DELLA MORTE nuncupatam, in eadem Urbe inſtituerunt: & inter alia ordinaverunt, ut ſingulis menſibus diebus, & horis ad id per pro tempore exiſtentes ejuſdem Confraternitatis Guardianos, ſeu Adminiſtratores & Officiales deſignandis, & ſtatuendis ad imitationem quadraginta dierum, quibus Dominus Noſter Jeſus Chriſtus in deſerto vitam humanam agens jejunavit, ac etiam Sanctorum Apoſtolorum, & Patrum primitivæ Eccleſiæ, qui ad Deum ſine intermiſſione orabant, Oratio fieret, ad eundem Omnipotentem Deum vocalis, & mentalis, horas quadraginta continuas per homines, & mulieres dictæ Societatis, ac alias perſonas ibidem intereſſe volentes, etiamſi Confratres non eſſent: ac ipſi Confratres in principio cujuslibet Orationis ſingulo menſe in penultima ejus Dominica, vel alio die fieri ſolitæ, Corpus Domini cum decenti pompa deferrent .... Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicta Confraternitas, Spiritu Sancto adjuvante, concurſu fidelium, qui ad illam confluxerunt, augmentum, & in dictis piis operibus incrementum non modicum ſuſceperit, ac in dies augeatur: dictique Confratres, qui ipſam Confraternitatem primo in S. Laurentii in Damaſo conſtituerunt, & ad præſens in S. Joannis Evangeliſtæ in Ayra dictæ Urbis Eccleſiis congregatam retinent, etiam pro illius directione & augmento nonnulla capitula, & ſtatuta fecerint & ediderint, ... Nos igitur, qui Chriſtifidelium devotionem, orationes, & pœnitentiam, ac charitatis opera ubique locorum, ſed præcipue in ipſa Urbe feliciter adaugeri ſinceris deſideramus affectibus; hanc dictorum Confratrum devotionem in Domino collaudantes, ac Guardianos, Adminiſtratores, & Officiales prædictos, ac eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis &c.; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dummodo dilectorum filiorum Archiconfraternitatis Charitatis etiam de Urbe ad infraſcripta accedat aſſenſus; inſtitutionem Confraternitatis de Oratione alias de Morte nuncupatæ hujuſmodi, ac omnia, & ſingula per Guardianos, & Confratres prædictos, circa præmiſſa edita, ordinationes, & ſtatuta, ac prout illa concernunt cætera in eiſdem documentis contenta, licita & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria; Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ex certa ſcientia approbamus, & confirmamus: ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, (ſi qui forſan intervenerint) in eiſdem ſupplemus, illiſque omnibus perpetuæ firmitatis robur adjicimus. Et nihilominus eandem Confraternitatem de Oratione alias de Morte nuncupandam eiſdem modo, & forma, quibus per ipſos Chriſtifideles inſtituta exiſtit; de novo auctoritate & tenore præmiſſis inſtituimus, & etiam erigimus.

Ut autem hæc eximiæ devotionis argumenta in prædicta Eccleſia incepta in aliis etiam Urbis Eccleſiis commodius a Chriſtifidelibus quotidie exhiberentur; ſtatuit Clemens VIII., ut Romæ in Eccleſiis Patriarchalibus, inſignibus Collegiatis, & S.R. Eccleſiæ Cardinalium Titulis, & Diaconiis, necnon in Regularium, & Confraternitatum Eccleſiis per turnum certis præfinitis diebus pia, ac ſalutaris quadraginta horarum perpetua, & nunquam interrupta Oratio celebraretur: ea ſervata Eccleſiarum, temporiſque diſtributione; ut diu noctuque quavis hora totius anni ſpatio, ſine intermiſſione Orationis incenſum in conſpectu Domini dirigeretur: edita ad hunc effectum ſequenti Conſtitutione=*Graves, & diuturnæ Chriſtianæ Reipublicæ calamitates, quæ peccatis promerentibus quotidie magis ingraveſcunt, paſtoralem ſollicitudinem Noſtram, quam univerſæ Eccleſiæ debemus, aſſidue commovent: magno ſane cum doloris ſenſu præſentium malorum, & im-*

& impendentium periculorum metu. Sed præcipue cor Noſtrum, & paterna viſcera Noſtra transfigit luctuoſus ſtatus nobiliſſimi, & olim florentiſſimi Galliæ Regni: quod tot jam annos ſumma cum rerum perturbatione, & omnium malorum acerbitate conflictatur, ſerpunt in dies latius hæreſum incendia, jamque pari furore inflammati Sanctæ Eccleſiæ inimici, hinc hæretici, inde Turcæ cervicibus noſtris propius imminent: plane ut manifeſte omnibus appareat, ad tam multa incommoda repellenda inanem eſſe omnem operam hominum, inanes labores, & imbecilles vires, niſi cæleſtis gratiæ auxilio roborentur. Quod ut conſequi poſſimus confugiamus neceſſe eſt ad illam deſideriorum noſtrorum fidelem internuntiam, atque interpretem, & bonorum omnium conciliatricem orationem: quæ ex corde humili, & animo contrito emiſſa, Cælos penetrat, iram Dei mitigat, plagas & flagella Dei avertit, & divinæ miſericordiæ impetrat abundantiam. Eſt enim, ut SS. PP. illam vocant, clavis Cæli: & cum aſcendit oratio, deſcendit Miſeratio, & quidem tanto facilius, & uberius deſcendit, quanto major fidelium ac piorum multitudo in uno charitatis ſpiritu copulata continuatas adhibet preces. Quare memores verbi Domini quod eſt apud S. Prophetam: Invoca, inquit, me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me; ſtatuimus ad placandum Deum, ut avertatur ira ejus a populo ſuo, & ad ejus opem his difficillimis temporibus impetrandam, perpetuam ſine intermiſſione Orationem publice in hac Alma Urbe ſic inſtituere, ut in Eccleſiis Patriarchalibus, & inſignibus Collegiatis, nec non S.R.E. Cardinalium Titulis, & Diaconiis, & Regularium, atque etiam Confraternitatum Eccleſiis, quæ ſeorſim deſcriptæ erunt, certis præfinitis diebus, pia & ſalutaris quadraginta horarum Oratio celebretur: ea ſervata Eccleſiarum, & temporis diſtributione; ut die, noctuque, quavis hora toto vertente anno ſine intermiſſione Orationis incenſum in conſpectu Domini dirigatur. Quamobrem vos omnes, quos uti peculiares filios præcipuo complectimur affectu, vehementer in Domino hortamur, ut in hoc ſaluberrimo, & perneceſſario orandi ſtudio, vos ipſos pie, & diligenter exerceatis. Pauperes omnes ſumus, & Dei gratia indigemus: bonorum, omnium auctor & largitor eſt Deus: nihil boni adipiſci, nihil mali evitare ſine eo poſſumus. Petite ergo, & accipietis: pulſate, & aperietur vobis. Orate pro Eccleſia Sancta Catholica, ut diſſipatis erroribus, unius fidei veritas toto terrarum Orbe propagetur. Orate ut peccatores redeant ad cor: & ne ſcelerum fluctibus abſorbeantur, ſed per pœnitentiæ tabulam ſalventur. Orate pro Regum, & Chriſtianorum pace, & unitate. Orate pro afflicto Regno Galliæ, ut qui dominatur cunctis Regnis, & cujus voluntati nihil reſiſtit, Regno Chriſtianiſſimo, & optime de Chriſtiana religione merito, veterem pietatem, & priſtinam tranquillitatem reſtituat. Orate ut fidei hoſtes teterrimi Turcæ, qui furore, & audacia incenſi Chriſtianis omnibus ſervitutem, & vaſtitatem minitari non ceſſant; ipſius Dei Omnipotentis dextera conterantur. Orate denique pro Nobis ipſis, ut Deus infirmitatem Noſtram ſublevet: ne tanto oneri ſuccumbamus, ſed det Nobis in populo ſuo verbo, & exemplo proficere, & opus miniſterii Noſtri adimplere: ut una cum grege Nobis (licet immeritis) credito, ad vitam ſempiternam perveniamus: per aſperſionem ſanguinis Agni immaculati, quem in Altari offerimus, & Deo Patri repræſentamus, ut reſpiciat in faciem Chriſti ſui, & parcat Nobis peccatoribus: intercedente etiam Advocata Noſtra Sanctiſſima Virgine Dei Genitrice Maria, Sanctiſque omnibus cum Chriſto Domino regnantibus. Hanc autem piam Orationem Nos ipſi primum in Noſtro Apoſtolico Palatio prima Dominica ſacri Adventus poſt Miſſarum ſolemnia inchoabimus, cum Venerabilibus FF. Noſtris S.R.E. Cardinalibus, & qui in Urbe adſunt Epiſcopis, & Prælatis: ut deinceps ſuo ordine in cæteris Urbis Eccleſiis ad præſcriptam formam celebretur, & ſalutaris conſuetudo ſine intermiſſione orandi rite, ac devote in-

ducatur. Cæterum ut eo propenſius in hoc pio inſtituto perſeveretis, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, & Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento refectis, qui in quacunque Eccleſia, ubi Oratio ejuſmodi indicta fuerit, devote orando unam ſaltem horam perſeveraverint; plenariam peccatorum ſuorum Indulgentiam concedimus, & elargimur. Iis vero, qui inibi pias ad Deum preces breviori ſpatio effuderint; ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis, aut alias debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Datum Romæ apud S.Petrum die vigeſimaquinta Novembris milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo Pontificatus Noſtri anno primo.

§. II.

Indulgentiæ conceſſæ, & concedi ſolitæ pro Oratione quadraginta horarum, aliiſque publicis expoſitionibus Sanctiſſimi Sacramenti.

UT libentius Chriſtifideles prædictam Confraternitatem Orationis alias Mortis nuncupatam ingrederentur; Pius IV. in memorata Conſtitutione incipiente: *Divina diſponente Clementia*: Confratribus in diebus Orationis quadraginta horarum accedentibus ad propriam Eccleſiam, ibique devote orantibus Plenariam Indulgentiam conceſſit: iiſdem vero, qui integram primam, vel ſecundam noctem dictæ Orationis, in precibus Deo porrigendis inſumerent, quoties certas preces pro anima cujuſcumque defuncti recitarent, toties Indulgentiam centum annorum dedit=*Inſuper ut Chriſtifideles, eo libentius ad ingrediendum Confraternitatem hujuſmodi inducantur, & animarum ſaluti peramplius propagetur; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis, præſentibus, & futuris ejuſdem Societatis utriuſque ſexus Confratribus, qui ad illam in diebus Orationis quadraginta horarum hujuſmodi acceſſerint, & pro Noſtra, & pro tempore exiſtentis Pontificis Romani ſalute, necnon dictæ Sedis, ac Principum omniumque Chriſtianorum pace & tranquillitate pie oraverint &c.... Eorum autem omnium & ſingulorum Confratrum, qui per totam primam, vel ſecundam dictæ Orationis noctem in eadem oratione permanſerint, ac pro viribus, ut ſupra, preces effuderint, intuitu, uni animæ cujuſcunque fidelis defuncti, pro qua quicumque ex ipſis Miſerere mei Deus, & Deprofundis Pſalmos, aut quinquies Orationem Dominicam, & Angelicam ſalutationem humiliter in dictæ Orationis fine coram Sanctiſſimo Sacramento dixerint; quoties id fecerint centum annos &c.* Plenariam pariter Indulgentiam omnibus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis conceſſit Clemens VIII. (ut conſtat ex ſupra relata ejus Conſtitutione) Chriſtifidelibus, qui in qualibet Urbis Eccleſia, ubi oratio hujuſmodi indicta fuerit, devote orando unam ſaltem horam tranſigerent: iis vero, qui minus temporis ſpatium inOratione inſumerent, ſeptem annos & totidem quadragenas: ac deinde Paulus V. in ſuo Brevi edito ſub die 10. Maii MDCVI. Plenariam Indulgentiam a Clemente VIII. conceſſam extendit ad Chriſtifideles confeſſos, ac Sacra Communione refectos, etiam brevius orationi coram Sanctiſſimo Sacramento, dicto modo in Urbis Eccleſiis expoſito vacantes: adjecta partiali ſeptem annorum, & totidem quadragenarum, ſi contriti ſolum fuerint, & habuerint confeſſionis propoſitum=*Cum felicis recordationis Clemens Papa VIII. prædeceſſor Noſter ad excitandam Romani Populi, & aliorum Chriſtifidelium in Urbe degentium pietatem & devotionem, augendamque eorum animarum ſalutem, in ejuſdem Almæ Urbis Eccleſiis Orationem quadraginta horarum alternatim & jugiter habendam inſtituerit, & Chriſtifidelibus orationi hujuſmodi intereſſentibus Indulgentias tunc expreſ-*

ſas

ſas conceſſerit; Nos tam pium, & ſalutare Orationis exercitium, hoc præſertim tempore, quo Divinam clementiam Chriſtiano Populo magis propitiam aſſiduis precibus reddere cupimus, non ſolum retineri, ſed magis in dies augeri omni ſtudio curare, ſimulque animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris augeri quantum cum Domino poſſumus exoptantes; Orationem quadraginta horarum in ejuſmodi Eccleſiis, & Baſilicis continuandam denuo inſtituimus & ordinamus. Utque Chriſtifideles Orationi prædictæ intereſſe eo promtius & majori cum pietate devotionis zelo intereſſe ſtudeant, quo uberius cæleſtis Eccleſiæ theſauris ſe refectos eſſe comperérint; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui vere pœnitentes, & confeſſi, & Sacra Communione refecti Orationi quadraginta horarum hujuſmodi, eo temporis ſpatio, quo illis commodum fuerit, devote interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſium extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, aut alias prout unicuique ſuggeſſerit devotio, pias ad Deum preces effuderint; qua vice id egerint Plenariam concedimus: iis vero, qui vere pœnitentes, & firmum confitendi propoſitum habentes id egerint, ſingulis vicibus ſeptem annos, & totidem quadragenas relaxamus. Datum Romæ apud S. Petrum die 10. *Maii MDCVI. Veſtrius Barbianus.*

Cum non modico Religionis ac pietatis augmento plurimum creverit fidelium devotio erga Sanctiſſimum Sacramentum publice expoſitum, ut Fideles ante ipſum permaneant precantes diu noctuque, quavis hora totius anni, vel in principalibus quarundam Urbium, vel in aliis ejuſdem Diœceſis Eccleſiis tam intra, quam extra Italiam; idcirco conceſſas Indulgentias in mox dicto Brevi Pauli V. cum facultate eas applicandi defunctis per modum ſuffragii largitur Sedes Apoſtolica cunctis fidelibus ad ſeptennium ſub iiſdem oneribus. Exigit tamen ut in Eccleſiis ejuſdem Civitatis, vel Diœceſis ab Ordinario loci deſignatis, (ubi prædicta Oratio quadraginta horarum facienda eſt) ſequentes conditiones ſerventur. 1. Ut in ſingulis Eccleſiis decens cultus adhibeatur. 2. Quod expoſitio fiat in Altari Majori coopertis Sanctorum imaginibus. 3. Quod durante expoſitione duo, vel unus ſaltem Sacerdos interſit orando. 4. Quod in iiſdem Eccleſiis Miſſæ de Requiem durante tempore expoſitionis non celebrentur. 5. Quod Tabernaculum, aut Thronus albi coloris exiſtat, in quo Oſtenſorium collocetur. 6. Demum quod ſufficiens luminum copia ante Sanctiſſimum Sacramentum ardeat.

Pro hujuſmodi circulari, ſeu quotidiana expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti modo ſupra expoſito celebrata ſolet Apoſtolica Sedes Indulgentiæ Plenariæ favorem adnectere: cum hoc tamen, ut illius conceſſionem petat Epiſcopus Civitatis ejuſdem, in qua, vel in cujus Diœceſi Sanctiſſima Euchariſtia, ut ſupra, exponitur. Quibus Epiſcopi precibus Summus Pontifex benigne annuens, Breve conceſſionis expedit ſequenti verborum forma conceptum = *Cum ſicut pro parte N. Nobis nuper expoſitum fuit, ipſe in Eccleſiis tam ſæcularium, quam Regularium Civitatis ſuæ N.* (vel Diœceſis N.) *piam, & ſalutarem quadraginta horarum Orationem adinſtar illius, quæ ex inſtitutione felic. record. Clementis VIII. in hac Alma Urbe, ex qua bonorum operum exempla in omnes Chriſtiani Orbis partes promanant, aſſidue celebratur, inſtituerit: ea ſervata Eccleſiarum, & temporis diſtributione, ut die noctuque quavis hora toto vertente anno orationis incenſum in conſpectu Domini dirigatur, ibique Chriſtifideles pias ad Deum preces fundant pro Eccleſia Catholica, ut diſſipatis erroribus omnibus Fidei veritas toto terrarum Orbe propagetur: pro peccatoribus, ut redeant ad cor, ne ſcelerum fluctibus abſorbeantur, ſed per pœnitentiæ tabulam ſalventur: pro Principum Chriſtianorum pace, & concordia: pro depreſſione Turcarum, qui furore, & audacia incenſi Chriſtianis omnibus ſervitutem, & vaſtitatem minitari non ceſſant, ut illi omnipotentis Dei dextera conterantur: ac pro Romano Pontifice, ut Deus illi det in populo ſuo verba,*

bo, & exemplo proficere, & opus Miniſterii ſibi commiſſi adimplere, & una cum grege ſibi divinitus commiſſo ad vitam æternam perveniant. Nos ad augendam Fidelium Religionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, ſupplicationibus prædictiN.nomineNobis humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolor. ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento refectis, qui in quacunque dictæ Civitatis N. Eccleſia, ubi Oratio ejuſmodi indicta fuerit, devote ut ſupra eo temporis ſpatio, quo illis commodum fuerit, oraverint; plenariam peccatorum ſuorum Indulgentiam concedimus, & elargimur &c.

Confluentibus ad expoſitionem publicam Sanctiſſimi Sacramenti quadraginta horarum non intermiſſam ſemel in anno in Eccleſia particulari inſtituendam, ibique devote orantibus, confeſſis, ac Sacra Communione refectis, plenaria conceditur ſequenti formula. = *Ad augendam Fidelium Religionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti; omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Orationi quadraginta horarum continuatarum, non autem interpolatarum de licentia Ordinarii in Eccleſia, ſeu Cappella publica S. N. loci N. Diœceſis N. ſemel in anno tantum inſtituendam, per aliquod temporis ſpatium devote interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus ad ſeptennium &c. Volumus autem, ut ſi alias Chriſtifidelibus in quocunque alio anni die præmiſſa peragentibus aliqua alia Indulgentia ſimilis, perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit; vel ſi pro præſentatione &c. Datum Romæ &c.*

Quantum vero ad alias Sanctiſſimi Sacramenti publicas expoſitiones minus ſolemnes, ſilentio prætereundum non eſt Sacræ Congregationis Indulgentiarum &c. decretum editum die 13. Septembris MDCLXXII. de non concedenda Indulgentia, niſi expoſitio quadraginta horarum nunquam intermiſſa celebraretur. Hæc ſunt verba decreti. = *Cum in Sacra Congregatione Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum propoſitum fuerit expoſitionem Sanctiſſimi Sacramenti ſine publica, & gravi cauſa factam improbari, tum in Actis Mediolanenſibus ſub Sancto Carolo Borromæo, tum a Sacra Congregatione Regularium negotiis, & Epiſcoporum Conſultationibus propoſita: minuſque probandum videri SS.Euchariſtiam paſſim exponi ſine conſueta quadraginta horarum Oratione diu noctuque nunquam intermiſſa, quemadmodum a Pio IV., & Clemente VIII., & Paulo V. inſtitutum atque probatum fuerat; eadem Sacra Congregatio Indulgentiarum cenſuit, nemini poſthac concedendam eſſe Indulgentiam, qui expoſitionem Sanctiſſimi non celebraverit cum eo qui dictus eſt modo: nimirum cum Oratione quadraginta horarum numquam intermiſſa. Datum die 13. Septembris MDCLXXII. Michael Angelus Riccius Secretarius.* Et ſane non immerito obſervarunt Emi Patres Pium IV., Clementem VIII., & Paulum V. peculiaribus Conſtitutionibus illum dumtaxat modum exponendi publice Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum comprobaſſe, quo quadraginta horarum non interpolatarum ſpatio publice Sanctiſſima Euchariſtia adoranda Fidelibus proponeretur: ut in publicis neceſſitatibus continuata piorum oratio aſcenderet, & inde miſeratio deſcenderet Divina (ut loquitur Clemens VIII. in ſua Conſtitutione ſupra relata) multum quippe valet deprecatio juſtorum aſſidua, ut dicitur *Jacob. 5.* Conſideraverunt rurſus Pium IV. exemplar ſibi propoſuiſſe Servatoris Noſtri Jeſu Chriſti, qui quadraginta diebus & noctibus in Deſerto manſit jejunans & orans, atque illius imitatione Orationum quadraginta horarum inſtitutam ratam habuiſſe: in Expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti aliter facta deeſſe Chri-

Chriſti exemplum, ac aſſiduam illam, Deoque acceptam precationem: eamque Summorum Pontificum authoritate, & approbatione deſtitui: nec in illa præmitti ſolemnem proceſſionem in Oratione quadraginta horarum nunquam intermiſſa fieri conſuetam, ex quo ordinato concurſu debitus huic Sacramento exhibetur honor, & ſingulare populo pietatis, & devotionis accedit incitamentum.

Cum tamen extra Italiam juſtis de cauſis prædicta quadraginta horarum Oratio noctis tempore ſoleat intermitti aliquot horis; invaluit conſuetudo ſenſim ſine ſenſu pro ejuſmodi expoſitione largiendi Indulgentiam, ſicut pro eadem expoſitione quadraginta horarum Sanctiſſimi Sacramenti continua obſervabatur. Porro quanquam hæc conſuetudo uſque ad annum MDCCXXIV. locum non habuerit intra Italiam; nihilominus crebris ſupplicationibus permota Sacra Congregatio Indulgentiarum &c., atque expenſa ratione; quare non raro etiam intra Italiam, quadraginta horarum Oratio noctis tempore intermittatur: cenſuit poſſe concedi Plenariam, ut petebatur a pluribus, remota ea clauſula a Literis Apoſtolicis = *Orationi quadraginta horarum continuatarum, non autem noctis tempore interpolatarum* = deditque Epiſtolam ad Epiſcopos Italiæ tenoris ſequentis. = *Perilluſtris & Reverendiſſime Domine uti Frater. Cum Sacræ Congregationi Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitæ innotuerit, in nonnullis Eccleſiis Italiæ, præcipue vero Regni utriuſque Siciliæ, Orationem quadraginta horarum noctis tempore intermitti; orta dubitatio eſt: an viſitantes Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum modo ſupramemorato expoſitum, Indulgentiam conſequi valeant: cum in Brevibus pro Eccleſiis Italiæ hactenus expeditis appoſita ſint verba: Oration. quadraginta horarum continuatarum, non autem interpolatarum. Ideo re mature diſcuſſa; eadem Sacra Congregatio declaravit: Indulgentiam ita lucrari minime poſſe. Ne autem inpoſterum Chriſtifideles tanto cæleſtium donorum bono careant; cenſuit in illis Eccleſiis, in quibus rationabili de cauſa, Oratio quadraginta horarum noctu intermitti conſuevit, Indulgentia deinde concedatur: ea conditione adjecta, ut nonniſi noctis tempore, nempe ab hora 24. uſque ad Auroram diei immediate ſequentis, ſupradicta Oratio interpoletur. Cum autem votum Sacræ Congregationis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatum fuerit, Sanctitas Sua illud benigne approbavit: & eximia, qua fideles omnes charitate complectitur, mandavit, ut ea de re Epiſcopi certiores fierent: ut quiſque ſuarum Eccleſiarum Indulgentiæ, omni qua decet prudentia, ac diligentia conſuleret, curando ut nova Brevia deſuper opportuna expediantur. Dum itaque per præſentes literas Amplitudini tuæ innoteſcere facimus, eidem omnia fauſta precamur a Domino. Romæ die 28. Octobris MDCCXXIV. Ludovicus Cardinalis Picus. Raphael Coſmus de Hieronymis Secretarius.* = Enunciato inſuper Decreto non obſtante, de non concedendis Indulgentiis pro publica expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, niſi ea diu noctuque per horas quadraginta fieret, cum oratione nunquam intermiſſa; temporis progreſſu, uſus aliquando obtinuit, etiam pro aliis minus ſolemnibus expoſitionibus remiſſiones aliquot partiales dierum vel annorum concedere. Cumque ſub die 23. Martii MDCCXI. in Sacra Congregat. Indulgentiarum &c. diſcuſſum fuiſſet: *An nova hæc praxis foret ſervanda?* congruum judicatum eſt, minime quidquam generali aliquo Decreto ſtatuere, ſed in caſibus particularibus recurrendum eſſe Eminentiſſimi Patres reſcripſerunt: ut conſideratis temporum, locorumque circumſtantiis, & cauſæ gravitate; an, & quæ Indulgentiæ dandæ eſſent, poſſet matura conſideratione decerni.

In prædictis autem caſibus particularibus occurrentibus, ubi Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti de licentia Ordinarii fit ſemel in hebdomada, congruo tempore, de mane, aut veſpere; conceditur una Plenaria ſub onere Confeſſionis Sacramentalis, & Communionis: & undecim ſeptem annorum, & totidem quadragenarum, diebus ab Ordinario deſignandis: & centum dierum pro reliquis ſingulis cujuslibet hebdomadæ diebus. Ubi vero dicta Sanctiſſimi Sacramenti expoſitio publica de licentia Ordinarii fit ſemel in men-

menſe; una Plenaria conceditur pro die arbitrio Ordinarii deſignanda, ſub onere pariter Sacramentalis Confeſſionis, & Communionis, & pro reliquis undecim diebus, Indulgentia ſeptem annorum, & totidem quadragenarum fidelibus ibi per aliquod temporis ſpatium devote orantibus.

Quia in nonnullis Civitatibus & locis Dominica Quinquageſimæ, ac duobus diebus immediate ſequentibus publice exponitur Sanctiſſimum Sacramentum in Eccleſiis de licentia Ordinarii; ſit conceſſio Indulgentiæ Plenariæ ſpatio dicti tridui lucrifaciendæ a Chriſtifidelibus confeſſis, & Sacra Communione refectis, ibi congruo tempore devote orantibus ut fideles, confluentes a perniciofis Bacchanaliorum ſolatiis abſtineant.

ARTICULUS IV.

De aliis Indulgentiis Perſonalibus.

NOnnullæ ſunt Indulgentiæ Perſonales conceſſæ, vel concedendæ: quæ cum peculiari diſcuſſione non indigeant; ſatis erit in hoc Articulo ſingulas, quæ magis in uſu ſunt, recenſere: & ea quæ juxta ſtilum Apoſtolicæ Sedis in ejuſmodi conceſſionibus ſervantur minime præterire.

§. I.

Indulgentia pro Communione Generali.

COmmunionis Generalis inſtitutio Romæ ſollicitudini Presbyterorum Regularium Societatis Jeſu non immerito, & dubio procul adſcribitur, qui Patriarchæ ſui Sancti Ignatii Loyolæ charitatem erga proximum æmulantes; ad animarum ſalutem promovendam piis exercitationibus, maxime quæ in Sancta Sacramentorum perceptione conſiſtunt, ſemper anhelant. Hinc potiſſimum hujus inſtitutionis eluxit conſilium, ut animæ frequentius, quam antea conſueverant, pane Angelorum refectæ; in cibi illius fortitudine uſque ad montem Dei alacrius, & robuſtius properarent. Ad exhibendum vero hujus Divinæ menſæ uſum cuilibet hominum generi ſatis accomodatum; inter Eccleſias ampliores magis diſſitas elegerunt: ut unaquæque Urbis regio in totius anni decurſu hujus beneficii compos efficeretur, & populus etiam rudis (pro cujus bono hoc ſanctum opus excogitatum eſt, atque ab initio cœpit exerceri) ad eas poſſet facile confluere. Dies huic Sacræ Synaxi præfinitus, ut plurimum, eſt poſtrema Dominica cujuslibet menſis: ut fideles totius menſis ſpatio ſingulis feſtivis diebus eam præcedentibus opportune per Catecheſes atque conciones inſtructi; ad menſtruam Divini Sacramenti ſuſceptionem prævia Sacramentali Confeſſione ſe præparent.

Expendens autem Paulus V. hoc laudabile inſtitutum valde Chriſtianæ Reipublicæ proficuum, majora in dies pietatis & charitatis incrementa ſuſcipere; Indulgentiam Plenariam dedit in perpetuum cuilibet Chriſtifideli, qui in aliqua Urbis Eccleſia, ubi dicta Communio Generalis ſingulis menſibus peragitur, rite confeſſus Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum reciperet: ac inſuper Confraternitatem ſub invocatione B. Mariæ Virginis de Pietate in Eccleſia B. Mariæ Virginis Annuntiatæ Collegii Romani erectam ad cooperandum Religioſis Societatis Jeſu in opere prædicto pluribus Indulgentiis ditavit Brevi, cujus initium eſt: *Cum ſicut accepimus*: edito 27. Septembris MDCXIII. Damus hic Breve conceſſionis Indulgentiarum pro Communione Generali = *Æterni Paſtoris vices quanquam immeriti gerentes in Terris, ea, quæ ovium Noſtræ curæ præſertim peculiari jure commiſſarum utilitati cedant, libenter promovemus: & ad ea amplectenda Chriſtifideles ſpiritualibus donis, quantum cum Domino poſſumus, invitamus. Sane cum ſicut accepimus, ſollicitudine dilectorum filiorum Clericorum Regularium Societatis Jeſu dudum in Urbe noſtra laudabiliter inſtitutum ſit, ut generales Chriſtifidelium Communiones in diverſis Urbis Eccleſiis ſemel in menſe cum verbi Dei prædicatione peragantur: & ex his piis operibus non mediocres ſpirituales fructus extent*

extent in populo, cum frequentiſſimus ad Sacras hujuſmodi Communiones convenire ſoleat, plurimi totius vitæ peccata confiteantur, multi a morte inveterati peccati reſurgant, non paucæ diſcordiæ, lites, & inimicitiæ componantur, varia ſcandala ſuccidantur, idemque populus in vias Domini dirigatur, ut in ſemitis ejus ambulare aſſueſcat, aliaque ad Dei gloriam, & animarum ſalutem in eo opera eluceſcant; Nos pro Noſtri paſtoralis Officii debito tam laudabile inſtitutum perdurare, & incrementum ſuſcipere cupientes; cæleſtibus Eccleſiæ theſauris hoc procurandum duximus: ut Chriſtifideles eo libentius ſanctum opus hujuſmodi frequentent, quo ſe ſpiritualia dona uberius conſecuturos ſperaverint. Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, qui in aliqua ex Urbis Eccleſiis, ubi Generalem Communionem hujuſmodi ſemel in menſe fieri contigerit, peccata ſua confeſſi, Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, quoties id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 22. Auguſti MDCXIII. Pontificatus Noſtri anno decimo. S. Cobellutius.

Caveant tamen Eccleſiarum Urbis Rectores, ne Indulgentiam Plenariam alias confeſſis, & Sacra Communione refectis, aliaque pia opera implentibus conceſſam, ita vulgari ſermone in notificationibus publice exponant: *Invito alla Communione Generale*; etenim ſuper hoc abuſu exhibito ſupplici libello Cardinali Carpineo Urbis Vicario a Priore & Confratribus Congregationis SSmæ Communionis Generalis, ſequens prodiit Decretum (ut habetur in *lib. Decretor. anni* 1684. *uſque ad ann.* 1685. *Secretar. Card.Vic.*) = *Die 7. Junii MDCLXXXV. Ex audientia Sanctiſſimi: Sanctiſſimus juſſit, ut de cætero in nulla notificatione Indulgentiarum ſive Typis, ſive alio modo publicandarum apponatur mentio, vel clauſula Communionis Generalis. G.Card.Carpineus*: Quod pariter innovatum eſt die 12. Julii MDCXCVII., ut conſtat ex alio *lib. decretor. dictæ Secretar. anni* 1697. *uſque ad ann.* 1700.

Cum paucis interjectis annis a ſupradicta Pauli V. conceſſione, etiam extra Urbem Communionis Generalis inſtitutum per memoratos Presbyteros Regulares fuiſſet feliciter propagatum; idem Paulus alio ſuo Brevi, cujus initium eſt: *Ex injuncto* edito 30. Aprilis MDCXVI. data facultate Præpoſito Generali Societatis Jeſu in aliis dictæ Societatis Collegiis, & Regularibus domibus duntaxat Confraternitates Sanctæ Communionis Generalis nuncupandas authoritate Apoſtolica erigendi de Ordinariorum conſenſu: illaſque Confraternitati in ſupradicta Eccleſia B.M.Virginis Annunciatæ Collegii Romani erectæ aggregandi: eiſque omnes & ſingulas Indulgentias dictæ Confraternitati conceſſas communicandi; Plenariam conceſſit ad ſeptennium, pro ejuſmodi piis operibus: hac adjecta clauſula = *Dummodo diebus feſtorum principalium Eccleſiæ Cathedralis, proceſſionum generalium, & aliarum functionum Epiſcopalium in Eccleſia Cathedrali eadem Communio Generalis minime fiat.* = Quam conceſſionem Pauli V. Succeſſores primo ad ſeptennium, poſtea ad quindennium innovarunt.

Nonnullos Regulares, & Eccleſiarum Parochialium Rectores extra Urbem in locis, ubi non ſunt Patres Societatis Jeſu, Communiones Generales ſingulis menſibus inſtituiſſe comperimus: ac non raro retroactis temporibus Breve Indulgentiæ Plenariæ pro unaquaque Communione Generali ad ſeptennium obtinuiſſe. Cæterum modernus Sacræ Congregationis Indulgentiarum ſtilus non patitur tot uberes ejuſmodi gratias ſpirituales impartiri: ſed ubi vigeat conſuetudo Communionem Generalem peragendi ſingulis menſibus; ſemel Indulgentia Plenaria conceditur: undecies partialis ſeptem annorum, & totidem quadragenarum ad ſeptennium: ubi vero ſemel in anno ea fit; Plenaria conceditur non ad ſeptennium, ſed pro unica vice.

§. II.

Indulgentia pro Exercitiis Spiritualibus.

SPiritualibus Exercitiis vacare juxta methodum a D. Ignatio Loyola potiſſimum invectam, eſt opus maxime ſalutare, & uberrime fructuoſum: quo nimirum & peccatores ad meliorem frugem novo vivendi genere revocantur, & juſti ferventiori vigore ſpiritus confortati, intimius Deo per unionem charitatis conjunguntur. Hinc jure optimo Indulgentia Plenaria a Summis Pontificibus non raro donantur Fideles, qui certo dierum numero eiſdem incumbunt.

Hanc ſpiritualem gratiam conceſſit Alexander VII. Presbyteris Regularibus Societatis Jeſu, ac aliis cujuſcunque Ordinis Regularibus: Eccleſiaſticis item viris, & Laicis in perpetuum, qui dicta exercitia ſpiritualia per octiduum in Collegiis, & domibus dictæ Societatis peragerent: ſequenti Conſtitutione = *Cum ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Goſvvinus Nickel Præp. Generalis Societatis Jeſu, perſonæ ejuſdem Soc. quotannis, & plerunque plurimæ aliæ, ſive Eccleſiaſticæ, & aliorum Ordinum, & Congregationum Regularium, ſive laicæ exercitiis ſpiritualibus a S. Ignatio dictæ Societatis Fundatore inſtitutis, in domibus ejuſdem Societatis per octiduum vacare conſueverint; Nos, qui probe ſcimus quantopere conducant exercitia hujuſmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Chriſtifidelium mentibus, devotionem eorum, qui operi adeo pio, & ſalutari vacaverint, cæleſtium Eccleſiæ theſaurorum elargitione magis incitare volentes; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus tam prædictæ Societatis, aut cujuſcunque alterius Ordinis, & Congregationis Regularibus, quam aliis quibuslibet Eccleſiaſticis, & laicis, qui in domibus memoratæ Societatis exercitia prædicta juxta laudabilem ejuſdem Societatis conſuetudinem, per octidui ſpatium quandocunque peregerint, & interea temporis vere pœnitentes, & confeſſi Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint; quoties id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus in perpetuum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur; eædem præſentes nullæ ſint eoipſo: quodque earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel Præpoſiti Generalis Societatis prædictæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum in Arce Gandulfi Albanen. Diœceſ. ſub Annulo Piſcatoris die 12. Octobris MDCLVII Pontificat. Noſtri anno tertio.*

Eadem Indulgentia-Plenaria gaudere poſſunt omnes utriuſque ſexus Regulares juxta Conſtitutionem Pauli V., cujus initium eſt: *Romanus Pontifex*: citatam ſupra *art.* 1. §. 1.: dummodo per decem dies dictis exercitiis ſpiritualibus vacent = *Iis vero, qui de ſuorum Superiorum licentia a negotiis per decem dies alieni in cella commorabuntur: aut ab aliorum converſatione ſeparati in piorum librorum, & aliarum rerum ſpiritualium animos ad devotionem, & ſpiritum inducentium lectionibus operam ſuam dederint: addendo ſæpe conſiderationes, & meditationes Myſteriorum fidei Catholicæ, divinorum beneficiorum, quatuor Noviſſimorum, Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium ſaltem per duas horas in diem & noctem orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciendo eodem tempore Confeſſionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, aut Miſſam celebraverint; quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam,*

tiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. = Ex indulto tamen ſpeciali Fratres Minores Regularis Obſervantiæ Sancti Franciſci, ac Reformati Ciſmontanæ familiæ hanc Indulgentiam ſibi valent comparare, quantunvis per octo dies exercitia ſpiritualia peragant: ex conceſſione Alexandri VII. Tenor Brevis eſt = *Cum ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Michael Angelus a Sambuca Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Miniſter Generalis, in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis noviſſime Toleti celebrato inter alia decretum fuerit: ut receſſus, & ſpiritualia mortificationis, & orationis mentalis exercitia in omnibus Provinciis Ciſmontanæ Familiæ Ordinis prædicti reaſſumantur, & illis Fratres earundem Provinciarum aliquoties ſingulis annis vacent; Nos, qui probe novimus, quantopere conducant exercitia hujuſmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Chriſtifidelium mentibus; devotionem Fratrum memorati Ordinis, qui de ſuorum Superiorum licentia operi adeo pio & ſaluturi vacaverint, cæleſtium Eccleſiæ theſaurorum elargitione magis incitari volentes, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, omnibus & ſingulis prædicti Ordinis Fratribus, tam Clericis, quam Laicis, ſeu Converſis, qui in domibus Regularibus Provinciarum prædictarum de ſuorum Superiorum licentia exercitia prædicta per octidui ſpatium quandocunque peregerint, & interea temporis vere pœnitentes, & confeſſi Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint; quoties id egerint, Plenariam omnium ſuorum peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus in perpetuum valituris. Volumus autem quod ſi pro impetratione &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Junii MDCLIX. Pontificatus Noſtri anno quinto.*

Abſonum non eſt a mente Sacræ Congregationis Indulgentiarum &c. hanc Indulgentiam impartiri: plures tamen ad eam conceſſionem obtinendam requiruntur conditiones. 1. quod exercitia ſpiritualia fiant per decem, aut ſaltem octo dies. 2. quod eiſdem non interveniant ſimul viri, & mulieres: quapropter in Lugdunen. ſub die 8. Auguſti MDCCXIX., cenſuit eadem Sacra Congregatio reſcribendum = *Ad mentem: & mens eſt, quod informetur, Sacram Congregationem non ſolere concedere Indulgentiam, niſi exercitia ſpiritualia peragentur ſeparatim a viris, & mulieribus* = 3. quod illis vacantes, ſi viri ſint; eo tempore maneant in domibus Religioſorum: ſi vero mulieres; in piarum mulierum Conſervatoriis: & ſi in dictis domibus vel Conſervatoriis, aut viri aut mulieres commode die noctuque nequeant permanere; ſaltem recto tramite ad loca exercitiorum accedant, ac pariter in proprias domos revertantur: prævia ſuper his Ordinarii informatione. Formula hujus conceſſionis eſt ſequens. = *Cum ſicut Dilecti Filii N. nobis nuper exponi fecerunt, ipſi in Oratorio N. Civitatis N. certis anni temporibus exercitia ſpiritualia de licentia Ordinarii inſtituerint: illiſque tam prædicti, quam alii, non ſine maximo animarum fructu vacare conſueverint; Nos eorundem N., qui operi adeo pio, & ſalutari deinceps dabunt operam, devotionem cæleſtium Eccleſiæ theſaurorum elargitione magis excitare volentes; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis prædictis N., qui in ſupradicto Oratorio, exercitia ſpiritualia hujuſmodi quandocunque peregerint; dummodo tamen adimpleant cætera omnia, quæ a peragentibus exercitia ſpiritualia Sancti Ignatii nuncupata adimpleri ſolent: & tempore exercitiorum hujuſmodi recto tramite proprias domos redeant, & ad locum eorundem exercitiorum pariter recto tramite revertantur: & interea vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam ſemel dun-*

duntaxat quolibet anno per unumquemque N. lucrifaciendam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris &c. Volumus autem, ut ſi pro impetratione &c. = Hic tamen adverte, quod ubi Indulgengentia Plenaria conceditur pro peragentibus exercitia ſpiritualia in piarum mulierum Conſervatoriis; adjicitur hæc clauſula in Literis Apoſtolicis = *Citra approbationem Conſervatorii, ejuſque Inſtituti.*

§. III.

Indulgentiæ pro Novendiali piorum operum exercitio prævio ad Nativitatem Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

UT Redemtoris adventum, ejuſque ſolemnia congruis honoribus prævenire, mentibuſque purificatis illi poſſint occurrere Chriſtifideles; in nonnullis Eccleſiis per novem continuos dies immediate præcedentes Feſtum Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti plura veræ pietatis officia ſolent exerceri. Cumque hæc magno animarum fructu peragi compertum ſit; Sedes Apoſtolica prædictas Eccleſias viſitantibus primo, & ultimo Novendialis devotionis die Plenariam Indulgentiam concedit confeſſis, & Sacra Communione refectis: in reliquis vero diebus Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum. Tenor conceſſionis eſt ſequens = *Cum ſicut accepimus in Eccleſia N. Civitatis N. per novem continuos dies immediate antecedentes Feſtum Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Miſſæ & alia divina Officia, & Chriſtianæ pietatis opera magno Chriſtifidelium concurſu quotidie celebrari, & exerceri conſueverint; Nos ad augendam eorundem Chriſtifidelium devotionem paterna charitate intenti, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui in primo, & ultimo prædictorum novem dierum dictam Eccleſiam ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; quo die prædictorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero prædictis novem diebus, eiſdem Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam (ut ſupra) viſitantibus, & ibidem orantibus, aliaque præmiſſa peragentibus; quo die pariter prædictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus &c. Volumus autem, ut ſi pro impetratione &c.*

Tempus novem dierum cum ſimilibus piorum operum exercitiis tranſigitur in Eccleſiis, quæcunque illæ ſint, prævie ad nonnullas Sanctorum Feſtivitates: nunquam tamen pro hujuſmodi Novendiali exercitio Indulgentiæ conceduntur. Eas quippe conferre non convenit ad ſimiles novitates comprobandas, ſed ad diſciplinam populis ſalutarem, & neceſſariam conſervandam & inſtaurandam. Nemo enim neſcit Indulgentiarum conceſſionibus ea pro quibus conceduntur comprobari, atque ad ea Chriſtifideles invitari; idcirco cum in Comen. ſub die 16. Februarii MDCCXXXII. in Sacra Congregatione Indulgentiarum &c. ſequens dubium fuiſſet excitatum = *An Indulgentiæ pro Novena Nativitatis Jeſu Chriſti concedi ſolitæ, ſint quoque concedendæ pro Novena Spiritus Sancti?* = Reſponderunt Eminentiſſimi Patres = *Nihil innovandum quoad praxim Eccleſiæ.*

§. IV.

§. IV.

Indulgentiæ pro recitantibus flexis genibus ſingulis feriis ſextis quinquies Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam ad ſonum Campanæ hora tertia poſt meridiem, in memoriam Paſſionis, & Agoniæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

AD Jeſu Chriſti Paſſionem in Archiepiſcopatu Mediolanenſi pie recolendam, ſtatuit S. Carolus Borromæus in Concilio Provinciali II. ſingulis feriis ſextis cujuslibet hebdomadæ dari circa horam nonam campanæ ſignum ab unaquaque Eccleſia: quo fideles admoniti ter Orationem Dominicam, totidemque vicibus Salutationem Angelicam in memoriam Paſſionis Chriſti recitantes, quadraginta dierum Indulgentiam compararent, a Diœceſanis Epiſcopis concedendam = *Sexta quaque feria* (ſunt verba *Decr.* 10.) *in ſingulas hebdomadas paulo ante horam nonam ſignum in unaquaque Eccleſia campanæ ſono detur, quo fideles admoniti eadem hora Jeſu Chriſti Domini paſſionem omni intima mentis pietate recolant, terque Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ex animo pronuntiantes, quadraginta dierum Indulgentiam, quam in ſua quiſque Epiſcopus Diœceſi concedat, conſequantur* = Ad tam eximii Myſterii memoriam excitandam in qualibet Mundi parte Chriſtifideles ut alliceret Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus XIV. centum dierum Indulgentia donavit perpetuis futuris temporibus eos, qui ad ſonum campanæ Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Parochialium hora tertia poſt meridiem in memoriam Paſſionis, & Agoniæ Chriſti quinquies Orationem Dominicam, & totidem Salutationem Angelicam genibus flexis recitarent. Aſſerimus hic Literas Apoſtolicas hujus conceſſionis = *Ad Paſſionis & Agoniæ Redemtoris & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, unde nobis vita, ſalus, & reſurrectio manavit, memoriam in omnium Chriſtifidelium animis excitandam, atque fovendam, Cæleſtibus Eccleſiæ Theſauris, quorum diſpenſationem Nobis credidit Altiſſimus, omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus, qui ſingulis feriis ſextis totius anni hora tertia poſt meridiem ad ſonum Campanæ Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Parochialium (quarum Parochis, Rectoribus, aliiſque quocunque nomine appellatis Superioribus, ut campanam uniuſcujuſque Eccleſiæ hujuſmodi pulſari faciant, injungimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus) flexis genibus quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam devote recitaverint, & oraverint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, necnon ſalutari perditorum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint; centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pænitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 23. Decembris MDCCXL. Pontificatus Noſtri Anno Primo. D. Cardinalis Paſſioneus.*

§. V.

Indulgentiæ pro recitantibus Salutationem Angelicam ad pulſationem Campanæ mane, meridie, & veſpere.

DE inventione ritus pulſandi Campanam mane, meridie, & veſpere ad implo-

implorandum B. V. Mariæ patrocinium; varia reperiuntur Authorum placita. Arnoldus Wion Monachus Ordinis S. Benedicti *lib. 5. emblem. c. 20. p. 2. inſcrip. lignum vitæ* Urbano II. in Concilio Claramontano celebrato anno MXCVI. hujus ritus originem adſcribit: eundemque oblivioni traditum a Gregorio IX. innovatum fuiſſe refert = *Inſtitutionem* (inquit) *pulſus campanæ, qui fit veſpere, mane, & meridie, vocaturque Ave Maria, ex ſchola quoque Benedictina manaſſe; indicat Camapanula illa, quæ ſub brachio dextero ejuſdem Pontificis viſitur. Conſiderans nanque Urbanus actiones omnes noſtras, niſi orationis ſcuto fortiſſimo muniantur, eadem facilitate diſperdi, & labi, qua excogitatæ videntur; ſciensque impoſſibile eſſe multorum preces a Deo non exaudiri: ut quod ſemel ex divina voluntate inſtituerat, tandem etiam, ea ipſa juvante, perficeretur; in eodem Concilio Claromontano, ut a prima die, quo exercitus Chriſtianus Terram Sanctam recuperaturus diſcederet, veſpere & mane in omnibus Chriſtiani Orbis Eccleſiis, tum Cathedralibus, quam Abbatialibus utriuſque ſexus, Populus Chriſtianus trino Campanæ pulſu ad orationem excitaretur; ſtatuit: tum, ut Deus Optimus Maximus exercitui Chriſtiano ſuo ſigno ſignato vires contra inimicorum ſuorum potentiam ſua pietate conferre dignaretur..... Qui mos inviolabiliter ſervatus eſt per annos fere 134., uſque ad tempora Gregorii Papæ IX. Anagnini ex Comitibus Monachi Camaldulenſis. Hic videns hujuſmodi conſuetudinem laudabilem in oblivionem a fidelibus tradi, eo quod ſcilicet inſtitutionis ejus cauſa Hieroſolymis ipſis a Sultano Ægyptio iterum recuperatis, Chriſtianiſque fugatis, jam ceſſaſſe videretur; eandem in laudem Divæ Virginis, adjunctio & meridiano pulſu tranſmutavit* = Hæc Arnoldus: addens hujus inſtitutionis fuiſſe conſilium, tria B. Mariæ Virginis myſteria ad fidelium memoriam revocare = *Primo ſcilicet ob myſterium gaudiorum, quæ in Chriſti Incarnatione cœperunt: & hæc indicat pulſus Campanæ veſpertinus. Secundo ob myſterium dolorum, qui ſummi fuerunt in Dominica Paſſione: & hos memorat pulſus meridianus. Tertio denique ob myſterium glorioſorum, quæ in Chriſti Domini Reſurrectione initium ſumſerunt: & hæc pulſus excitat matutinus* = Arnoldo ſubſcribit Ferreolus Locrius *lib. 7. c. 16. in Maria Auguſta*. Alii vero Scriptores pulſationem Campanæ meridianam contra Arnoldum, nec ab Urbano II. inventam, nec a Gregorio IX. de novo invectam exiſtimant: licet non una ſit eorum ſententia. Genebrardus in *Chronic. lib. 4. ad ann. 1227.* Honorium III. eum ritum induxiſſe arbitratur: Robertus vero Gaguinus in *annalib. Francor. lib. 10. cap. 12.* Ludovicum XI. Gallorum Regem = *Introducta quoque eſt* inquit (*auctore Ludovico*) *conſuetudo campanam hora meridiana, ut in noctis crepuſculo ſolet, pulſandi: quo tempore populus, poplite humi deflexo, Angelicam Divæ Mariæ ſalutationem, obtinendæ publicæ pacis gratia, religioſe exhibet. Qui mos hactenus diligenter a pleriſque ſervatur* = Franciſcus Joannotius hujus authorem facit Calliſtum III. = *Præterea Callixtus ſignum Campanæ dari* (inquit *libr. de vit. Romanorum Pontificum in Calliſt. III.*) *ſignum Campanis in meridie dari, quo orationibus aſſiduis Chriſtifideles Deum contra Turcas pro noſtris militibus ſuppliciter rogarent,* = & Platina in *eod. Calliſt.* ſcribit = *Mandavit præterea Calliſtus, ut aſſiduo rogatu flecteretur; in meridie Campanis ſignum dari fidelibus omnibus: ut orationibus eos juvarent, qui contra Turcas continuo dimicabant* = Neque adhærendum videtur Polidoro Virgilio, qui Joannem XXII. inveniſſe veſpertinam pulſationem ſcribit *lib. 6. de invention. rerum*; ſi verum eſt id quod ex lectionibus Officii S. Bonaventuræ tradit Franciſcus Pagi in *Breviar. Pont. Rom. t. 4. in Jo. XXII. n. 26.* Seraphicum ſcilicet Doctorem Ordinis Minorum Generalem Miniſtrum in Capitulo Generali Piſis celebrato anno MCCLXII. inſtituiſſe, ut Fratres populum hortarentur ad colendam B̃mam Virginem Mariam campanæ ſigno, quod poſt Completorium datur urgente in noctem die: cum pie creditum ſit eandem B̃mam Virginem hora ab Angelo fuiſſe ſalutatam.

Sed quanquam in hac Scriptorum diver-

verſitate nihil certo poſſumus definire; id tamen (quod ad noſtrum inſtitutum ſpectat) citra controverſam recipiendam eſt, ritum hunc in Eccleſia Xantonenſi ineunte ſæculo decimoquarto receptum Joannem XXII. approbaſſe an. MCCCXVIII.: conceſſa decem dierum Indulgentia iis, qui dato eo ſigno Salutationem Angelicam recitarent, atque Incarnati Verbi myſteria religioſe venerarentur. = *Singulari amore* (de Joanne XXII. loquens ſcribit Oldoinus) *Virginem Matrem ſemper eſt proſecutus: quare ad incendendam in Deiparæ cultum fidelium pietatem; cum pius mos in Xantonenſi Eccleſia ſuſceptus eſſet, ut vergente in noctem die campana ad præmonendos fideles, ut Salutatione Angelica Virginis ſuffragia implorarent, pulſaretur; Pontifex decem dierum Indulgentiam iis, qui pie ter flexis genibus illam funderent, ſi vere eos criminum pœniteret; conceſſit* = Atque etiam ut ſenſim ſine ſenſu hæc laudabilis conſuetudo ſuſciperetur; idem Pontifex anno MCCCXXVII. ſui Pontificat. undecimo mandavit Urbis Vicario, ut vergente in noctem die Romæ campanæ pulſarentur, ad colendam B. Virginem: deditque ad eundem literas, in quibus ampliſſima Deiparæ Virgini enarravit elogia, facta prædictæ conceſſionis Indulgentiarum mentione: ut refert Raynaldus ad dictum annum. = *Angelo Epiſcopo Viterbienſi Noſtro in Urbe Vicario. Salutiferum illud verbum Ave Maria &c. pium quidem Evangelicæ Salutationis eloquium, Orationis loco quadam a fidelibus veneratione præcipue eſt dicendum: cum Virgo ipſa in ejus Filio Domino Jeſu Chriſto pignus Mundo humanæ ſalutis, & quæ Salvatoris omnium eſſe meruit genitrix, apud ipſum præ cæteris eſſe meruit efficax interventrix. Dudum ſane ad reddendum dictæ Virgini gloriam, & per interceſſionis ſuæ præſidium a Divino Numine gratiam dictis fidelibus implorandam, quod in quolibet noctis crepuſculo campana pulſetur, & ad ſonum ejuſdem ipſi fideles præmiſſæ ſalutationis verbum dicerent; pie duximus ordinandum. Et ut prædicti fideles ad hoc ſpirituali munere inducerentur avidius omnibus, & ſingulis prædicta hora hujuſmodi verbum devote dicentibus, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac ejuſdem glorioſæ Virginis, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli meritis ac interceſſionibus confidentes, decem dies de Indulgentia duximus concedendum &c. Datum Avenione Non. Maii anno undecimo.*

Ampliores poſtea dedit Indulgentias Benedictus XIII. iis, qui nedum veſpere, ſed etiam mane, & meridie ad campanæ pulſationem in obſequium B.V. Mariæ ter Salutationem Angelicam flexis genibus recitarent; anno MDCCXXIV. ſui Pontificatus primo, Plenariam ſcilicet vere pœnitentibus, & confeſſis, & Sac. Communione refectis in uno die cujuslibet menſis ab unoquoque ad libitum eligendo lucrifaciendam: in reliquis anni diebus partialem centum dierum, ſi culparum pœniterent. Habes hic Breve hujus conceſſionis = *Injunctæ Nobis ſervitutis ratio poſtulat, ut cœleſtium munerum theſauros diſpenſationi Noſtræ a Domino creditos fideliter erogemus: cum id ad augendam Beatæ Virginis Mariæ venerationem, ac animarum ſalutem ſperamus profuturam. Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui mane, aut meridie, ſeu veſpere ad pulſum campanæ: Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum: Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, cum tribus Ave Maria flexis genibus devote recitaverint: & pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Plenariam in uno die menſis duntaxat, per unumquemque fidelem ad ſui libitum eligendo lucrifaciendam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer concedimus. In reliquis vero anni diebus iiſdem Chriſtifidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ* 14. Se-

Septembris MDCCXXIV. Pont. Noſtri anno primo.

Quæres hic, an prædictæ Indulgentiæ comparentur ab iis, qui vel tempore Paſchali, vel diebus Dominicis ſtantes ad hanc campanæ pulſationem ter recitant Salutationem Angelicam?

Dubio negative reſpondendum videtur: quia ad percipiendum fructum Indulgentiarum non ſufficit preces in Literis Apoſtolicis præſcriptas utcunque recitare: ſed requiritur ut eo modo perſolvantur, quo illæ injunctæ ſunt. Salutatio autem Angelica in dictis conceſſionibus flexis genibus injungitur recitanda: adeoque a ſtantibus hoc opus injunctum minime impleretur juxta Summorum Pontificum mentem.

Nos vero reſpondemus affirmative: non enim Summorum Pontificum Indulgentias concedentium mens eſt novos ritus, ac mores veteribus abrogatis Eccleſiaſtica lege ſtatutis inducere. Porro ritum ſtandi in precibus Deo fundendis tempore Paſchali, & diebus Dominicis Eccleſiaſtica lege inductum eſſe conſtat ex Concilio Nicæno I. *can. 29.* = *Quoniam ſunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecoſtes: ut omnia in univerſis locis conſonanter obſerventur; placuit Sancto Concilio a Paſchate uſque ad octavas Pentecoſtes ſtantes Domino vota perſolvere, vel Deo orationes effundere.* = Præſertim quia hunc ritum & morem, poſt editum Breve Joannis XXII., non novimus immutatum; unde Angelus Rocca Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Epiſcopus Tagaſtenſis & Sacrarii Apoſtolici Præfectus *tom. 1. commentar. de campan. cap.* 1. inquit = *Angelica Salutatio tribus vicibus recitari ſolet: & genibus quidem flexis, Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes diebus exceptis, atque item Dominicis, & Veſpere Sabbati totius anni diebus, quæ Reſurrectionis diem repræſentant: in hiſce nanque diebus omnibus Angelica Salutatio abſque genuflexione recitatur* = Idem habetur ex Cœremonialibus diverſorum Ordinum Regularium: nempe Eremitarum Excalceatorum S. Auguſtini *l. 2. cap. 5.*, Minorum Conventualium S. Franciſci *p. 4. cap.* 11. *n.* 23., Minorum Obſervantium *p. 4. cap. 6.*, Clericorum Regularium Minorum *p. 1. cap.* 12.: quorum meminit Franciſcus Maggius Clericus Regularis *diſquiſ. 5.*

Id autem citra dubium modo dicendum eſt; quia ad tollendam difformitatem Chriſtifidelium in publicis precibus, quæ fiunt ad pulſationem campanæ mane, meridie, & veſpere quando conſueta Oratio *Angelus Domini* recitatur; Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus XIV. feliciter regnans, confirmatis prius ſupradictis ſanctæ memoriæ Benedicti XIII. Indulgentiis, præſcripto Rubricarum inhærens, juſſit Orationem illam a Veſperis cujuslibet Sabbati uſque ad totam Dominicam ſequentem a ſtantibus recitari: ac inſuper durante tempore Paſchali (quod in Veſperis Dominicæ Sanctiſſimæ Trinitatis terminatur) loco ſupramemoratæ Orationis Antiphonam *Regina Cœli &c.* cum verſiculo, & Oratione correſpondente: *Deus qui perReſurrect. &c.* a ſtantibus dicendam ſubſtituit: iiſdem, eam devote dicentibus, Indulgentiis conceſſis: ita tamen ut ii, qui eam Antiphonam memoriter dicere neſciverint; eaſdem Indulgentias acquirant ſupradictam Orationem *Angelus Domini* recitantes: ut habetur ex Notific. Eminentiſsimi Cardinal. Guadagni Sanctiſs. Domini Noſtri Urbis Vic. Gener. Romæ publicata die 20. Apr. MDCCXLII.

§. VI.

Indulgentiæ pro recitantibus ſub horam noctis ad ſonum campanæ Pſalmum De profundis: vel ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, cum verſiculo Requiem æternam.

SAnctam & ſalubrem eſſe cogitationem exorandi pro iis, qui ex humanis deceſſerunt, ut a peccatis ſolvantur; & ſacrarum literarum irrefragabili teſtimonio & veterum Patrum unanimi conſenſu confiteri compellimur. Cujus pii operis laudabile exercitium (præter antiqua, quæ afferri poſſent exempla) Clemens XII. cœleſtibus theſauris cumulavit: ſiquidem ad

ad ſignum campanæ ſub horam primam noctis, vel Pſalmum *De profundis*, vel ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam cum verſ. *Requiem* flexis genibus recitantibus pro qualibet vice centum dies de injunctis pœnitentiis conceſſit: ac inſuper eiſdem id per annum implentibus Indulgentiam Plenariam in uno die cujuslibet anni ad libitum cujuſque eligendo ſub onere Confeſſionis Sacramentalis, & Communionis. Damus hic Breve hujus conceſſionis. = *Cæleſtes Eccleſiæ theſauros, quorum diſpenſationem Nobis commiſit Deus, ad Chriſtifidelium pietatem fovendam, atque augendam, & animarum ſalutem promovendam libenter erogamus. Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi; omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui ſub horam noctis ad pulſum campanæ Pſalmum* De profundis, *vel ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam cum verſiculo* Requiem æternam &c. *in ſuffragium Animarum Chriſtifidelium defunctorum flexis genibus devote recitaverint; quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Inſuper eiſdem Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui per annum præmiſſa peregerint: ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Plenariam in uno die cujuslibet anni duntaxat per unumquenque Chriſtifidelem ad ſui libitum eligendo lucrifaciendam, omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris* 14. *Auguſti MDCCXXXVI. Pontificatus Noſtri anno ſeptimo. Fabius Cardinalis Ollverius.*

§. VII.

Indulgentiæ pro aliis bonorum operum exercitationibus.

Ad exequendum divinum mandatum ſemper orandi, & non deficiendi *Lucæ* 18. *ver.* 1.; pia quædam, ac admodum ſalutaris conſuetudo viguit multis in regionibus, non ſolum Sodalitatum Confratres, verum etiam Civitatis: imo & totius Diœceſis Chriſtifideles ſingillatim ſejunctos orandi, totumque anni circulum ita inter ſeſe diſpertiendi; ut qualibet diei hora unus ſaltem ſit, qui Orationi ad commune Eccleſiæ bonum incumbat. Occupati in hoc pio, ac ſalutari exercitio ſolent etiam ipſi Indulgentia Plenaria donari, ſemel in anno ab unoquoque acquirenda: ita tamen ut eo die confeſſus, ac Sacra Communione refectus eorum quilibet ſit: ut in *Mazarien.* 18. *Nov. MDCLXX.* inſtante Epiſcopo pro tota Civitate & Diœceſi: & in *Piſtorien.* 18. *Julii MDCCXII.* Solet addi Indulgentia centum dierum pro ſingulis vicibus: ut in *Cracovien.* 27. *Maji MDCCXXXII.* pro Confratribus duarum Confraternitatum, quarum una eſt ſub titulo Transfigurationis D. N. Jeſu Chriſti; altera ſub invocatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti in Eccleſia Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, Congregationis Scholarum Piarum: & in *Ulyſippon.* 5. *Febr. MDCCXXXIV.* pro Confraternitate Sanctiſs. Conceptionis in Eccleſia ejuſdem tituli Clericorum Regularium Scholarum Piarum inſtituta. Ubi vero fideles alicujus loci vel Diœceſis, ut majora erga Beatam Virginem, vel alios Sanctos in Martyrologio Romano deſcriptos præſtent ſui amoris, & obſequii argumenta, jejunium, a quo caſtæ prodeunt cogitationes, deſtinato per anni circulum cuique die, ſervandum inſtituerint; Indulgentia Plenaria pariter conceditur confeſſis, ac Sacra Communione refectis ſemel in anno lu-

lucriſacienda eo die, quo ad jejunandum addicti ſunt. Conceſſio hujuſmodi Indulgentiæ pro jejunio quotidiano in honorem S. Joſeph Patroni bonæ mortis habetur ex reſcripto Sacræ Congregationis Indulgentiarum 31. Julii MDCCX. pro Diœceſi Averſana pluries confirmata: ac ſubinde a Benedicto XIII. extenſa ad univerſum Regnum Neapolitanum. Item pro jejunio in honorem B. V. Immaculatæ 4. Octobris MDCXXXI. favore Sodalitii erecti in Eccleſia Terræ Marſciani Peruſinæ Diœceſis. Preces tamen pro hujuſmodi Indulgentiæ conceſſione obtinenda debent porrigi prædictæ Sacræ Congregationi, nomine Ordinariorum; quamobrem cum ſub die 16. menſis Februarii MDCCXXXII. nomine Regni Siciliæ ea poſtularetur; eadem Sacra Congregatio reſpondit: *Ad mentem: & mens eſt, quod petitio fiat ab Epiſcopis, & Archiepiſcopis*.

Neque hic prætereunda eſt alia pia conſuetudo quorundam locorum, ut quando aliquis Chriſtifidelis in mortis agone reperitur; Parochialis, alteriuſve Eccleſiæ campana aliquibus ictibus pulſetur: ac eo tempore Chriſtifideles flexis genibus pro eodem in extremo agone conſtituto pias ad Deum preces effundant; pro quo pio opere Sedes Apoſtolica ad fovendum hoc pietatis officium, ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus ita devote orantibus Indulgentiam quadraginta dierum concedit ea vice qua id egerint. Verba formæ conceſſionis ſunt: *Ad futuram &c. Cum ſicut accepimus in Civitate, & Diœc. N. pia conſuetudo vigeat, ut cum aliquis Chriſtifidelis in mortis agone reperitur, Parochialis, alteriuſve Eccleſiæ campana aliquibus ictibus pulſetur: eoque tempore Chriſtifideles flexis genibus pro eodem Chriſtifideli in extremo agone (ut præmittitur) conſtituto, pias ad Deum preces effundant; Nos ad augendam illorum religionem &c. intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus in Civitate, & Diœc N. prædictis commorantibus, qui ad ſonum campanæ hujuſmodi flexis genibus (ut præmittitur; devote oraverint) qua vice id egerint, quadraginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque: præſentibus ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione &c....... utque earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis &c. impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem &c. oſtenſæ. Datum &c.*

ARTICULUS V.

De Indulgentia in articulo mortis.

Inter cætera ſpiritualium gratiarum dona, quibus Chriſtifideles Summorum Pontificum liberalitate per Eccleſiæ Theſauri diſpenſationem cumulantur; potiſſimum locum habet Indulgentia Plenaria: qua in ultima vitæ periodo exiſtentibus paterna charitate ſubvenitur. Nuſquam enim majori providentia per univerſalis remiſſionis beneficium eorum utilitati proſpicitur, quam ubi tempus advenit termini conſtituti ad ſatisfaciendum propriis actibus divinæ juſtitiæ pro debito pœnæ temporalis. Hæc igitur Indulgentia ſpeciali conſideratione digna, per diſtinctos paragraphos exponetur. Agemus itaque 1.° de antiqua. 2.° de nova ejuſmodi conceſſionis praxi, adductis exemplis, quæ hanc materiam dilucidant. 3.° de facultate eandem impartiendi Epiſcopis tranſmitti conſueta. 4.° de duplici modo, quo conceditur hæc gratia. 5.° tandem de ipſo articulo, quo ejus fructus, vel effectus percipiendus in Indulgentiæ conceſſione enunciatur.

§. I.

Antiqua exempla conceſſionis Indulgentiæ pro articulo mortis.

Plura Indulgentiæ in articulo mortis antiqua monumenta Sæculo XIV. reperimus: cum non adeo liberaliter ſe gereret

rerit Sedes Apoſtolica in aliis plenariis remiſſionibus concedendis, ut poſtea conſuevit. De Clemente VI. ad Summi Pontificatus dignitatem evecto anno MCCCXLII. hæc refert in *Neuſtriæ. Hypodigm.* Thomas Walſinghamenſis = *Fuit tanta mortalitas hominum; ut multi periti putarint, decimam partem humani generis relictam fuiſſe ſuperſtitem. Sæviente in Anglia tanta peſte hominum; Dominus Clemens Papa conceſſit plenam remiſſionem omnibus vere confeſſis, & contritis morientibus in hac epidemia per totum Regnum* = Et in Anglorum Annalibus de Gregorio XI., qui D. Petri Cathedram moderandam ſuſcepit anno MCCCLXX., refertur = *Papa Gregorius bonus vir, & juſtus ob amorem Domini Simonis de Langham Cardinalis, & Epiſcopi Præneſtini, quondam Cantuarienſis Archiepiſcopi, dum peſtilentia invaluiſſet in hac terra; per Bullas ſuas omnibus tunc morientibus vere contritis, & confeſſis plenam remiſſionem de theſauris Eccleſiæ indulſit: exceptis his qui ære alieno gravarentur. Magnum utique beneficium, & omni acceptione digniſſimum, & quo majus non potuit impendiſſe.*

Hujuſmodi Pontificiæ liberalitatis exemplum etiam Sæculo IX. apud Baronium reperies: qui ad annum DCCCLXXVIII. refert literas Joannis VIII. ad Galliæ Epiſcopos Plenariam remiſſionem concedentis obeuntibus in bello adverſus Saracenorum gentem. Verba literarum ſunt = *Quia veneranda Fraternitas veſtra modeſta interrogatione ſciſcitans quæſivit: utrum qui pro defenſione Sanctæ Dei Eccleſiæ, & pro ſtatu Chriſtianæ Religionis, & Reipublicæ in bello nuper ceciderunt, aut de reliquo pro ea re caſuri ſunt, Indulgentiam poſſint conſequi delictorum. Audenter Chriſti Dei noſtri pietate reſpondemus: quoniam illi, qui cum pietate Catholicæ Religionis in belli certamine cadunt, requies eos æternæ vitæ ſuſcipiet contra Paganos, atque Infideles ſtrenue dimicantes. Eo quod Dominus per Prophetam dignatus eſt dicere: Peccator quacunque hora converſus fuerit; omnium illius iniquitatum non recordabor amplius. Et venerabilis ille Latro in una confeſſionis voce de Cruce meruit paradiſum. Manaſſes quoque impuriſſimus quondam Rex captus, carcerique arctiſſimo relegatus ibi pœnitentiam agens; cum perfectione Indulgentiæ propter Domini miſericordiam, quæ immenſa eſt circa genus humanum adeptus eſt ſolium. Noſtra præfatos mediocritate interceſſione B. Petri Apoſtoli, cujus poteſtas ligandi & ſolvendi eſt in Cœlo & in terra, quantum fas eſt abſolvimus, precibuſque illos Domino commendamus. Optamus Fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere.*

Antiquiſſimam vero hanc eſſe Eccleſiæ praxim largiendi fidelibus Indulgentiam Plenariam in articulo mortis; habetur ex Divo Cypriano *Epiſt.* 13. Quanquam enim S. Antiſtes amore Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſervandæ, lapſos nondum ſalutaribus pœnitentiæ laboribus purgatos, exhibitis Martyrum Libellis ad veniam recipere detrectaret; tamen ubi extremum vitæ periculum imminebat, etiam non expectata Epiſcoporum præſentia voluit eos integram pœnitentiarum remiſſionem obtinere: delegatis ad hoc munus obeundum Presbyteris, & Diaconis = *Quoniam*, inquit, *video facultatem veniendi ad vos nondum eſſe, & jam æſtatem cœpiſſe, quod tempus infirmitatibus aſſiduis, & gravibus infeſtat; occurrendum puto Fratribus noſtris: ut qui libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum adjuvari apud Deum poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint; non expectata præſentia noſtra apud Presbyterum, quemcunque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint: ut manu eis in pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace: quam dari Martyres literis ad nos factis deſideraverunt* = Dicta vero pace, ſeu Indulgentia donatos fuiſſe lapſos in mortis articulo approbavit Clerus Romanus epiſt. ad D. Cyprianum inter Cyprianicas 31. = *Nos lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus: ut interim, dum Epiſcopus dari a Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſint dilationis ſuſtinere, cauſa*

ſa teneatur: eorum autem quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poteſt ferre; acta pænitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum: ſi lacrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis, ac pænitentis animi ſigna prodiderint; cum ſpes vivendi ſecundum hominem nulla ſubſtiterit; ita demum caute, & ſollicite ſubveniri, ipſo Deo ſciente, quid de talibus faciat, & qualiter judicii ſui examinet pondera: nobis tamen anxie curantibus, ut nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pænitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem.

Ex quibus colliges hanc Lutheri propoſitionem a Leone X. merito fuiſſe damnatam = *Indulgentiæ mortuis, ſeu morituris, & infirmis, nec neceſſariæ ſunt, nec utiles* = Eccleſia ſiquidem ab ipſo Cypriani tempore utile maximopere judicavit fideles potiſſimum morituros adjuvare Indulgentiæ Plenariæ ſubſidio.

§. II.

Recentiora exempla conceſſionis Indulgentiæ in articulo mortis.

ANtiquis exemplis Indulgentiæ in mortis articulo conceſſæ recentiora adjicimus: quæ tot, & tanta ſunt; ut pauci reperiantur, qui hoc ſpirituali theſauro gaudere non poſſint.

Hæc Indulgentia (ut dictum eſt *c.* 2. *art.* 1. §.1. hujus ſecundæ partis) 1.° a Paulo V. conceſſa eſt Regularibus utriuſque ſexus vere pœnitentibus, & confeſſis, ſacraque Communione refectis: aut ſi hæc agere non valuerint; ſaltem contriti nomen Jeſu ore, aut ſaltem corde invocaverint. 2.° eadem datur a Sede Apoſtolica Confratribus, & Conſororibus cujuslibet Societatis canonice erectæ: ſive hæc immediate a Sede Apoſtolica, ſive per communicationem ab Ordinibus Regularibus, vel Archiconfraternitatibus conſuetas Indulgentias obtinuerit. 3.° degentibus in Regnis Catholico Hiſpaniarum Regi ſubjectis Bullam Cruciatæ recipientibus: ut habetur ex eadem Bulla. 4.° iis qui decedunt in Hoſpitalibus: pro quibus ad hunc effectum Apoſtolica Brevia expediuntur 5.° Omnibus habentibus Coronas, Roſaria, Numiſmata, & Cruces, quibus adjectæ ſunt conſuetæ Indulgentiæ: ut habetur ex formula conceſſionis hujuſmodi Indulgentiarum inferius *c.* 3. §. 4. exhibenda. His addimus Alexandrum VII., tum ut Clericos Regulares Miniſtrantes infirmis eximio privilegio decoraret, tum ut agonizantibus Chriſtifidelibus, quos dicti Regulares adjuvant, paterna charitate conſuleret, omnibus in agone languentibus, qui Crucifixi imaginem ab eiſdem Regularibus porrectam oſculati fuerint; Indulgentiam Plenariam conceſſiſſe. Patet ex ſequenti Brevi = *Ut ſaluti animarum Chriſtifidelium, quibus in extremo agone dilecti filii Præpoſitus, & Clerici Regulares Congregationis Miniſtrantium infirmis pro tempore juxta laudabile eorum Inſtitutum aſſiſtunt, uberius conſulatur; pro paterna Noſtra erga Chriſtifideles charitate providere volentes; auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ut quotieſcunque aliquis ex Clericis præfatis particularem Jeſu Chriſti Domini noſtri Crucifixi imaginem, (quam ſemel electam niſi in eventu amiſſionis mutare non poſſit,) ad quemcunque Chriſtifidelem in articulo mortis conſtitutum deferet; ſi hic vere pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltem contritus, nomen Jeſu ore, ſi potuerit; ſin minus corde devote invocaverit: imaginemque hujuſmodi a præfato Clerico Regulari porrectam oſculatus fuerit, ſeu tetigerit; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam conſequatur, concedimus, & indulgemus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhibe-*

bliberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum apud S. Petrum ſub Annul. Piſc. die 15. Januarii MDCLVI. Pontif. noſtri anno primo. G. Gualterius.

§. III.

De facultate concedi conſueta Epiſcopis impertiendi Indulgentiam Plenariam in articulo mortis agonizantibus in ſuis Diœceſibus: ac de formula conceſſionis hujus facultatis.

SOlent ſummi Pontifices Epiſcopis in Italia ad biennium, ultra montes ad triennium, atque in Indiis ad decennium communicare facultatem concedendi benedictionem Apoſtolicam, & Indulgentiam Plenariam fidelibus ſuarum Diœceſum in extremis laborantibus per ſe ipſos immediate, vel eorum Suffraganeos exercendam: ita tamen, ut alios Sacerdotes (niſi præciſa neceſſitas exegerit, ac inſuper noctis tempore) nequeant ad hoc munus obeundum ſubdelegare. Formula dictarum literarum eſt. = *Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine. Deſiderium Dominationis veſtræ, quo benedictionem Apoſtolicam cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis agonizantibus, iſtarum Civitatum, & Diœceſis N. concedendi tenetur, expoſui Sanctiſſimo Domino Noſtro, qui benigne annuit, ut Dominatio veſtra ad triennium proximum per ſe ipſum immediate, vel per Dominum ſuffraganeum ſuum Apoſtolica authoritate concedat. Ubi vero præciſa neceſſitas exegerit, ac inſimul noctis tempore duntaxat, idem permittit, ut alicui Sacerdoti pio per Dominationem veſtram qualibet vice eligendo: quoad Moniales autem illarum Confeſſario ordinario communicare valeat. Id juſſu Sanctitatis Suæ (quæ Dominationem veſtram facultate ſupradicta vigore præſentium literarum uti poſſe vult) eidem ſignifico, & ſecunda illi omnia a Deo precor* = Pluries apud Sedem Apoſtolicam humillimas preces porrexerunt Epiſcopi, pro aliqua prædictarum literarum ampliatione. Viſum enim eſt ipſis nimis durum, quod ex præſcripta eis lege concedendi benedictionem, & Indulgentiam per ſe ipſos immediate debeant privari tam magno Pontificiæ charitatis beneficio pauperes agonizantes, degentes in locis ab Epiſcopali reſidentia remotis: ac inſuper, quod ex facultate ſubdelegandi ſibi attributa ad nocturnum tempus duntaxat, ac ubi præciſa neceſſitas exegerit in datis literis reſtricta; vetitum ſit quominus poteſtatem hujuſmodi in caſu propriæ infirmitatis, ſeu legitimi impedimenti, etiam diurno tempore aliis committere valeant. Nonnulli etiam Vicarii Capitulares, ſeu Apoſtolici ſupplicarunt pro ſpirituali illorum Chriſtifidelium utilitate: ut ſibi eadem facultas communicaretur concedendi benedictionem Apoſtolicam, & Indulgentiam Plenariam agonizantibus, quæ Epiſcopis ſolet impertiri. Super his mandavit Clemens XI. exquiri votum Sacræ Congregationis Indulgentiarum &c.: in qua eapropter propoſita fuerunt ſequentia dubia. 1.° *An attentis præmiſſis expediat immutare conſuetam formulam ſupradictam, illamque ampliare: & quomodo?* 2.° *An annuendum ſit enarratis precibus Vicariorum Capitularium, ſeu Apoſtolicorum Eccleſiarum præſertim ab anno & ultra vacantium?* Ad utrunque tamen dicta Sacra Congregatio 22. Novemb. *MDCCX.* reſpondit = *Negative*.

Obſervandum eſt pro exacta intelligentia dictæ formulæ literarum Apoſtolicarum, quod ubi dicitur = *Quoad Moniales autem illarum Confeſſario ordinario facultatem ſimilem communicare valeat*: id non ita ſonare, ut nequeat Epiſcopus per ſeipſum, ſi velit, benedictionem Apoſtolicam, ac Indulgentiam Plenariam conſtitutis in articulo mortis impartiri: ſed illorum verborum ſenſum eſſe, quod ſi nolit per ſe ipſum tale munus obire; poſſit injungere Confeſſario Monialium. Cæterum quoties Epiſcopus voluerit per ſe ipſum id præſtare; debet ingredi Monaſterium a ſenioribus, Religioſiſque viris comitatus: juxta declarationem Gregorii XIII. editam 13. Decemb. MDLXXXI. inſertam in Calce Conſtitutionis ejuſdem Gregorii incipien. *Ubi gratiæ* emanatæ

Idibus Junii MDLXXV. tenoris ſequentis = *Prælatos omnes tam Sæculares, quam Regulares, quibus cura & regimen Monaſteriorum Monialium, quovis modo incumbat, facultate ſibi ex officio attributa ingrediendi Monaſteria prædicta, ita demum uti poſſe: ſi id faciant in caſibus neceſſariis, & a paucis, iiſque ſenioribus, ac Religioſis perſonis comitati.* = Quamobrem tranſgrederetur Gregorianam Conſtitutionem, illiuſque pœnis eſſet ſubjectus Prælatus ille, qui ſecum duceret Laicum: excepto caſu, in quo ejus opera tanquam periti indigeret: uti allegatis reſponſionibus Sacrarum Congregationum late proſequitur Monacellus in *Formulario tom. 4. pag. 109. n. 112., & ſeqq.* Idem etiam confirmatur ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii, quæ inſtante Epiſcopo Mazarienſi, propoſitis ſequentibus dubiis. 1.° *An Epiſcopus habens facultatem dandi benedictionem Apoſtolicam conſtitutis in articulo mortis, teneatur quoad Moniales eam committere earum Confeſſario: vel potius ſit in ejus facultate aliquando ingredi Monaſterium, ut eis det benedictionem? & quatenus affirmative quoad ſecundam partem. 2.° An, & quibus ſociis comitatus Monaſterium ingredi debeat?* Reſpondit 10. Maii MDCCXXVII. = *Ad 1. Negative quoad primam partem, & ad ſecundam affirmative: & ad Dominum Secretarium cum Eminentiſſimo Secretario Brevium. Ad 2.m Debere ingredi in caſu de quo agitur cum Confeſſario Monialium, & uno probo Sacerdote per eum eligendo.*

Hic reponendus eſt noviſſimus modus a Sacra Rituum Congregatione approbatus: adhibendus ab iis, qui facultatem habent a Sede Apoſtolica delegatam elargiendi Benedictionem, ſeu Indulgentiam imminente articulo mortis in actu illam impertiendi. Hunc ex Typographia R. C. A. jam egreſſum per extenſum more noſtro Lectoribus exhibemus ad plenam ipſorum eruditionem.

BEnedictio in articulo mortis cum ſoleat impertiri poſt Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis illis Infirmis, qui vel illam petierint, dum ſana mente, & integris ſenſibus erant, ſeu veroſimiliter petiiſſent: vel dederint ſigna contritionis; impertienda iiſdem eſt, etiamſi poſtea linguæ, cæterorumque ſenſuum uſu ſint deſtituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impœnitentibus, & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur; eſt omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus; dicat: *Pax huic domui &c.*: ac deinde ægrotum, cubiculum, & circumſtantes aſpergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam: *Aſperges &c.*

Quod ſi ægrotus voluerit confiteri; audiat illum, & abſolvat: ſi confeſſionem non petat; excitet illum ad eliciendum actum contritionis: de hujus benedictionis efficacia, (ſi tempus ferat), breviter admoneat: tum piis verbis eum conſoletur, & in ſpem erigat æternæ vitæ conſequendæ. Poſtea dicat.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum & terram.*

Antiph. *Agnoſce Domine creaturam tuam a te ſolo Deo vivo, & vero creatam. Miſerere gemituum, miſerere lacrymarum ſervi tui N. non habentis fiduciam, niſi in tua miſericordia.*

℣. *Ne reminiſcaris Domine delicta juventutis ejus.*

℟. *Neque vindictam ſumas de peccatis ejus.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, reſpice in faciem dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti & per ſanctiſſima ejus Vulnera tam pio cruore manantia, quæ Tibi pro hoc famulo tuo N. offerimus, omnium delictorum ſuorum veniam ei miſericorditer impertiri digneris.

Domine Jeſu Chriſte fili Dei vivi, qui pro mundi redemtione de Virgine naſci dignatus es: reminiſcere quæſumus miſerationum tuarum, & illas

Digitized by Google

illas ſuper animam hujus ſervi tui clementer effunde: ut per ſanctiſſimum latus tuum, per quod beatæ æternitatis aditum nobis patere voluiſti, in cœleſtem patriam eam introire concedas.

Adſit, quæſumus Domine, huic famulo tuo virtus Spiritus Sancti, quæ omnes ab eo inimici inſidias avertat: ut in amore tuo nunc moriens, in tui fruitione perpetuo vivere mereatur.

Omnipotens, & miſericors Deus, qui Beatiſſimam ſemper Virginem, & Matrem Mariam, peccatorum refugium, & ſingulare mortis noſtræ præſidium eſſe voluiſti: ejus quæſumus meritis, & interceſſione concede, ut famulus tuus N. ab hac veræ lucis Aurora peccatorum caligine diſcuſſa, ſalutis æternæ Solem ſibi appropinquare confidat, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Deus, qui per os Prophetæ dixiſti: Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis: In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; emitte quæſumus Sanctum Angelum tuum de Cœlis, qui foveat, protegat, defendat in prælio hunc famulum tuum, ne pereat in tremendo Judicio, ut ſicut illum pugnantem adjuvit in terris; ita vincentem coronari lætetur in cœlis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
℟. *Amen.*

Quæ orationes ſi tempus non patiatur, poterunt omitti, & earum loco dici.

Oremus.

O*Mnipotens, & miſericors Deus reſpice in faciem dilectiſſimi Filii tui Domini Noſtri: & per Sacratiſſima ejus Vulnera tam pio cruore manantia, & per acerbiſſimam mortem, quam tibi pro famulo tuo N. offerimus, intercedente Beata Maria ſemper Virgine cum omnibus Sanctis tuis, omnium delictorum veniam ei miſericorditer impertiri digneris. Per eumdem Dominum noſtrum.*
℟. *Amen.*

Tum de more facta confeſſione generali ab uno ex Clericis adſtantibus, & dicto: *Miſereatur tui omnipotens &c.* dicat.

F*Acultate mihi a Sancta Sede Apoſtolica tributa, ego tibi N. Indulgentiam Plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum concedo in nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus Sancti ✠: & tu Clementiſſime Domine Jeſu Chriſte dignare huic famulo tuo omnes delictorum ſuorum pœnas condonare, portam inferi claudere, Purgatorii cruciatus remittere, Paradiſi januam per Sacroſancta Redemtionis humanæ myſteria miſericorditer aperire. Qui vivis & regnas &c.*

Si vero Infirmus adeo morti proximus ſit, ut neque confeſſionis generalis faciendæ, neque prædictæ orationis recitandæ tempus ſuppetat; ſtatim benedictionem impertiatur.

Orationes autem prætermiſſæ poſtea recitari poterunt, ſi adhuc vivat.

Urbis, & orbis. Supraſcriptas Orationes, & Formulam, ſive modum impertiendi Benedictionem in articulo mortis conſtitutis ab his, qui facultatem habent a Sede Apoſtolica per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Picum reviſas, correctas, & in Sacra Rituum Congregatione relatas; Sacra eadem Congregatio approbavit, & in Rituali Romano *imprimi debere mandavit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die 3. Auguſti MDCCXXVI. Et facta de prædictis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione; Sanctitas Sua benigne annuit. Die 9. ejuſdem Menſis, & Anni. C. Card. de Marinis Præfectus. Loco ✠ Sigilli. N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Cong. Secretarius.*

Hactenus formula Benedictionis a nobis promiſſa, quam lectoribus non injucundam fore ſperamus: nempe quia ſub oculis habent in hoc ipſo opere Indulgentiæ a cunctis exoptandæ applicationem recentiſſime ordinatam.

§. IV.

§. IV.

Duplex modus conceſſionis Indulgentiæ in articulo mortis.

INdulgentia in articulo mortis vel eſt lata, vel eſt ferenda ſicut excommunicatio: quandoquidem juxta formæ diverſitatem obſervari conſuetam non raro conceditur aliquibus, ut a Confeſſario, vel alio Sacerdote tam a culpis, quam a pœnis temporalibus Deo ſolvendis beneficium abſolutionis obtineant: ideoque alterius miniſterium exigitur, ut effectus formalis hujus Indulgentiæ comparetur: quandoque vero Summus Pontifex per ſe ipſum immediate pro articulo mortis pœnas omnes temporales relaxat, ita ut citra alterius miniſterium hanc Indulgentiam moriturus percipiat.

Obſerva tamen diſcrimen inter excommunicationem ferendam, & hujuſmodi Indulgentiam, quod notat Suarius *diſp. 56. ſection.* 1. *num.* 2. quia in excommunicatione non habetur delegatio poteſtatis aliquem anathemate percellendi: in Indulgentia vero poteſtas ad eam concedendam alteri delegatur. = *Poteſt obiter notari differentia* (inquit) *inter Indulgentiam, & excommunicationem ferendam: quod per talem excommunicationem per ſe, & ex vi illius non delegatur poteſtas ad excommunicationem ferendam; ſed ſolum tranſgreſſor præcepti ſit reus excommunicationis, quam ille debet imponere, qui alias habet jus excommunicandi, ſeu exequendi talem legem. Quod ſi aliquando contingat per hujuſmodi legem deſignari perſonam, quæ talem poſſit excommunicationem ferre; illud eſt accidentarium, & ſolum per quandam concomitantiam: nam excommunicatio ferenda ex vi ſua hoc non requirit, ſed id tantum quod diximus. At vero Indulgentia ferenda intrinſece habet delegare poteſtatem ad concedendam Indulgentiam: nam hæc poteſtas regulariter non eſt ordinaria in cæteris, unde non invenitur in his, per quos præſtanda conceditur, niſi per ipſammet conceſſionem detur: ut patet in exemplo proxime poſito: nam Confeſſor ordinarius ex ſe non habet poteſtatem concedendi plenam Indulgentiam: ergo neceſſe eſt, ut accipiat illam per tale privilegium: ſive illud directe detur ipſi Confeſſario ad talem remiſſionem faciendam; ſive proxime detur pœnitenti, eumque conſtituat quaſi proxime capacem, & idoneum talis abſolutionis: nam cum dicat relationem quandam ad concedentem; ut efficax ſit privilegium, neceſſe eſt ut poteſtatem alteri concedat.*

Hinc tenor conceſſionis Indulgentiæ in articulo mortis debet obſervari: an nimirum Indulgentia ſit lata, vel ferenda: ut inde diſcerni queat, an ad ejus effectum obtinendum alterius miniſterium requiratur, vel non; ex defectu ſiquidem hujus obſervationis dictæ gratiæ effectus minime percipitur. = *Admonemus id*, (inquit Navarrus in *Manual. Confeſſarior cap. 26. n. 29.*) *quod pridem admonuimus: habere multos confeſſonalia, aut alias gratias, per quas Papa non concedit directe Indulgentiam, ſed eam concedendi poteſtatem Confeſſario largitur: & ſæpe quia hoc non advertitur, contingit ut quis confiteatur, aut moriatur Bullis plenus & vacuus Indulgentiis. Ideoque Confeſſarius curet ſcire, an confeſſus, ſive ſanus ſive infirmus habeat talia: & habenti illa, poſtquam eum abſolverit, dicat hæc verba, vel talia ejuſdem ſententiæ: Auctoritate, qua fungor, concedo tibi omnem illam Indulgentiam peccatorum tuorum, quam tibi concedere poſſum virtute cujuſcunque gratiæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* =. Quare pro perſonis, quæ ſunt in Confraternitatum libris canonice deſcriptæ; præſenti tempore adhiberi non debet a Sacerdotibus ſive Sæcularibus, ſive Regularibus forma, quam vocant conferendi Indulgentiam Plenariam, apud nonnullos uſu receptam, atque in pluribus libris impreſſam tenoris ſequentis = *Authoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, tibi indulta, & mihi commiſſa; concedo tibi, omnem illam Indulgentiam peccatorum tuorum, quam concedere poſſum virtute privilegiorum Apoſtolicorum: ſi tamen &c.* Quia Indulgentia pro Confratri-

Google

tribus in articulo mortis, ſaltem juxta modernum ſtilum Apoſtolicæ Sedis; non eſt ferenda, ac per conſequens non eſt commiſſa Sacerdotibus facultas eam impertiendi: ſed lata, hoc eſt ſine requiſito applicantis miniſterio conceſſa. Nec pariter approbari poteſt forma quæ his verbis expreſſa ſit = *Authoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & ex Sedis Apoſtolicæ gratia conceſſa Confratribus Ordinis N. declaro te conſequi Indulgentiam Plenariam, & remiſſionem omnium pœnarum, quas pro peccatis tuis debeas ſolvere in Purgatorio: ſi tamen hac vice &c.*

Non improbamus tamen, imo maxime commendamus, (ut Confratres in extremis laborantes melius ad hanc Indulgentiam ſe diſponant) morem vocandi Sacerdotes: qui eos ſolantes, ad verum contritionis actum eliciendum, devoteque dulciſſimum Jeſu nomen invocandum inducant, necnon præmiſſa ab infirmis generali confeſſione; (ſi fieri poteſt) dicant *Miſereatur &c.*: ac tandem forma aliqua deprecatoria utantur. Cujus exemplum eſt illa, quam adhibent Patres Ordinis Prædicatorum pro Confratribus Sanctiſſimi Roſarii, inſerta in Summario Indulgentiarum dictorum Confratrum a Sacra Congregatione Indulgentiarum approbato. = *Dominus Noſter Jeſus Chriſtus filius Dei vivi, qui B. Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam, remittat tibi omnia peccata, quæcunque, & quomodocunque in toto vitæ decurſu commiſiſti, de quibus corde contritus, & ore confeſſus es, reſtituens tibi ſtolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti: & per Indulgentiam Plenariam a Summo Pontifice Innocentio VIII. Confratribus Sanctiſſimi Roſarii in articulo mortis conſtitutis conceſſam, liberet te a præſentis, ac futuræ vitæ pœnis: dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas inferi claudere, Paradiſi januam aperire, teque ad gaudia ſempiterna perducere, per Sacratiſſima ſuæ vitæ, paſſionis, & glorificationis myſteria Sanctiſſimo Roſario comprehenſa. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto &c.* = Pro aliis vero perſonis, quibus conceſſum eſt indultum recipiendi a Sacerdote in mortis articulo Plenariam Indulgentiam; convenienter adhibetur ſequens forma = *Authoritate Sedis Apoſtolicæ mihi commiſſa concedo tibi Indulgentiam Plenariam &c.* = quanvis, ut obſervat Suarius *diſp. 56. ſect. 1. n. 5.* non omnia ea verba ſint neceſſaria = *quia*, inquit, *quod id fiat authoritate Sedis Apoſtolicæ ſupponendum potius eſt, quam in forma declarandum.*

Quæres hic an cunctis petentibus ſit Indulgentia pro articulo mortis concedenda?

Negare videtur Bellarminus *l. 1. de Indulg. c. 12.* eam omnibus indiſcriminatim dandam eſſe, ſed perſonis tantummodo de Catholica Eccleſia benemeritis: dum ait = *Obſervandum eſt, ſupra dictum eſſe, plerumque in cauſa juſta duo contineri, finem & media ad finem: quoniam aliquando ſolus finis ſatis eſſe videtur, ſine ullis mediis, ideſt ſine aliquo opere adjuncto.* Et infra = *Quomodo etiam in mortis articulo hominibus benemeritis de Eccleſia datur aliquando Indulgentia, neque opus ullum injungitur: quia videtur cauſa eſſe ſatis juſta ipſa neceſſitas extrema, conjuncta cum præcedentibus meritis. Ita legitur Gregorium VII. Indulgentias ſine ullo injuncto opere dediſſe lib. 1. epiſt. 34. lib. 2. epiſt. 61. & lib. 6. epiſt. 15.* = Ubi notanda ſunt illa Bellarmini verba = *aliquando*, & *hominibus benemeritis de Eccleſia*, & *cum præcedentibus meritis* = Quibus declarat non paſſim, nulloque inſpecto perſonarum diſcrimine, petentibus eſſe concedendam Indulgentiam, quæ in articulo mortis aut nullo, aut minimo injuncto opere concedi ſolet, nimirum contritis, qui nomen Jeſu invocaverint ore, ſi potuerint ſin autem; corde: ſed iis duntaxat, in quibus neceſſitas extrema (ideſt articulus mortis, in quo plene ſatisfaciendi facultas deeſt) cum præcedentibus meritis erga Eccleſiam Catholicam conjungitur. Semper enim Bellarminus requirit pro juſta cauſa Indulgentias largiendi opus injunctum, quod ad Dei honorem, Eccleſiæque utilitatem valde conferat: vel præcedentia erga Sedem Apoſtolicam merita, quæ injuncti operis ſuppleant vicem.

Paulus V. (ut diximus *cap* 2. §. 3.) Plenariam in articulo mortis aliter cun-

ctis Regularibus, aliter nonnullis ſæcularium Societatibus conceſſit. Confratribus quidem ſi vere pœnitentes & confeſſi, & Sacra Communione refecti nomen Jeſu invocaverint: Regularibus vero, etiamſi contriti ſolum ſint, & Jeſu nomen pariter invocaverint. Et ſane Regulares Ordines pluribus modis de univerſa Eccleſia benemeriti cenſentur: ac in Religionis palæſtra ſtudiis virtutum acquirendarum incumbunt.

Gregorius VII. *cit. epiſt.* 34. Remedio Epiſcopo Lincolnienſi Indulgentias petenti reſpondit his verbis = *Abſolutionem peccatorum tuorum, ſicut rogaſti, auctoritate Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli fulti, quorum jure quanvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus: ſi tamen bonis operibus inhærendo, & commiſſos exceſſus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum, Deo mundum templum exhibueris*= Particulam *ſi tamen* modum & conditionem ſignificare docent Juriſconſulti: quare Gregorius Remedio Indulgentias concedendo (ſi tamen inhæſerit bonis operibus, & peccata ſua planxerit, quantum valuerit); injuncti loco operis præſcripſit, piis operibus inhærere, & crimina plangere: quod non ſatis animadvertiſſe videtur Bellarminus, qui Gregorium ſine ullo injuncto opere Indulgentiam dediſſe affirmavit.

Dubio itaque reſpondemus affirmative. Et reſponſio roboratur tum ſententia Sacræ Congregationis, quæ ſub die 23. Aprilis anno MDCLXXV. hoc diſcuſſo dubio cenſuit = *Eam poſſe concedi*= tum ex praxi Summorum Pontificum, qui paſſim illam petentibus largiuntur.

§. V.

In quo mortis articulo locum habeat hæc Indulgentia.

PRO dubii propoſiti intelligentia optimum duximus prænotare, articulum mortis duplicem diſtingui poſſe. Alium poſt quem ſequitur immediate mors: & hic dicitur articulus verus: alium vero, qui vocatur præſumtus: quum ſcilicet infirmus medicorum judicio creditur brevi moriturus, ſed tamen vel ex cauſa naturali, vel ex ope divina ex eo periculo contra ſpem evadit. Hinc oritur dubium: num Indulgentia in articulo mortis tam lata, quam ferenda, nulla adjecta declaratione articuli, in vero duntaxat articulo acquiratur: an etiam in præſumto obtineri poſſit? In hujus dubii propoſitione conſulto diximus: *nulla adjecta declaratione articuli*: quia ſi alicui Indulgentia his verbis concederetur: *toties quoties incideris in mortis articulum*; hæc gratia procul dubio ſuum effectum haberet tam in vero, quam in præſumto mortis articulo. Illa ſiquidem verba *toties quoties* ſignificant effectum, qui pluries poteſt evenire. Cum autem hominibus ſemel mori ſtatutum ſit; nequit illius clauſulæ expreſſio reſtringi ſolum ad verum mortis articulum, qui ſemel tantum accidere poteſt. Ex quo neceſſe infertur in conceſſione Indulgentiæ continentis clauſulam: *toties quoties &c.*; utrunque articulum comprehendi. E converſo indubium eſt Indulgentiam hanc in ſolo vero articulo mortis reportari poſſe, ſi in ejus conceſſione hæc verba: *in vero mortis articulo*: notarentur. Quæſtio igitur eſt: quid importent de ſe, & per ſe illa verba *in articulo mortis*: utrum ſcilicet denotent duntaxat articulum verum, an poſſint etiam extendi ad præſumtum?

Recenſitis hic pro dignitate diverſis Authorum placitis; in hoc dubio amplectemur illud, quod magis rationi conſentaneum eſſe duximus. Et quidem ſi Indulgentia in articulo mortis ſit ferenda, (hoc eſt ſi Confeſſarii, vel alterius Sacerdotis miniſterio indigeat, ut communicetur, atque applicetur); Canus, & Covarruv. relati a Roderico *t.* 1. *qq. regul. q.* 62. *art.* 7. putant eam ſolum in vero mortis articulo comparari, aſſerentes articulum mortis illum ſolum eſſe, a quo ægroti non evadunt: idque docuit Soto *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 4. de abſolutione a quibuſcunque peccatis & cenſuris pertractans = *Quæris autem*, inquit, *quis nam dicatur articulus mortis? Sylveſter namque verbo Confeſſor* 1. §. 6. *memb.* 7. *vocat articulum mortis, non ſolum cum quis eſt morti proximus, ſed etiam dum quis ſe objicit periculo mortis: nempe ut prælium,*

vel

vel mare eſt ingreſſus. At profectò confuſio eſt nominum, periculum mortis cenſere articulum mortis. Articulus mortis eſt, cum mors jam eſt in fieri per cauſam naturalem, aut violentam: nempe aut per infirmitatem, aut dum miniſterio juſtitiæ quis eſt interficiendus: & in his tantum caſibus licet unicuique Sacerdoti quemlibet abſolvere. Secus de periculo mortis: nam privilegium non eſt ampliandum, maxime in re tam periculoſa: quia abſolutio ſine juriſdictionis uſu nulla eſt, & Canones nunquam loquuntur niſi in articulo mortis, neque illam facultatem Eccleſia concedit, niſi quando Sacerdos proprius haberi non poteſt = Item apud Divum Antoninum *1. p. Summæ theolog. tit.* 10. *cap.* 3. §. 5. reperies Eugenium IV. declaraſſe = *Indulgentiam, quæ Confeſſarii, vel alterius applicantis miniſterium deſiderat, ſic in mortis articulo largiri non præſumto, ſed vero*. Et ante Eugenium IV. eandem declarationem a Bonifacio IX. prodiiſſe inſtante Adamo Cardinali Anglico, teſtatur Thomas Walſingamenſis ad annum MCCCXC. his verbis = *Adami Cardinalis Anglici petitione declaratum eſt per Papam Bonifacium IX., quod Bullæ de Indulgentiis Plenariis conceſſæ quibuslibet in extremis; tantum valent eas obtinentibus in Confeſſione, quæ mortem immediate præcedit: qui licet multoties propter diverſa confiteantur, & convaluerint; uſque ad extremum articulum nullum ſortiuntur effectum.*

Navarrus tamen e contra in *Comm. de Ind., & Jub.* notab. 3.° ea verba Conſtitutione Sixti IV. incipientis *Quemadmodum: tam in perpetuum, quam ad certum tempus in vita, ſeu mortis articulo*; intelligenda eſſe arbitratur de præſumto mortis articulo = *In hac materia intelligendus eſt articulus præſumtus, & non verus, ſi nihil aliud exprimitur in gratia: ſicut & extremus finis vitæ, quo ſolo extrema unctio danda eſt, non eſt verus finis, ſed præſumtus: juxta notata in can. Presbyter, & can. Illud diſt. 95, & in 4. ſent. diſt. 13. Unde probabiliter moriturus uti poteſt Indulgentia pro articulo mortis ſibi conceſſa: & lucrabitur eam, quamvis non moriatur: ſed poſtea uti non poterit amplius ea, etiamſi convaleſcat, & poſtea in articulo mortis vero uti ea velit* = Conſentiunt Navarro Felinus & Zerola Epiſcopus Minorenſis.

Prædictarum opinionum utraque non levia habet contra ſe incommoda. Contra primam gravis inſurgit difficultas: quia ſi pro vero tantum mortis articulo conceſſa ſit Indulgentia; ſæpe infirmus illam non conſequetur: quia ſi non curet in præſumto articulo mortis Indulgentiæ Plenariæ conſecutionem ſibi comparare; fortaſſe (ut pluries evenit) ingraveſcente vi morbi, verus citra expectationem ſupeveniet mortis articulus: in quo, neglectis operibus injunctis, Indulgentiæ beneficium non conſequetur. Contra ſecundam opinionem non minor obverſatur rationis oppoſitio: quia ſi Indulgentia conceſſa ſit pro articulo mortis præſumto; majoris erit tunc periculum inconvenientis: nempe quod infirmus decedat abſque eo quod hujus Indulgentiæ fructu gaudeat. Supponamus enim, quod ægrotus in eo articulo conſtitutus, adimpletis operibus injunctis, Indulgentiam hanc acquiſiverit: ſi poſtea eadem ingraveſcente, vel alia ingruente infirmitate in verum mortis articulum incidat; in hoc caſu Indulgentiæ Plenariæ beneficio manebit deſtitutus: quia nempe illam jam obtinuerat in articulo mortis præſumpto: atque adeo Indulgentia in articulo mortis carebit, quando vere eſt moriturus, & quando ejuſdem Indulgentiæ urgentem, & præciſam indigentiam habebit.

Harum omnium difficultatum nodos evadere videtur ſententia aſſerens in vero ſimul, & præſumto mortis articulo Indulgentiam, de qua eſt quæſtio, poſſe lucrifieri. Ita exiſtimat Corduba *tr. de Indulg. quæſt.* 39. ubi ait = *Tertia opinio eſt, quod toties quoties homo venerit ad articulum mortis, poteſt lucrari talem Indulgentiam: quia non expirat per quaſcunque vices homo utatur ea: quia ſicut aliæ conceſſiones conceſſæ pro articulo mortis, aut pro tempore infirmitatis, (puta ad abſolvendum de peccatis, & cenſuris in articulo mortis: ad celebrandum domi ſuæ, & communicandum: & audiendum divina tempore infirmitatis, & in articulo mortis) intelliguntur toties*

ties quoties: ideſt talibus articulis occurrentibus: ut patet ex practicata conſuetudine. Ergo ſimiliter eadem ratione eſt intelligendum de Indulgentia interminate conceſſa. Sicut etiam dicitur, quod extrema unctio ſolum eſt pro articulo mortis, intelligitur de quolibet articulo mortis probabiliter occurrente, quod habet fructum. Sic etiam de Indulgentia prædicta: quia indefinita juris æquivalet univerſali, niſi de mente Papæ aliter conſtet aliquando = Et deinde rationibus in contrarium allatis reſpondens, ſubdit = *Si aliquando in Bullis exprimitur toties quoties, & quod reſervetur pro alio articulo mortis vero &c.; dico id poni ad majorem declarationem, ſeu etiam ad reſtrictionem hanc, quod ſolum valeat Indulgentia illa pro vero mortis articulo: ut dicebat ſecunda opinio. Quando vero nil tale dicitur in Bulla; certe non videtur, quare debeat reſtringi: cum favores ſint ampliandi; quantum patitur proprietas verborum: & beneficium Principis ſit late interpretandum, maxime favorabile, & in nullius præjudicium: ut ſupra q. 9. prop. 4. habetur late. Privilegium autem, quod eſt proprie privilegium, ſcilicet militans contra jus, ut privata lex, bene expirat per primam vicem; quamvis eo utatur, ut dicunt Juriſtæ communiter: ut eſt licentia conceſſa ad abſolvendum de reſervatis: niſi aliud conſtet de mente concedentis: ut ſup. q. 37. habetur.*

Quod ſi Plenaria Indulgentia conceſſa in mortis articulo nulla adjecta declaratione ejuſmodi ſit, ut quiſque per ſe eam ſibi poſſit acquirere, ſine alterius applicantis miniſterio: ſicut hac noſtra ætate ea gaudent habentes coronas, cruces, atque medalias (ut vulgo dicimus) a Summo Pontifice benedictas; putat Lavorius *p. 2. de Indulg.* illam poſſe a fidelibus in utroque articulo comparari: & hanc ſententiam vocat communem inter Doctores = *Reſpondeo* (inquit) *ex communi de utroque: ideſt licet Indulgentiæ ſint applicatæ, & non moriatur* (infirmus); *gaudet: etiam quod poſtea convaluerit.*

Nos vero abſolute, nullamque diſtinctionem adhibentes, dicimus hanc Indulgentiam Plenariam pro mortis articulo conceſſam, & qualitatem, ſive univerſalitatem articuli non continentem, ſive alterius applicantis miniſterio indigeat, ſive fidelibus conceſſa ſit per ſe ipſos acquirenda; in vero recipi tantummodo mortis articulo. Movemur tum a ratione Soti ſuperius adducta: tum quia finis Summorum Pontificum hujuſmodi gratiam concedentium eſt, ut decedentibus nihil ſuperſit poſt hanc vitam mortalem purgandum; ac per conſequens Summi Pontifices eam peccatorum remiſſionem impertiuntur, quæ (quantum eſt ex ſe,) efficaciam habeat perducendi illos vere contritos de peccatis ad æternam beatitudinem ſtatim poſſidendam. Inſuper Paulus III. pridie Cal. Decembris anno MDXXXIX. concedens Confraternitati Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam erectæ Indulgentias, & ſpirituales gratias: necnon facultatem eligendi Confeſſarium, qui a caſibus Ordinario, & a nonnullis aliis Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolveret; utrunque articulum apertiſſime exprimit. = *In mortis articulo*, inquit, *etiamſi tunc mors non ſubſequatur* = Eandemque, vel ſimilem verborum formam alii Pontifices in hujuſmodi conceſſionibus non raro uſurparunt: ea ſiquidem verba articulum mortis præſumtum ſignificant: cum particula *etiam* caſum indigitet ab ante expreſſo diverſum, ac difficiliorem: ut late oſtendit Franciſcus de Ponte *conſil. 32. num.* 13. Ergo Summi Pontifices articuli mortis verbo articulum præſumtum nullo modo intellexerunt, (quem propterea exprimendum putarunt volentes Indulgentiam conferre pro illo), ſed articulum verum duntaxat intelligunt, pro quo tantum conceſſa conſequenter reputanda erit Indulgentia Plenaria, quæ abſolute in articulo mortis, abſque alio verbo adjuncto, conceditur. Tum quia legitimum fundamentum ſic interpretandi mentem Summorum Pontificum habetur ex ſubſecuto uſu, & conſuetudine deinde ſervata, quæ eſt optima cujuslibet diſpoſitionis interpres: ut plurimorum Doctorum teſtimonio tradit Mantica *dec.* 296. Porro praxis impertiendi hanc Indulgentiam, ſervatur ſequenti, aut huic æquivalenti formula = *Auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum Petri*

tri

tri & Pauli tibi indulta, & mihi commiſſa concedo tibi omnem illam Indulgentiam peccatorum tuorum, quam concedere poſſum virtute privilegiorum Apoſtolicorum; ſi tamen hac vice morieris. Alias eam tibi reſervo pro vero mortis articulo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen = Quamobrem Indulgentia in articulo mortis citra aliam adjunctam articuli declarationem, juxta mentem Summorum Pontificum, non conceditur pro articulo mortis præſumto, neque pro hoc ſimul, & vero: ſed tantum pro vero. Alias minime adhiberetur ea conditio: *Si tamen hac vice moriaris*: potius enim officeret quam prodeſſet: nempe quia conſtituti in articulo mortis præſumto, ſi poſtea convaleſcerent, privarentur fructu Indulgentiæ Plenariæ ſub illa conditione conceſſæ: quo fructu gauderent, ſi conditio iſta appoſita non fuiſſet.

At inquies. Actus, qui fit ſecundum legem, conditionem de futuro non admittit: juxta *reg. 5. de reg. jur.*, & *l. actus legitimi ff. eod. tit.*: & ideo (ut communiter docent Theologi) abſolutio a peccatis ſub conditione de futuro nec licita, nec valida eſt. Pari igitur ratione illicita erit, & invalida Indulgentiæ hujus conceſſio, ſeu applicatio dependenter ab hac conditione: *Si hac vice moriaris*.

Reſp. Regulam illam, quod actus legitimus conditionem de futuro non admittat, non extendi ad omnes, & quoſcunque actus: conſtat enim abſolutionem a cenſuris ſub ejuſmodi conditione tribui poſſe, eaque tantummodo impleta ſuum effectum inferre: ut tradunt Coninckus *de Sacrament. diſp. 29. n. 11.* Candidus *diſquiſ. 22. artic. 57.* Henriquez *lib. 13. c. 29. num. 4.* Idemque patet in matrimonio, aliiſque actibus. Solum ergo locum habet in actibus, quorum naturæ repugnat conditionem reſpicere a tempore futuro dependentem: & plurimi enumerantur in jure: inter quos actus profecto debet abſolutio a peccatis recenſeri, quia eſt verus actus Sacramentalis, poſtulans juxta præſcriptam verborum formam ex Chriſti inſtitutione, per Eccleſiæ Miniſtros exerceri. Sacramentum enim Pœnitentiæ, cujus pars eſſentialis eſt abſolutio a peccatis, eſt ſignum practicum influens in gratiam ſanctificantem in eodem inſtanti, in quo dicta abſolutio profertur; dummodo ex parte recipientis obex non apponatur: quod nullus ſanæ mentis poterit negare, quin aperte doctrinæ Eccleſiæ, & Conciliorum refragetur: adeoque contra valorem hujus Sacramenti eſſet adhibere in abſolutione conditionem de futuro, quæ effectum uſque ad impletam conditionem ſuſpenderet. Cæterum conceſſio ſeu applicatio Indulgentiæ non eſt actus Sacramentalis: nec a Chriſto, aut Eccleſia præſcriptam habet verborum formam, qua concedatur, aut applicetur: adeoque conditio de futuro illi non officit.

Ex his colliges in noſtra ſententia non ſequi frequenter infirmos ſine hac Indulgentia deceſſuros. Quanquam enim aſſeramus ejus fructum acquiri duntaxat in vero mortis articulo; cum hoc tamen optime ſtat ejus applicationem fieri, ubi peritorum judicio infirmus brevi cenſetur moriturus: quia adhibita forma mox relata, aut infirmus revera morietur; & in hoc caſu (ſi ſit rite, & recte diſpoſitus) Indulgentiam aſſequetur: aut convaleſcet; & in hoc caſu Indulgentia pro vero mortis articulo reſervatur.

Hic opportunum exiſtimo admonere Sacerdotes, ad impertiendam hanc Indulgentiam vocatos 1.° ut advertant tenorem conceſſionis: ſi enim Indulgentia hæc concedatur *rite confeſſis*; tunc neceſſario debent infirmi Sacramentalem Confeſſionem peragere: ſecus ſi in dicta conceſſione dicatur *contritis*: vel etiam ſi dicatur *contritis duntaxat*. 2.° ut perpendant ſaluberrimum conſilium eſſe pro iis, qui in extremis laborant, per ſe ipſos petere hujuſmodi Indulgentiæ applicationem: ut eo meliori modo, quo poſſunt, ad eam acquirendam actibus congruis diſponantur. Id tamen in rigore loquendo neceſſarium non eſt, ut notat Suarius *loco ſupracit. ſect. 1. n. 7.* Etenim inter abſolutionem a peccatis per Pœnitentiæ Sacramentum obtinendam, atque inter remiſſionem a pœnis temporalibus, Indulgentiarum conceſſione comparandam, hoc intercedit diſcrimen, quod ut prior homini ſenſibus deſtituto tribuatur; oportet præceſſiſſe externam petitionem ex parte pœnitentis: debet quippe aliquo modo præſupponi externa accuſatio, & confeſſio, ut valide forma Sacramentalis abſolutionis ſupra materiam ſen-

ſenſibilem proferatur . Ad remiſſionem vero pœnarum, quæ datur per Indulgentias, non requiritur actus ullus externus, ſeu ſenſibilis: ſed ſufficit infirmum eſſe capacem, & ſufficienter diſpoſitum ad illarum fructum: quod ſine actu externo haberi optime poteſt.

Quæres hic quando acquiratur Indulgentia in articulo mortis?

Videtur poſſe reſponderi, quod acquiratur in primo non eſſe hominis: ſolum enim illud videtur verum inſtans mortis, in quo primo verificatur hominem mortuum eſſe. Quod ſi opponas Baptiſmatis, & Martyrii effectum non haberi primario, & principaliter, niſi ante mortem; reſponderi poteſt Indulgentiæ effectum poſſe animæ etiam ſeparatæ a corpore communicari, non vero remiſſionem culpæ mortalis, vel infuſionem primæ gratiæ ſanctificantis, in Baptiſmatis Sacramento, & aliquando in Martyrio collatæ. Si hæc reſponſio non placet, dici poteſt eſſe ultimum vitæ hominis, ſeu tempus moraliter illud, in quo infirmus proxime moriturus eſt, & cui immediate poſt mors ipſa ſuccedit: tunc enim cum anima adhuc unita ſit corpori, verum eſt, quod proxime moriturus effectum Indulgentiæ Plenariæ recipiat.

CA-

CAPUT III.

DE INDULGENTIIS REALIBUS.

CUM Indulgentiæ Reales illæ ſint, quæ rerum quarundam mobilium intuitu, puta Crucum Numiſmatum, Calculorum & Coronarum Chriſtifidelibus conceduntur; ad complementum ſeundæ Partis hujus Tractatus, reliquum eſt, ut ea, quæ ad hujuſmodi res mobiles ſpectant, earumque Indulgentias laconice perſtringamus.

ARTICULUS UNICUS.

De Indulgentiis, quæ Numiſmatibus Coronis, Crucibuſque benedictis addicuntur.

SEX aggredimur pertractanda in hoc Articulo. 1.° Ritum benedicendi Cruces, & Numiſmata, necnon originem deſponendi Indulgentias adhibentibus hujuſmodi res. 2.° Quando nam horum uſus inceperit: & de Indulgentiis pro eiſdem conceſſis. 3.° Quomodo ad cauſam piam concurrant Cruces, Numiſmata, & Coronæ: ut earum intuitu Indulgentias dari fas ſit? 4.° Declarationes & ſtatuta ſuper Indulgentiis Realibus, ac earundem formulas. 5.° Solutiones dubiorum ſuper Indulgentiis Realibus. 6.° Indulgentias, quas Summi Pontifices concedunt, ita ut per alios diſtribui, & applicari poſſint Coronis, Crucibus, & Numiſmatibus.

§. I.

De Ritu benedicendi Numiſmata: & de origine concedendi Indulgentias iis, qui rebus hujuſmodi utuntur.

RItum benedicendi quaſdam res ſacras ex auro, argento alioque metallo confectas, retroactis ſæculis novimus uſurpatum. Claves enim quaſdam ex Sancti Petri confeſſione acceptas Chriſtianis Principibus olim miſſas, quæ fidelium collo appenſæ innumeris coruſcarunt miraculis, antiqua monumenta nos edocent. Divum ſiquidem Gregnrium, qui Summus Pontifex electus eſt anno DXC., donum hoc miſiſſe Chilberto Francorum Regi, habetur ex Regiſtro Epiſtolarum ejuſdem *lib. 5. indictione 4. epiſtola 6.* ad eum Regem data, ibi: *Claves .... Sancti Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus incluſum eſt, Excellentiæ veſtræ direximus, quæ collo veſtro ſuſpenſæ a malis vos omnibus tueantur* = Idem Pontificiæ liberalitatis argumentum D. Gregorium miſiſſe ad Theotiſtam habes ex *lib. 6. indict. 15. epiſt. 23.*: ubi ad conciliandam his præclaris reliquiis venerationem enarrat, repentinæ mortis ſupplicium divinitus illatum cuidam Longobardo, qui eas contemnere minime dubitaverat. = *Benedictionem Sancti Petri Apoſtoli, clavem a ſacratiſſimo ejus corpore tranſmiſi: de qua videlicet clavi hoc eſt geſtum, quod narro miraculum. Dum eam quidam Longobardorum Civitatem ingreſſus in Tranſpadanis partibus inveniſſet, quia Sancti Petri clavis eſſet deſpiciens: ſed pro eo quod eam auream vidit, facere ſibi ex illa aliquid aliud volens; eduxit cultellum ut eam incideret. Qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arrep-*

tus

tus per ſpiritum, ſibi in gutture deſixit, eademque hora extinctus cecidit. Et dum illic Rex Longobardorum Antharith, atque alii multi ejus homines adeſſent: & is qui ſe percuſſerat, ſeorſum mortuus: clavis vero hæc ſeorſim jaceret in terra; factus eſt omnibus vehementiſſimus timor: ut eandem clavem de terra levare nullus præſumeret. Tunc quidam Longobardus Catholicus, qui ſciebatur orationibus, & eleemoſynis deditus, Minulphus nomine, vocatus eſt, atque ipſe hanc levavit de terra. Antharith vero pro eodem miraculo aliam clavem auream fecit, atque cum ea pariter ad ſanctæ memoriæ deceſſorem meum tranſmiſit: indicans quale per eam miraculum contigiſſet. Ipſam ergo veſtræ Excellentiæ tranſmittere ſtuduimus, per quam Omnipotens Deus ſuperbientem, & perfidum hominem peremit: ut per eam vos, qui eum timetis, & diligitis, & præſentem ſalutem, & æternam habere valeatis =: ex quo non obſcure colliges ante D. Gregorium invectum fuiſſe morem mittendi ad Principes Claves ex S. Petri Confeſſione acceptas. Tandem *Lib.7. indict.2.Epiſt. 126.* ad Recharedum Regem Viſigothorum Sancti Hermenegildi Martyris fratrem, inquit = *Clavem parvulam a Sanctiſſimo B. Petri Apoſtoli corpore vobis pro ejus benedictione traſmiſimus, in qua ineſt ferrum de catenis ejus incluſum: ut quod collum illius ad martyrium ligaverat; veſtrum ab omnibus peccatis ſolvat.* = Sub initio ſuſcepti Pontificalis regiminis Leonem III. idem cum Carolo Magno præſtitiſſe tradit Eginhardus *in Annalib. ad annum DCCXCVI.* ſcribens = *Leo per Legatos ſuos Claves confeſſionis S. Petri, ac vexillum Romanæ Urbis cum aliis muneribus Regi Carolo miſit* = Hujuſmodi munere a Gregorio VII. qui Apoſtolicam obtinuit dignitatem anno MLXXIII. Alphonſum Regem fuiſſe decoratum, verba Epiſtolæ ad eundem datæ demonſtrant = *Ex more Sanctorum miſimus vobis claviculam, in qua de Catenis B. Petri benedictio continetur: ut omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia nexibus ferreis liberavit; ejus meritis, & interceſſione vos a peccatorum vinculis abſolvat, & ad gaudia æterna perducat.*

Prædictis Clavibus adjectam fuiſſe Indulgentiam tradit Benzonius in ſuo opere *de Anno Sancto Jubil. lib. 1. cap. 3. de nominib. ſacr. Jubil. eorumq. ſignificationib.* putans eam ſignificari Benedictionis nomine. = *Annus Jubilæi*, inquit, *eſt annus, in quo Deus benedictionem remiſſionum, & Indulgentiarum ſuper populum ſuum effundit: neque enim illi una eſt tantum benedictio, ſed duplex, una ad gratiam, alia ad pœnæ remiſſionem: per illam remittit culpas, per iſtam reatus pœnarum ſolvit. De hac Indulgentiarum benedictione locutus eſt Magnus Gregor. lib. 12. Regiſtr. Epiſt. 17. dum inquit: Clavim vero a Sacratiſſimo Beati Petri corpore, in qua de catenis ejus Benedictio continetur, tranſmiſimus, quæ collo veſtro ſuſpenſa contra omnia adverſa vos muniat. Hæc ille indicans per poteſtatem Clavium Beato Petro collatarum Benedictionem hanc, ſeu Indulgentiam peccatorum concedi* = Sed vereor ne aſſerta Indulgentiæ conceſſio ejuſmodi Clavibus annexa ſit de veritate ſuſpecta: ſi enim verbum *benedicere* in propria ſignificatione acceptum nihil aliud exprimit, quam fauſta precari; per benedictionem cum Clavibus Beati Petri Apoſtoli tranſmiſſam, hoc ſolum datur intelligi, Summos Pontifices divinam Omnipotentiam exoraſſe, ut Chriſtiani Principes a cunctis malis protegerentur, atque veniam peccatorum obtinerent.

Veterum fortaſſe Pontificum exemplis excitatum S. Pium V. numiſmata benedixiſſe comperimus: eundemque primum fuiſſe, qui pro Belgis ejuſmodi res mobiles Indulgentiarum muneribus decoraverit, cenſuit Oldoinus in *Annotation. ad vit. Romanor. Pontific. in S. Pio V.* = *Ad augendam Belgarum Religionem*, inquit, *Numiſmata primus omnium conſecrat* Pius V. *ſacroſque ejuſmodi nummos geſtantibus Indulgentias concedit* = Ad pleniorem Indulgentiarum Realium notitiam; hujus benedictionis, necnon Indulgentiarum originem referre fas ſit: quam gratam fore lectoribus exiſtimamus. Plurimi Seditioſi ſub

ſub initio Pontificatus Sancti Pii V. *Gheuſios* ſeſe nuncupantes; ob non impetratam a Philippo II. Hiſpaniarum Rege Religionis libertatem: inito fœdere cum Hugonotis; pari immanitate omnia ſacra, & profana igne, ferro, cladibuſque devaſtarunt: atque ut a Catholicis diſtinguerentur, induti panno cinericei coloris incedentes, alii ligneas laguncullas ſcutellaſque, & caliculos (quæ pauperum ſuppellex eſſe ſolet) pileis affixerunt: plerique nummum primo e cera exculptum, vel e ligno, poſtea ex auro argentove excuſum inſtar bullæ collo pendentem geſtarunt: cujus pars antica Philippi Regis cælatam referebat effigiem: cum hac inſcriptione *Fideles Regi*: Poſtica vero manticam duarum complexu manuum interceptam repræſentabat, cum lemmate: *Uſque ad manticam*. Novæ *Gheuſiorum* ſectæ ſe oppoſuit Philippus Croyus Dux Areſchoti, atque ut eorundem debacchantium impietatem, & furorem reprimeret, B. Virginis Matris Filium Jeſum ſinu foventis imaginem ſpiræ galeri eleganter aptavit, ſuiſque geſtandam dedit veluti teſſeram. Quem imitata Bruxellenſis Nobilitas ad collum nummos tanquam indicia Orthodoxæ religionis proteſtativa Cœlitum imaginibus ſignatos deferendos ſuſcepit: ob idque a Sancto Pontifice Pio V. eximium Indulgentiarum præmium meruit obtinere. Luculenter, & erudite rem narrat Famianus Strada *lib. 5. de Bello Belg. ad an. MDLXVI.* = *Unum ex hac conjuratione proveniſſe ſub hoc tempus invenio Chriſtianæ rei emolumentum, quod in præſentia paucis evolvere locus admonet. Hullis, Hannoniæ in oppido, inclytum eſt multa per Belgium fama cœlitum Reginæ ſimulacrum. Illuc religionis cauſa profectus Areſchoti Dux Philippus Croyus, pro ea, quam a majoribus hæreditariam habebat, in Hullenſem Virginem pietate (nam ſacrum illud ſignum genti Croyæ acceptum referunt annales Belgii) ejus Divæ imaginem filium Ieſum complexu foventis exprimendam argenteis aliquot numiſmatis curavit: atque illa, ut ſe recenti Gheuſiorum factioni opponeret; ipſe, quique cum eo erant Nobiles complures, in galeri ſpiram eleganter inſeruere, ceu ſymbolum & piæ peregrinationis, & catholicæ nobilitatis. Quumque Bruxellis ubi primum eo cum ornatu Areſchotus apparuit, multi nobilium ſeu pietate in Dei Matrem, ſeu potentiorum imitatione (uti plerunque fit) in cultu veſtium, hujuſmodi capitis inſignia jam præferrent; gaviſam eo maxime ſtudio Gubernatricem, inter alia, quæ ſubinde Pio V. Summo Pontifici ſcribebat, ajunt hanc Belgarum pietatem illo præſertim rerum articulo ſummopere commendaſſe: Piumque, cui perquam grata res accidit, ad augendam Belgarum Religionem, numiſmata illa rite conſecraſſe: atque (ut Gubernatrici reſpondit) iis, qui ſacros ejuſmodi nummos Cœlitum imaginibus notatos pie geſtarent, pro Pontificia poteſtate, noxarum animæ veniam impunitatemque dilargitum eſſe. Inde factum memorant, ut aucta per Belgium rei veneratione: ac Belgarum exemplo ubique terrarum per Orthodoxorum provincias certatim excepto; ſacrorum ex metallo numiſmatum religio per eam, quam retuli occaſionem, aut originem duxerit, aut certe ſuam tunc primum celebritatem derivaverit.*

Arbitratur tamen P. Silos ſupra Sanctum Pium V. Indulgentias numiſmatibus affixas fuiſſe in *Clericorum Regularium Hiſtoria lib.* 10. ubi eximiam Pauli IV. in dandis Indulgentiis moderationem commendans, inquit = *Cœpit ea fidelibus munera moderate admodum diſtribuere, ac ſacris quidem numiſmatis non niſi annorum ſeptem affixam Indulgentiam voluit. Atque hic quod ſacrorum numiſmatum mentionem fecimus, illud obiter notandum: non fuiſſe Pium V. qui ea primum cudi juſſerit, ut ejus vitæ auctor ſcripſit errore quidem lapſus: nam plerique vidiſſe ſe excuſa Pauli IV. tempore iſtiuſmodi numiſmata teſtantur. Quare Paulo antiquior ea fuit religio, aut ipſimet Paulo adſcribenda.*

Quanvis vero Indulgentiarum Realium, de quibus agimus, exordium Sancto Pio V., vel Paulo IV. ſit antiquius; (quod in præſentiarum inquirere nec poſſumus, nec opus eſt) hoc unum pro certo recipiendum ducimus: Summos Pontifices non conſueviſſe numiſmatibus Indulgentias applicare ante ſæculum XVI.: cum non reperiatur hujuſmo-

modi conceſſionis in ſacris antiquioribus hiſtoriis memoria.

Præclarum hujuſmodi Pontificiæ liberalitatis argumentum in actis Sixti V. occurrit ſub finem dicti ſæculi: qui cum pervetuſtos, ac pene collabentes Aulæ Lateranenſis parietes demoliretur, ut novo ampliſſimoque ædificio Salvatoris Baſilicam a Divo Sylveſtro Pontifice conſtructam magnificentius exornaret; plura numiſmata invenit ex auro puriſſimo confecta in unum congeſta, ac ſervata: veterum Imperatorum magnificentia, ac juſſu cuſa: qui ad declarandum pietatis ſtudium erga glorioſiſſimos Apoſtolorum Principes, donariis, ac oblationibus Auguſta pietatis ſignificatione ipſam Lateranenſem Baſilicam cumularunt. His numiſmatibus Sixtus Indulgentias affixit acquirendas nimirum vel a viſitantibus Eccleſias,ubi ea aſſervarentur,vel a geſtantibus eadem ſecum, adjecto onere certa pia opera exercendi: Romanorumque electo Imperatori, Regibus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, aliiſque perſonis genere, & nobilitate conſpicuis illa ipſa diſtribuit.

Quod totum fuſe narratum habes in ſequenti Conſtitutione, quam per extenſum totam ſubjicio = *Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Laudemus viros glorioſos,Chriſtianos præſertim Imperatores, in iis quæ pro Chriſtiana Religione tuenda, & propaganda, pie ac præclare geſſerunt: dum pietatis zelo, virtutis magnitudine, & imperii majeſtate vere Auguſti, ejuſdem religioni,quam omnibus gentibus, omnibuſque nationibus Deus voluit Apoſtolicis vocibus prædicari, cultum totis in Chriſto viſceribus amplexi: uſque adeo ſuis quiſque temporibus de hac Sacroſancta Sede (cui auctore Domino, licet immeriti præſidemus) egregie promereri ſtuduerunt; ut vera,& Orthodoxa fides ex Apoſtolico hoc fonte dimanans, tunc eorum ope, & patrocinio munita, propulſatis hoſtium oppugnationibus, toto terrarum orbe diffuſa floreret, omniſque lingua confiteretur: quoniam Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Eorum ſane ipſorum, quos conſtituit Dominus propugnatores, & defenſores Eccleſiæ ſuæ, illuſtria pie, recteque factorum exempla ad omnem gloriam inſignia, imitationiſque ſtudio digniſſima, ac merita præclara, cum ſemper pro grati in eos animi teſtatione, & officio commemorare debemus; tum hoc potiſſimum tempore, quo Nobis eorum memoriam renovandi mirifica divinitus oblata eſt occaſio, id impenſius faciendum arbitramur. (§. 1.) Nam cum ab ipſo noſtri Pontificatus initio, ad exornandam novis ædificiis Lateranenſem præcipue Baſilicam, nullis parcentes impenſis, animum adjeciſſemus; effectum eſt, non obſcura divinæ voluntatis ſignificatione, ut demoliendis quibuſdam Aulæ Lateranenſis pervetuſtis, ac pene collabentibus parietibus, complura antiqua diverſis in locis recondita numiſmata ex auro puriſſimo obryzo confecta invenirentur: in quibus ex una parte ſalutiferæ Crucis ſignum, aut imago aliqua eadem Cruce inſignita cernitur: ex altera vero vultus effigieſque expreſſæ ſunt diverſorum veterum, qui ante annos circiter mille floruerunt, Auguſtorum Imperatorum: nimirum Theodoſii Senioris,duorum filiorum ejus Arcadii, & Honorii, necnon Theodoſii Junioris, Valentiniani tertii, Marciani, Leonis, Juſtini, Juſtiniani, Tyberii, Mauritii, Phocæ, & Heraclii: qui etſi longo locorum intervallo disjuncti urbem Romam ne forſaſſe quidem omnes unquam viderint: Magni tamen Conſtantini piiſſimi Imperatoris exemplo, & munificentia excitati, ad declarandum pietatis ſuæ ſtudium erga glorioſos Apoſtolorum Principes, & fortiſſimos Chriſti Martyres, quorum innumerabilis multitudo in hac Sancta Civitate requieſcit, & quorum præſenti, ope, & auxilio domi, foriſque votis ſuſceptis ſæpenumero Rempublicam fortiter, & feliciter adminiſtraverant, & clariſſimas de hoſtibus victorias reportaverant; hujus Almæ Urbis Sacras Baſilicas, atque hanc inprimis Sacroſanctam Lateranenſem, donariis, & oblationibus quam plurimis, Auguſtali pietate, & magnificentia dignis, cumularunt: diverſiſque aut novorum ædificiorum extructionibus, aut veterum inſtaurationibus pro temporum varietate ornarunt. Quod cum olim multa*

ta antiquitatis monumenta, tum vel hæc ipſa nuper reperta aurea tot inclytorum Imperatorum numiſmata teſtantur, religioſo plane conſilio, & occulto quodam Dei inſtinctu in his ædificiis repoſita: ut poſt multa ſæcula, aliquando tandem patefacta, in lucemque prolata; eorundem Imperatorum ſingularem Religionem, & perpetuam erga Sanctam Romanam Eccleſiam devotionem inſigni apud poſteros teſtimonio comprobarent. Qua in re divinam providentiam agnoſcimus, ſuſpicimus, atque admiramur, quod calamitoſo hoc tempore, cum tam multi Crucis Chriſti Domini hoſtes Catholicæ fidei veritatem impiiſſime oppugnant; prædictorum Imperatorum effigies in ipſa Lateranenſi Baſilica, ubi primus idem Magnus Conſtantinus Auguſtus, ſacri Baptiſmi lavacro emundatus eſt, ſimul reperiri voluerit: quæ ſummam eorum erga invictiſſimam Crucem pietatem, & eximiam religionem aperte palamque profiterentur. (§.2.) *Theodoſii igitur ſenioris Imperatoris religioſiſſimi memoria in benedictione ſit: qui ſe Nicænæ fidei defenſorem acerrimum præſtitit: qui lege edita, eam ſe tantum fidem ſequi, quam a Beatiſſimo Apoſtolo Petro Romanis traditam Damaſus Pontifex docebat, apud cunctos populos publice teſtificatus eſt: qui in Eccleſiæ cultu, ac veneratione diſciplinam imitatione dignam, non ſolum legibus edictiſque profeſſus eſt; ſed etiam mirifice coluit: qui denique ob gravem Teſſalonicenſem cædem a Sancto Ambroſio Epiſcopo publice correptus, & ab ingreſſu Eccleſiæ repulſus; inſigni Chriſtianæ humilitatis exemplo reverenter abſtinuit, & impoſitam ab eodem Ambroſio pœnitentiam humiliter ſuſcepit, libentique animo adimplevit: quo obedientiæ, & pœnitentiæ exemplo is qui clauſtra Imperii Chriſti Domini ſic validis præſidiis ante munierat, non ſolum Reipublicæ hoſtes ſubmovit; verum etiam Chriſtiani nominis gloriam felicit eradauxit.* (§ 3.) *Sed & duorum filiorum ejus Arcadii, & Honorii nomen cum benedictione meminiſſe libet: qui pietatis, ac diſciplinæ præceptis, inſtitutiſque a S. Arſenio R. E. Diacono inſtructi, ut Chriſtianam religionem propagarent, ubique terrarum ſimulacra Idolorum confringi, eorumque templa dirui, legibus ſanxerunt: Catholicæ porro fidei integritatem conſtantiſſime retinentes, hæreticos omnes Imperii viribus coercuerunt: quod communes ab eis promulgatæ leges adhuc oſtendunt. Illud autem proprium Honorii Occidentale Imperium regentis: quod Baſilicam S. Pauli a Valentiniano juniore amplificari cœptam omnibus partibus abſolvi, atque exornari curavit: quod B. Auguſtino firmiſſimæ Eccleſiæ columnæ in comprimendis, & propulſandis Africanis hæreticis magno adjumento fuit. Id quoque laudi potiſſimum Arcadio tribuitur, quod cum ejus militibus contra Perſas bene pugnantibus, Cruces aereæ in veſtibus apparuiſſent, ut victoriæ divinitus partæ monumentum ubique extaret; is auream monetam cum eodem Crucis ſigno fieri voluit.* (§.4.) *Atque Theodoſio quidem juniore Arcadii filio in Oriente, & Valentiniano tertio eorundem Arcadii, & Honorii ſororis filio in Occidente Imperii gubernacula tenentibus; Sancta tertia univerſalis Epheſina Synodus contra impium Neſtorium, ex Beatiſſimi Cœleſtini Romani Pontificis auctoritate indicta, & celebrata eſt: quo tempore amborum Imperatorum pietas in fovenda tuendaque eadem Synodo, & Eccleſiæ pace per Sanctorum Patrum definitionem procuranda, magnopere elaxit. Valentinianus autem beatæ memoriæ Sixti Tertii Pontificis hortatu, ipſius Baſilicæ Lateranenſis faſtigium argenteum a barbaris ereptum, magna in id opus erogata pecunia, refecit: ac S. Leonis Papæ cultor eximius, uberrimum ſuæ pietatis fructum tulit: cum ejus etiam precibus idem Beatiſſimus Pontifex immaniſſimum Attilam, flagellum Dei vocatum, divina ſua eloquentia, atque auctoritate placavit, ac dedeterruit: horribilemque tempeſtatem jam imminentem ab ipſa Roma, atque a tota Italia avertit.* (§. 5.) *Marcianus vero ſimul atque ad imperium evectus eſt, ad eundem Sanctiſſi-*

mum Pontificem Leonem literas dedit pietatis, & erga Apoſtolicam Sedem obſervantiæ plenas. Quare Apoſtolica auctoritate, & Catholici Imperatoris adjumento magnum illud ſexcentorum triginta Epiſcoporum Chalcedonenſe Concilium adverſus Eutychen, & Dioſcorum coactum eſt: in quo Marcianus ipſe inſigni elogio novus Conſtantinus eſt appellatus. (§.6.) At Leo Cæſar Dei ſpiritu, & crebris S. Leonis Papæ epiſtolis roboratus, nullis ſe hæreticorum machinis paſſus eſt a Catholicæ fidei conſtantia, & Chalcedonenſis Synodi propugnatione dimoveri. (§.7.) Nec vero prætereundus Nobis eſt vere pius, & Catholicus Imperator ſenior Juſtinus, qui Sanctum Germanum Capuanum Epiſcopum Sanctiſſimi Hormiſdæ Papæ Legatum, tanquam Angelum Domini ſummo cum honore excepit: cujus Imperatoris pietas hoc quoque promeruit, ut Beatum Joannem Summum Pontificem Conſtantinopolim ad ſe venientem videret, admirabili Sanctitate virum, & poſtea Martyrii gloria illuſtrem: ad cujus ille pedes, Chriſtum in eo agnoſcens, procubuit (Deo clariſſimum illum congreſſum inſigni miraculo comprobante) cum in ipſo aditu portæ aureæ cæco ſupplicanti ab eodem Summo Pontifice lumen eſt reſtitutum. (§. 8.) Magnis etiam laudibus efferendus eſt Juſtinianus ille, qui tot rebus fortiter, ſapienterque geſtis. Magnus merito eſt appellatus: ſed profecto ſui ipſius victoria, & erga Apoſtolicam Sedem obedientia multo major: nam cum zelo Catholicæ Religionis, confeſſionem veræ, ac Orthodoxæ fidei, quæ in Sancta Dei Eccleſia prædicatur, & ſimul hæreſum damnationem, de Catholicorum Epiſcoporum conſenſu, propoſito edicto, feciſſet omnibus manifeſtam: ac deinde per ſuas literas, & legatos reddens Apoſtolicæ Sedi, & Sancto Joanni Bapæ Secundo debitum honorem, & reverentiam, pro ſingulari ſtudio quod gerebat de unitate omnium, præſertim Orientalis tractus Eccleſiarum, illarumque Sacerdotum, cum ipſo, ac ejus Sede, tanquam earum capite, ſervanda atque cuſtodienda, etiam ſuæ fidei confeſſionem, ac illud ipſum edictum tranſmiſiſſet, humiliterque poſtulaſſet, ſuis illa literis, & Apoſtolicæ Sedis judicio comprobari, atque ipſis quoque diebus Beato Petro Principi Apoſtolorum pretioſa munera obtuliſſet; idem Sanctus Pontifex & dignis cum laudum præconiis extulis, & quæ in ipſo edicto continebantur, veluti Apoſtolicæ doctrinæ conſentanea, ſuo judicio, atque auctoritate confirmavit. Cumque poſtmodum ipſe Juſtinianus Imperator a Theodora conjuge depravatus, a Beato Agapito Pontifice vehementius contenderet, ut Anthymum hæreticum Patriarcham ad communionem admitteret, ejuſque electionem confirmaret, eoque conſtantiſsime recuſante minas precibus admiſceret; Sanctus Pontifex zelo fidei incenſus exclamavit: Ego ad Juſtinianum Imperatorem Chriſtianiſsimum venire deſideravi, ſed Diocletianum inveni: qua invicti animi conſtantia permotus Imperator, ac tandem erroris caligine deterſa, ad veritatis lucem emergens, ſe ipſum totum ad parentis in Chriſto optimi voluntatem conformavit, hominemque hæreticum loco dejici, & Catholicum Epiſcopum Mennam ab eodem Sancto Pontifice conſecrari, non ſolum patienter, ſed etiam libenter tulit: præclaro Chriſtianis Principibus exemplo relicto, ut paternas Chriſti Vicarii admonitiones, & objurgationes, æquiſsimo animo ferrent, memores verbi Domini: Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit. (§.9.) Jam vero Tyberii Conſtantini nomen cum laude commemorandum eſt, quem Urbis Romæ conſervatorem appellare licet, quod eam a Longobardis graviſſima obſidione oppreſſam, magnaque rei frumentariæ anguſtia laborantem, larga frumenti copia ex Egypto tranſmiſſa, a famis ſimul, & obſidionis calamitate, paternis ſanctæ memoriæ Benedicti Primi Summi Pontificis cohortationibus liberavit. Hic cum S. Gregorium Magnum adhuc Diaconum diſputantem audiſſet, Eutychii Patriarchæ veram tractabilemque corporum reſurectionem negantis, librum ſtatim comburendum in ignem injecit. Idem S. Crucis ſignum ita coluit, ut aliquando, cum humi eam in lapide ſculptum vi-

diſſet

diſſet, ſtatim tolli, & decenti loco collocari juſſerit, ut jam minus mirandum ſit, quod magnus Crucis cultor, Crucis imaginem in aureis nummis, eleganter, ut videmus, curaverit exprimendam. (§10.) Commemorandus eſt etiam jure optimo Mauritius vir fortiſſimus, cujus filium idem Gregorius, cum adhuc Diaconus Conſtantinopoli Apoſtolicum Legatum ageret, ex Sacro Baptiſmi fonte levavit: poſtea vero Pontifex factus eidem Mauritio locupletiſſimum pietatis teſtimonium præbet, dum illum in ſuis Epiſtolis, hominem multarum lacrymarum, orationum, jejuniorum, & eleemoſynarum fuiſſe commemorat; certe de Apoſtolica Sede, & univerſa Italia egregie eſt meritus, quod exercitu comparato, Ducibus in Italiam miſſis Francorum auxiliis advocatis, omni denique diligentia adhibita, Longobardorum furorem non mediocriter repreſſerit. (§. 11.) Non minori dignus eſt præconio Phocas Imperator, qui cum de more conaretur ſe Catholicæ Religionis defenſorem perpetuum futurum, Sanctiſſimo jurejurando obſtrinxit, & ſummam ab ipſo Chriſto Domino Romanæ Eccleſiæ traditam auctoritatem, & poteſtatem præclare intelligens, publice edixit: ut eandem Sanctam Romanam Eccleſiam, tanquam omnium Eccleſiarum primam, atque caput omnes agnoſcerent, & profiterentur. (§.12.) Hunc autem clariſſimum cœtum merito claudit Heraclius Auguſtus, noviſſimus eorum, quos ſupra enumeravimus, qui Sacroſanctam Crucem illam ipſam, in qua vitæ auctor pependerat, & mortem moriendo ſuperaverat: decimo quarto anno poſtquam venerat in poteſtatem Perſarum, feliciſſime recepit, eamque ſuis humeris, abjecto Imperatorio amictu, calceiſque detractis in ipſum Calvariæ Montem, in Paſſionis Chriſti memoriam, magna cum humilitate reportavit. (§. 13.) Nos igitur aliquam auguſtiſsimæ eorundem Imperatorum memoriæ gratiam non immerito referre cupientes, cariſsimis in Chriſto filiis Noſtris Romanorum Imperatori electo, ac Regibus, & dilectis filiis nobilibus viris Principibus, quos in viſceribus Chriſti gerimus, quædam ex ſupradictis aureis numiſmatibus, ſingulare paterni Noſtri amoris erga ipſos pignus miſimus, ut ad ſimilem virtutis, & Religionis laudem excitentur, & ſe Eccleſiæ Romanæ filios, Catholicorum Principum Succeſſores, & Crucis Chriſti defenſores eſſe crebrius reminiſcantur; veteres in hoc quidem Sanctos Pontifices prædeceſſores Noſtros, præſertim eundem Beatum Gregorium Papam imitati, qui Regibus, & Principibus, ac primariis viris, aureas Cruces & claves parvulas, quæ Claves B. Petri dicebantur, mittere conſueverant, quæque collo appenſæ, & religioſe geſtatæ miraculis coruſcabant: quædam vero alia ex eiſdem numiſmatibus dedimus venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E Cardinalibus, reliqua vero eodem modo piis & præſtantibus viris jam diſtribuimus. (§. 14.) Ut autem ab omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, quibus a Nobis tradita jam ſunt, devotius, ac religioſius, & cum ſpirituali animarum fructu geſtentur; decrevimus ad Sanctiſſimæ Crucis honorem, & glorioſam memoriam Imperatorum, eadem numiſmata præcipuis gratiis, & Indulgentiis ampliſſimis, ex Noſtra Apoſtolica benignitate inſignire. (§. 15.) Quamobrem de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, univerſis, & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, quodcunque ex his numiſmatibus penes ſe geſtantibus, quoties eorum aliquis ante ſalutiferæ Crucis ſignum, aut Sacram aliquam imaginem pertranſiens, aperto capite venerationem tribuerit, aut genuflexerit, Orationem Dominicam, vel Salutationem Angelicam pronunciando; toties ei centum annos, & totidem quadragenas. Singulis; autem diebus, ſi ter Orationem Dominicam, Salutationemque Angelicam, aut ſemel pſalmum Miſerere mei Deus, ſeu De profundis clamavi, devote recitaverit; annos ducentos, & totidem quadragenas. Item quoties ad Deum mentem elevaverit, illiuſque divinam opem imploraverit; etiam ducentos annos, & totidem quadragenas. Si vero quocunque Dominico, aut Feſto die Coronam Beatiſſimæ ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ, etiam pia devotione recita-

Digitized by Google

citaverit; annos trecentos, & totidem quadragenas. Ac ſi conſcientiam ſuam mane, aut veſpere, cum emendationis propoſito examinaverit, ac de male anteacta vita veniam ſupplex a Deo miſericordiarum Patre poſtulaverit; ſimiliter trecentos annos, & totidem quadragenas de ſibi injunctis, vel alias quomodolibet per eum debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Atque ut eoſdem fideles ad pietatis opera exercenda eo etiam magis invitemus, eorum cuilibet, quoties pro hæreticorum reductione, infidelium converſione, Chriſtianæ atque Orthodoxæ fidei propagatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ tranquillitate, & exaltatione, ac inter Principes Chriſtianos pace, & concordia, Deum precando, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam quinquies devote dixerit; eaſdem illas Indulgentias, ac peccatorum remiſſiones, quæ unam e ſeptem præcipuis Urbis Baſilicis viſitantibus conceſſæ ſunt, concedimus & impartimur. Quod ſi quis peccatorem a via perditionis, veluti ab hæreſi, blaſphemia, aliiſve ejuſmodi ſceleribus, & peccatis ad viam ſalutis converterit, aut ſi certe in eo laboraverit, aut ſi inter diſcordantes pacem conciliaverit, aut quantum in ſe eſt procuraverit, concedimus, ut ſanctorum Sacrificiorum, jejuniorum, orationum, ac quorunvis aliorum piorum operum, quæ in omnibus Ordinibus, & Congregationibus Regularibus S. Catholicæ Eccleſiæ fiunt, non ſecus ac ſi uniuſcujuſque earum proprium membrum foret, eo ipſo particeps efficiatur. Præterea unicuique vere pœnitenti, qui peccata ſua alicui ex Sacerdotibus idoneis, & ad id approbatis confeſſus fuerit, & ſacram ſumſerit Euchariſtiam, aut Miſſam ſi Sacerdos fuerit celebraverit, quoties id fecerit; toties Plenariam. Aut ſi in mortis articulo conſtitutus, numiſma collo appenſum, aut quovis modo ſecum habuerit, pronunciato nomine Jeſu, corde ſaltem, ſi ore nequiverit; etiam Plenariam. Atque itidem militibus, aut aliis, qui aliquod hujuſmodi numiſma ſecum habentes contra infideles, vel hæreticos, aut alios S.R.E. hoſtes pugnaverint, præſertimque ſi ibi eos mori contigerit, Jeſu uomine ut ſupra invocato; pariter Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem auctoritate prædicta, tenore præſentium, etiam miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Utque defectus, & negligentiæ, animique diſtractiones, quæ ex humana fragilitate in divini Officii recitatione, Miſſarumque celebratione, vel auditione Sacerdotibus, aut Clericis, vel Laicis contingere ſolent, aut horum etiam ob juſtum impedimenentum prætermiſſi ex devota hujus numiſmatis geſtatione, Corona tamen B. Virginis Mariæ pie recitata, aut ſaltem pronunciato pſalmo Miſerere mei Deus, ſuppleri, & compenſari poſſint, eadem auctoritate concedimus, & indulgemus. (§. 16.) Quicunque autem aliquod hujuſmodi numiſma habuerit, ipſum pro ſuo arbitrio in teſtamento, aut alia ultima voluntate, cui voluerit Eccleſiæ, nec vero cuiquam alii, abſque ſpeciali Noſtro, aut Noſtrorum Succeſſorum conceſſione relinquere, aut donare poſſit. (§. 17.) Quam quidem Eccleſiam, in qua fuerit dictum numiſma repoſitum, feſtis diebus Inventionis, & Exaltationis Sanctæ Crucis, univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus vere pœnitentibus, & peccata ſua confeſſis, devote viſitantibus; ſimiliter Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem damus, concedimus, & elargimur. (§. 18.) Quod ſi quis numiſma habens ab inteſtato deceſſerit; volumus, ut illud ad propinquiorem ejus domicilio Eccleſiam cum eiſdem gratiis, facultatibus, & Indulgentiis pertineat. (§. 19.) Cuicunque nihilominus in articulo mortis conſtituto de conſilio ejus Confeſſarii ipſum numiſma liceat commodare: qui itidem omnes ſupradictas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones valeat obtinere. (§. 20.) Poſtremo ut animabus quoque Chriſtifidelium in Purgatorio exiſtentibus, quæ per charitatem Domino Noſtro Jeſu Chriſto unitæ ex hac vita migraverint, quæque antequam decederent, aliorum Chriſtifidelium ſuffragiis juvari meruerint, de cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, quorum diſpenſatores a Domino ad animarum ſalutem conſtituti

ſa-

ſumus, paterne ſubveniamus; divina miſeratione confiſi, concedimus, ut quoties quilibet aliquod ex hujuſmodi numiſmatibus ſecum habens, pro dictarum animarum ſalute, præmiſſa, eorumve aliqua adimpleverit: vel quicunque alius Eccleſias, in quibus eadem numiſmata reponi contigerit, dictis feſtis diebus Inventionis, & Exaltationis S. Crucis viſitaverit; ipſæ animæ, pro quibus id fecerit, efficaciſſimis Jeſu Chriſti Domini Noſtri meritis, ac ejuſdem Beatæ Mariæ ſemper Virginis, Sanctorum Angelorum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, omniumque Sanctorum, & Sanctarum precibus, & inter ceſſionibus ſuffragantibus, eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequantur. (§. 21.) *Præſentes vero literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium Indulgentiarum, & gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, abrogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus per Nos, vel Succeſſores Noſtros Romanos Pontifices, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac in favorem Cruciatæ Sanctæ, vel alias quomodolibet faciendis minime comprehendi: ſed quoties illæ emanabunt, toties eaſdem præſentes ab illis exceptas, & niſi de eis expreſſa, & individua mentio fiat, adverſus illas in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, ac de novo conceſſas eſſe, & cenſeri, & perpetuo validas & efficaces fore: ac ſupradictis perſonis, & Eccleſiis, perpetuis futuris temporibus ſuffragari debere decernimus, & declaramus.* (§. 22.) *Non obſtantibus Noſtra de non concedendis Indulgentiis adinſtar, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.* (§. 23.) *Volumus autem, ut præſentium literarum exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignatis, eadem prorſus fides ubique gentium, & locorum adhibeatur, quæ ipſis Originalibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, Cal. Decemb. Pontific. Noſtri anno tertio.*

Non minori Sixti V. liberalitate tum ad fovendum pietatis ſtudium, erga Deum & Sanctos, tum ad conciliandum obſequium erga Sedem Apoſtolicam; ſolent Summi Pontifices Regalibus, vel nobiliſſimæ ſtirpis perſonis Coronas, vel Crucifixi imagines ex auro, vel argento, vel ex lapide pretioſo confectas dono mittere: imo etiam non raro conſueverunt res haſce non dono miſſas præclaris Indulgentiarum muneribus decorare: datis ad eaſdem literis juxta cujuslibet dignitatem, quarum duo exemplaria ad plenam hujus rei notitiam afferre non inutile exiſtimamus. Primum exemplar habes in literis Clementis XI. ad Eliſabetham Hiſpaniarum Reginam. = *Chariſſimæ in Chriſto filiæ Noſtræ Eliſabethæ Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ Clemens Papa XI. Chariſſima in Chriſto filia Noſtra ſalutem &c. Dum Regias virtutes, aliaſque præclaras animi dotes, cum ſingulari erga Nos, & hanc Sanctam Sedem devotione conjunctas, quibus bonorum omnium largitor Majeſtatem tuam multipliciter inſignivit, paterno affectu conſideramus: tanto perfundimur animi gaudio, tamque vehementer urgetur ſincera noſtra in Te charitas; ut eam ſpiritualium donorum, quibus Tua pietas, animæque ſalus majora in dies ſuſcipere valeant incrementa, largitione Tibi teſtatam eſſe velimus. Cum itaque ſicut pro parte Tua Nobis nuper expoſitum fuit; Tu argenteam Chriſti Crucifixi effigiem, pro tua devotione penes te retinere intendas; idcirco Nos Tuæ ſpirituali conſolationi, animæque ſaluti uberrime conſultum eſſe cupientes; Tibi, ut quandiu effigiem prædictam penes Te habueris, quotieſcunque officium divinum ordinarium, aut Beatiſſimæ Virginis Mariæ, vel defunctorum, aut ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales, vel Coronam Domini, aut ejuſdem B. Mariæ Virginis, vel tertiam partem Roſarii recitaveris, aut infirmos alicujus Hoſpitalis viſitaveris, vel pauperibus Chriſti ſubveneris; quoties ſcilicet aliquod præſtiteris ex operibus hujuſmodi: ac vere pœnitens, & confeſſa Sacerdoti ab Ordinario approbato, in aliquo ex Dominicis, aut feſtis diebus de præcepto Sacram Communionem ſumſeris: piaſque*

ad

ad Deum preces fuderis pro hæreſum, & ſchiſmatum extirpatione, pro fidei Catholicæ propagatione, Chriſtianorum Principum concordia, aliiſque S. Matris Eccleſiæ neceſſitatibus; ſemel in hebdomada Plenariam omnium peccatorum tuorum Indulgentiam conſequaris. Præterea, ut quando feria ſexta cujuſvis hebdomadæ in honorem Sacratiſſimæ Paſſionis Dominicæ jejunaveris, ac ipſa die, vel Dominica immediate ſequenti confeſſa, ac Sacra Communione refecta, ut ſupra oraveris; toties Plenariam itidem Indulgentiam conſequaris. Quoties vero cum dolore de peccatis, & propoſito emendationis conſcientiam tuam examinaveris; toties Indulgentiam decem annorum, & totidem quadragenarum conſequaris. Quod ſi per integrum menſem, ut minimum ſemel in die id egeris, eoque menſe abſoluto, peracta confeſſione Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumſeris; Plenariam pariter Indulgentiam conſequaris. Quoties autem ter Pater noſter, & ter Ave Maria in honorem Sanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis, aut quinquies in honorem quinque plagarum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cum propoſito Te ab aliquo peccato emendandi dixeris, aut Miſſæ etiam privatæ in ferialibus diebus interfueris, aut aliquod ex operibus ſupra in primo Capite præſcriptis præſtiteris; toties Indulgentiam decem annorum, & totidem quadragenarum. In mortis quoque articulo, ſi vere pænitens, ac ſi potueris, ut ſupra confeſſa, Sacraque Communione refecta, alioquin ſaltem contrita nomen Jeſu ore ſi potueris: ſin minus corde devote invocaveris, Plenariam pariter Indulgentiam conſequaris. Denique ut omnes Indulgentias ſupradictas, per modum ſuffragii fidelibus defunctis applicare poſſis, concedimus. In contrarium &c. non obſtantib. &c. Dat. Romæ 2. Aug. MDCCXX. Pontificatus Noſtri anno vigeſimo.=Alterum damus exemplar parum a ſupra relato diſſimile. Sunt autem literæ Benedicti XIII. ad Violantem Beatricem Etruriæ Principiſſam.= *Dilectæ in Chriſto filiæ Nobili Mulieri Violanti Beatrici Etruriæ Principiſſæ Viduæ Benedictus Papa XIII. Dilecta in Chriſto filia Nobilis Mulier ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Eximia pietas in Deum, ac ſingularis erga Nos, & hanc Sanctam Sedem devotio, aliaque multiplicia virtutum decora, quibus nobilitas tua magnopere effulget; promerentur, ut tuæ ſpirituali conſolationi, atque animæ ſaluti pro præcipuo, quo te in Domino complectimur, paternæ charitatis affectu libentiſſime conſulamus. Cum itaque tibi Coronam Beatæ Mariæ Virginis ex lapide cyaneo, cum appenſo numiſmate aureo, cui ab una parte Sanctiſſimi Salvatoris, ab altera vero B. Mariæ Virginis Imagines impreſſæ ſunt, donaverimus; idcirco, quo tua pietas, & animæ ſalus majora in dies ſuſcipiat incrementa; Te ſpiritualium gratiarum, quarum diſpenſatores a Domino conſtituti ſumus, elargitione proſequi volentes: Tibi quandiu Coronam præſcriptam penes te habueris; ut ſi, & quando divinum officium ordinarium, vel ejuſdem B. Mariæ Virginis, aut defunctorum, vel ſeptem Pſalmos Pænitentiales, aut Graduales, vel Coronam Domini, aut ipſius B. M. Virginis, ſeu tertiam partem Roſarii recitaveris, aut doctrinam Chriſtianam docueris, vel infirmos alicujus Hoſpitalis, ſeu detentos in carcere viſitaveris, aut pauperibus Chriſti ſubveneris: & vere pænitens, & confeſſa Sacerdoti ab Ordinario approbato in aliquo ex Dominicis, & feſtis diebus de præcepto Sacram Communionem ſumſeris: piaſque ad Deum preces fuderis pro hæreſum, & ſchiſmatum extirpatione, pro Catholicæ fidei propagatione, Chriſtianorum Principum concordia, aliiſque S. Matris Eccleſiæ neceſſitatibus, ſemel in hebdomada Plenariam omnium peccatorum tuorum Indulgentiam conſequaris. Quoties vero feria ſexta cujuſlibet hebdomadæ, in honorem Sacratiſſimæ Paſſionis Dominicæ jejunaveris: & ipſa die, vel Dominica immediate ſequenti confeſſa, ac Sacra Communione refecta, ut ſupra oraveris; toties Plenariam Indulgentiam conſequaris. Item quoties cum dolore de peccatis, & propoſito emendationis conſcientiam tuam examinaveris; toties conſequaris Indulgentiam decem annorum. Quod ſi per integrum menſem,*

at

ut minimum ſemel in die id egeris: eoque menſe abſoluto, peracta Confeſſione Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſeris; Plenariam ſimiliter Indulgentiam conſequaris. Quoties autem dixeris ter Pater noſter, & ter Ave Maria in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, aut quinquies in honorem quinque plagarum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cum propoſito aliquod peccatum corrigendi: vel Miſſæ etiam privatæ diebus ferialibus interfueris, aut aliquod præſtiteris ex operibus ſupra in primo Capite expreſſis; toties conſequaris Indulgentiam decem annorum, & totidem quadragenarum. In mortis quoque articulo ſi vere pœnitens, ac ſi potueris, ut ſupra confeſſa, Sacraque Communione refecta, alioquin ſaltem contrita: nomen Jeſu ore, ſi potueris; ſin minus corde devote invocaveris; Plenariam pariter Indulgentiam conſequaris. Denique, ut omnes Indulgentias ſupradictas fidelibus defunctis, per modum ſuffragii applicare poſſis concedimus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c.... Maii MDCCXXV.

§. II.

Quando nam Calculi, & Coronæ pro Orationibus recitandis adhiberi cœperint? & de Indulgentiis pro eiſdem Calculis, & Coronis conceſſis.

VEterum Monachorum preces interdiu noctuque præfixo ſibi earum numero repetentium mos fuit calculos aliquot, & globulos adhibere, ne memoria in ſupputatione deficeret. Quod quidem a pluribus Sriptoribus traditum accepimus: ac ſignanter a Palladio in *Hiſtor. Herib. Roſvveidi de Vitis Patr. lib. 8. cap. 23.*, qui modum orandi Abbatis Pauli deſcribens inquit = *Hic habebat trecentas preces expreſſas, & præſtitutas: totidem habens in ſinu calculos, & in unaquaque oratione jacens unum calculum.* = Ex quo ad alios Chriſtifideles derivatam novimus conſuetudinem adhibendi in quibuſdam precationibus calculos, & globulos ſimul junctos. Quinimo ſcimus ipſos etiam Turcas eiſdem uti, centies Dei nomina, quæ apud ipſos excellentiora, & ſacratiora ſunt, veneraturos: exiſtimantes tali orandi genere Cœli januas ſibi aperiri. Non abſimile eſt, quod ab Horatio Torſellino refertur in *vit. S. Franc. Xaver. lib. 3. cap. 7. de precator. Coronis Japon.* Notat Spalmannus apud Mabillonium, & Cangium de ſignis ad opem memoriæ ferendam adinventis pro Orationum Dominicarum ad certum numerum recitatione, præclaram haberi mentionem in Synodo Cœlychitenſi ineunte Sæculo IX. coacta in Anglia, *can.* 9., in qua de Epiſcoporum exequiis ita ſtatuitur = *Ut ſinguli ſervorum Dei diem jejunent, & triginta diebus canonicis expleta Synaxi ... ſeptem Beltidum Pater noſter pro eo cantetur.*

Prædictus calculorum, vel ſimilium uſus in precum recitatione adinventus facem prætulit Coronis Domini, & B.V.M.: quæ ſunt quædam precandi formulæ compactæ ex Orationibus Dominicis, & Salutationibus Angelicis diverſimode inter ſeſe ordinatis ſecundum decadum ſeriem digeſtæ: inter quas potiſſimum recenſendum eſt Roſarium, quo quindecim Angelicarum Salutationum decades Oratione Dominica interjecta diſtinguimus, & ad decadum ſingulas, totidem noſtræ Reparationis myſteria pia meditatione recolimus: quodque uti a Divo Dominico præclariſſimi Ordinis Prædicatorum auctore initio Sæculi XIII. divinitus inſtitutum, & promulgatum Summi Pontifices in ſuis Diplomatibus commendarunt. Nec immerito ea precandi ratio nomine Roſarii donata fuit: quia ſcilicet ſertum quoddam exhibet, veluti variis roſeis floſculis eleganter contextum.

Non deſunt Scriptores, qui Roſarii inſtitutionem D. Dominico Ordinis Prædicatorum Patriarcha antiquiorem fuiſſe perperam arbitrantur: quorum falſam opinionem invicte refellit Emus Lambertinus in ſuo opere *de Serv. Dei Beatif.*, *& Beat. Canoniz. t. 4. p. 2. c. 10. n. 11.* de Roſarii origine differens: relatis iis, quæ luculenter, & erudite adduxerat in ſua Diſ-

Diſſertatione typis edita, cum anno MDCCXXV. in Sacrorum Rituum Congregatione de conceſſione Lectionum propriarum ſecundi Nocturni Officii Sanctiſſimi Roſarii Beatiſſimæ Virginis Mariæ pro univerſa Eccleſia pertractaretur. = *Nonnulli*, inquit, *Roſarium coævum faciunt Eccleſiæ: nonnulli ejus inſtitutionem referunt ad Apoſtolos, & ſignanter ad Sanctum Bartholomæum: quemadmodum videri poteſt apud Beatum Alanum de Rupe in ſuo Opere de Pſalterio Chriſti, ac Mariæ pag. 8. olim confecto a Joanne Andrea Coppeſtein, a mendis autem expurgato a Dominico Riera. Aliqui animadvertentes deſumi ex Sozomeno lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. cap. 29., & ex Palladio in Hiſtoria Lanſiaca cap. 23., quod antiquiſſimi Eremi Patres preces uſurpabant per calculos numeratas: & quod ejuſdem piæ conſuetudinis, per ſubſequentia ſæcula continuatæ monumenta extant Sæculi duodecimi: Guillelmi videlicet Malmesburienſis Monachi, & alia apud Surium in hiſtoriis Sanctorum tom. 2. ad diem 7. Aprilis, & apud Vincentium Bellovacenſem in ſpeculo hiſtoriarum lib. 30 cap. 24.; primordia Roſarii antiquiſſimis Eremi Patribus attribuunt. Alii demum ſunt, qui authorem Roſarii faciunt Sanctum Benedictum, alii Venerabilem Bedam, alii Petrum Eremitam civem Ambianenſem: & alii denique Venerabilem Fratrem Alanum de Rupe Ordinis Prædicatorum. At cum Roſarium componatur ex centum, & quinquaginta Salutationibus Angelicis ad numerum Davidici Pſalterii repetitis, & Oratione Dominica ad quamlibet decimam Salutationem Angelicam cum certis meditationibus totam Domini Noſtri Jeſu Chriſti vitam demonſtrantibus interpoſita; unuſquiſque bene dignoſcere poterit nullam ex allegatis ſententiis, ſive opinionibus eſſe recipiendam. Prætermiſſis etenim illis, quæ mole ſua ruunt, documenta Sozemeni, & Paladii, & alia quæcunque temporum ſubſequentium, uſum quidem probant orationum repetitarum, & etiam per calculos numeratarum: ſed Roſarii uti ſupra expoſiti uſum non oſtendunt. Item tempore Sancti Benedicti, & Venerabilis Bedæ Salutatio Angelica, ſeu Oratio, quæ dicitur: Ave Maria: minime in more erat: cum Odo Pariſienſis Epiſcopus anno 1196. inter primos fuerit, qui ſtatutum edidit Salutationem Angelicam addens Orationi Dominicæ, & Symbolo = Exhortentur populum ſæpe Presbyteri ad dicendam Orationem Dominicam, & Credo in Deum, & Salutationem Beatæ Virginis = . Quod efficit, ut inſtitutio Roſarii adſcribi non poſſit Sancto Benedicto, aut Venerabili Bedæ: veluti ingenue admittit Joannes de Mabillon Monachus Benedictinus in ſua Præfatione ad Sæculum quintum num. 125.: & concordant ex Dominicana familia Natalis Alexander in Hiſt. Eccleſiaſtica Sæculi decimitertii, & decimiquarti artic. 5. ſub num. 1., & Graveſon in Hiſtor. Eccleſiaſt. tom. 5. pag. 523. Pariter quod dicitur de Petro Eremita cive Ambianenſi, ſatis apto haud innititur teſtimonio: cum id deſumatur ex Polydoro Virgilio lib. 5. de Inventoribus rerum cap. 9.: ſed alii Hiſtorici contendant inter ſe, quis fuerit ille Petrus: aſſerentibus nonnullis fuiſſe Monachum Benedictinum, aliis autem fuiſſe celebrem Eremitam Sacri Belli tubicinem tempore Urbani II.: quemadmodum legi poteſt apud Theophylum Raynaudum tom. 7. in Diptychis Marianis pag. 231. Labente Sæculo duodecimo Herimannus libellum ſcripſit de reſtauratione Cœnobii Sancti Martini Tornacenſis editum a Dacherio tom. 12. Spicilegii pag. 414., & 415.: in quo narrat ſecundam conſtructionem Leſcienſis in Hannonia Monaſterii factam fuiſſe a Theodorico, & Ada ejus Conjuge: & quendam Eremitam in proxima Silva viſionem habuiſſe de Theodorico ad Dei judicium vocato, eo quia in bello contra Comitem Balduinum, nonnulla combuſſerat Monaſteria. Cumque Herimannus ipſe adhuc narret, Beatiſſimam Virginem pro eo interceſſiſſe fuſis ad eam ab Ada precibus: recitata videlicet Angelica Salutatione ſingulis diebus ſexagies: uſumque hunc pium ad aliorum notitiam delatum Goſceugino Adæ filio adeo placuiſſe, ut non tantum quotidie eaſdem Salutationes repeteret, ſed militibus etiam ſuis eas dicere ſuaderet;*

pro-

probabile admodum idcirco eſt, quod Eremita hic fuerit a Polydoro confuſus cum Petro Eremita, & quod expoſit Adæ devotio in Roſarium fuerit detorta: uti quoque annotavit citatus Mabillon. in Præfatione ad Sæculum quintum n. 117. *Denique Venerabilis Frater Alanus de Rupe* Ordinis Prædicatorum *haberi nequit tanquam inſtitutor, ſed tanquam reſtitutor Roſarii prius inſtituti, deinde intermiſſi: teſte Joanne* Trithemio Ordinis *Divi Benedicti Monacho, & Scriptore eruditiſſimo in opere de Scriptoribus Eccleſiaſticis editionis Baſileenſis anni* 1494. *in verbo Alanus, cui adhæret Navarrus in Miſcellaneis* de Oratione *pag.* 793. *Quod & colligitur ex cap.* 8. *citati operis ipſius Alani de Rupe de Pſalterio Chriſti ac Mariæ: ubi cum totus fuerit in probanda antiquitate Roſarii, caput idem abſolvit ſequentibus verbis: Quibus ex omnibus de plano liquet, quod docere, vel prædicare Pſalterium Virginis Mariæ, minime de ulla novitatis nota juſte ſuſpectum haberi, culparique poteſt. Adeo ritus eſt antiquiſſimus, laudatiſſimus, & honoratiſſimus in Eccleſia: tametſi per incuriam hominum, & temporum injuriam ſubinde torpuit neglectus. Exploſis autem prædictis opinionibus; pia vigebat, necnon viget in Dominicana familia traditio, inſtitutum fuiſſe Roſarium a Sancto Dominico. Licet enim præceſſiſſet precum repetitio, & forte etiam Salutationum Angelicarum; præfinitio tamen numeri centum, & quinquaginta Salutationum Angelicarum, & quindecim* Orationum Dominicarum: *adjuncta quindecim præcipuorum humanæ Redemtionis myſteriorum pia meditatione: ſoli Sancto Dominico, uti authori, adſcribenda videtur: quemadmodum ex Dominicana familia ſuſtinent Malvenda in Annalibus* Ordinis Prædicatorum *ad annum* 1215. *pag.* 132.: *Juſtinus Miechovenſis ſuper Litaniis Beatiſſimæ Virginis tom.2. per totum: Graveſon in Hiſtor. Eccleſ. tom.* 5. *pag.* 523., *& extra familiam Dominicanam Spondanus in Annalibus ad annum* 1213. *num.* 18., *Lezana tom.* 3. *Annalium ad annum* 1086. *Profecto quamvis forte deſint authores contemporanei inſtitutionem Sancto Dominico adſcribentes; magni nihilominus traditio habenda eſt: cum pluribus fulciatur adminiculis & conjecturis. Nam præter argumentum ab enumeratione partium deductum, quod apte concludere videtur pro Roſarii inſtitutione ad Sanctum Dominicum referenda; Leo Papa X. in ſua Conſtitutione, quæ eſt in ordine ſecunda in Appendice tomi tertii Bullarii veteris, refert quod in Hiſtoriis legebatur, Sanctum Dominicum in Civitate Colonienſi Confraternitatem utriuſque ſexus Chriſtifidelium inſtituiſſe nuncupatam de Roſario Beatæ Mariæ Virginis ad honorem Angelicæ Salutationis. Unde ſæpe citatus Mabillonius in præfatione ad Sæculum quintum ex quodam Chronico Sanctæ Agnetis num.* 128. *hæc habet = Inſtitutio itaque Confraternitatis Roſarii anno* 1475. *facta eſt in alma Univerſitate Colonienſi per Doctores Sacræ Paginæ Prædicatorum Ordinis: imo potius renovata eſt: quia per Reverendiſſimum Patrem Dominicum legitur prædicata: licet ad tempus fuerit neglecta, & oblivioni tradita = Poſt obitum quoque Sancti Dominici Sanctiſſimi Roſarii devotio in univerſo Ordine Dominicano propagata eſt: veluti antiqua Hiſtoriarum monumenta produnt erudite collecta tom.*1. *Scriptorum Ordinis Prædicatorum inchoato a Fratre Jacobo Quetif, & abſoluto a Fratre Jacobo Echard pag.* 852.: *atque etiam in Hiſtoria Eccleſiaſtica Placentina Petri Campi in Regeſto Privilegiorum num.* 108. *pag.* 406 *tom.* 2. *proſtat Bulla Alexandri IV. Summi Pontificis expedita anno* 1294., *& idcirco tantum triginta quatuor annis poſt obitum Sancti Dominici: in qua Indulgentiam elargitur Confraternitati Sanctiſſimi Roſarii erectæ in Eccleſia Fratrum Prædicatorum Civitatis Placentinæ. Præter hæc, alia non deficiunt adminicula, quæ adeo ſuadent inſtitutionem Roſarii eſſe ad Sanctum Dominicum, tanquam Authorem, referendam; ut rigidus cenſor Baillet ad diem* 15. *Auguſti* §. 6. *nu.* 33. *ingenue dixerit, injuſtum eſſe refragari inſtitutioni Roſarii a Sancto Dominico factæ. Quibus omnibus ſi addantur Roma-*

manorum Pontificum Bullæ, Leonis videlicet X. de quo ſupra, Sancti Pii V. quæ eſt octuageſima ſexta Bullarii to. 2., Gregorii XIII., quæ eſt undecima in Bullarii tom. 2., Sixti V., quæ eſt vigeſima prima Bullarii tom. 2., Clementis VIII., Alexandri VII., Innocentii XI., & Clementis XI. fateri neceſſe erit dictum Malvendæ in Annalibus Predicatorum ad annum 1215. pag. 132. ubi hæc habet= Romanorum Pontificum apertiſſima atteſtatione exploratiſſimum eſſe conſtat Sanctiſſimum Dominicum Prædicatorum Ordinis Fundatorem, virum Apoſtolicum, ipſiſque Apoſtolis propemodum conſerendum tam admirabilis, ac cœleſtis plane inventi nempe Roſarii, non ſine Spiritus Sancti afflatu extitiſſe excogitatorem, repertorem, authorem, promulgatorem, & clariſſimum ubique terrarum Chriſtiani Orbis præconem= validiſſimo inniti fundamento.

Cum autem ex tam ſalutari Sancti Dominici inſtitutione innumeri pietatis fructus in Chriſtianam Rempublicam derivarent; hoc Beatiſsimæ Virginis Mariæ Roſarium præclaris decoravit Indulgentiis Sedes Apoſtolica: ac ſimiles poſtea ſpirituales ſavores aliis orandi modis per calculos conceſsit, puta recitantibus Coronas, quas vocant Domini, S. Birgittæ, & Septem Dolorum Beatæ Virginis Mariæ: quorum Summaria dabimus infra in *Append. hujus ſecun. par.*

Obſerva tamen non ita facile procedendum eſſe in publice proponendis aliis orandi ritibus per calculos, vel in aliis precibus addendis eiſdem Ritibus antiquis, & approbatis a Sede Apoſtolica. Nedum enim Indulgentiarum conceſsione minime decorarentur; quinimo ſubjecti eſſent Congregationis Sacrorum Rituum prohibitioni: ut duo exempla hic referenda apertiſsime declarant.

Cum Patres Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Toloſæ publice recitandum proponerent novum Roſarium ſub titulo *Seraphici*, exhibitis etiam tabellis repræſentantibus Beatiſsimam Virginem Sanctis Franciſco, & Claræ Roſarium porrigentem; prædicta Sacrorum Rituum Congregatio anno MDCLXIV. ea fieri omnino prohibuit: & prohibitio fuit confirmata ſequenti Conſtitutione Alexandri VII. = *In ſupremo militantis Eccleſiæ Solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam conſtituti, exortas inter Religioſos viros controverſias opportunis rationibus dirimere ſtudemus, ſicut in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. (§. 1.) Itaque dilectum filium Procuratorem Generalem Ord. Prædic. ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes: & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes. (§. 2.) Supplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum conſilio, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus ad favorem dilectorum filiorum Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum Toloſæ commorantium: Non licere dilectis pariter filiis Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum: minuſque Confraternitati, in eorum Eccleſia magni Conventus erectæ ſub titulo Conceptionis Sanctiſſimæ Virginis Immaculatæ, illiuſque Confratribus facere proceſſionem prima Dominica cujuslibet menſis: nec poſſe prædictos Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia novum Roſarium ſub titulo Seraphici, aut novem novendarum, vel alterius rationis inducere, prædicare, & docere: nec in Litaniis Beatæ Virginis aliquid innovare, nec tabellam exponere, in qua Beatiſſima Virgo Dei Mater det Roſarium Sanctis Franciſco, & Claræ: prout etiam præfata omnia fieri prohibemus, & ſervari mandamus. (§. 3.) Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore: ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere: ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabilicer, obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum*

Pa-

Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. (§. 4.) *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.* (§. 5.) *Volumus autem, ut earundem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 28. Maii MDCLXIV. Pontificatus Noſtri anno decimo.*

Inſuper cum aliud novum Roſarium in Eccleſia Patrum Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum in Civitate pariter Toloſana publice recitaretur: edito libello pro methodo in ejus recitatione ſervanda, in quo Oratio Dominica minime dicebatur, & in Oratione *Gloria Patri* addebantur verba = *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto uni Deo infinite magno: ſicut erat in principio &c.* (ut habetur in *libello pag.* 3.) & rurſus *pag.* 19. = *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto uni Deo infinite Beato: ſicut erat in principio* = itemque *pag.* 24. = *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, uni Deo rerum omnium fini ſimpliciter ultimo* =: delata ad Procuratorem Generalem Ordinis Prædicatorum hujus libelli notitia: ſupplices preces porrexit ad Sanctæ Memoriæ Clementem XI. pro novi Roſarii ac libelli prohibitione: remiſſaque inſtantia ad Sacrorum Rituum Congregationem, Proſpero Lambertino, tunc Archiepiſcopi Myrenſis fidei Promotoris Coadjutori, nunc Summo Pontifici (ut ipſemet teſtatur, in opere laudato *de Servor. Dei Beatif., & Beator. Canoniz. lib.* 4. *p.* 2. *cap.* 30. *n.* 25.) fuit demandatum, ut ſuum ſenſum ſcriptis exponeret: qui adducto exemplo alterius Roſarii (cujus ſupra meminimus) addidit = *Novas preces non ita facile eſſe admittendas, & publica authoritate recitandas. Introductam jam eſſe, & a Summis Pontificibus approbatam Roſarii Beatiſſimæ Virginis recitationem, in quo debita laus Sanctiſſimæ Trinitati tribuitur. Denique non eſſe tolerandum, quod in precibus Eccleſiæ fiant ad libitum uniuſcujuſque additiones: cum in Salutatione Angelica fuerint quidem addita hæc verba* = *Nunc & in hora mortis noſtræ* =: *ſed acceſſerit approbatio Sancti Pontificis Pii V.: item in Oratione Salve Regina fuerint addita illa verba* = *O clemens, o pia o dulcis Virgo Maria* =: *ſed a Sancto Bernardo: & alia* = *Dignare me laudare te* = *fuerint a Sancto Ephrem compoſita: teſte Macro in ſuo Vocabulario Eccleſiaſtico in verb. Salutatio Angelica, & in verb. Salve Regina* = Quibus aliiſque rationibus permota Sac. Cong. prohibendum cenſuit, novum illud Roſarium: ejuſq; Reſponſum confirmatum fuit Literis Apoſtolicis Clementis XI., quæ hic ſubnectuntur = *In ſupremo militantis Eccleſiæ Solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam conſtituti, exortas inter Religioſos viros controverſias opportunis rationibus dirimere ſtudemus: ſicut in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Itaque dilectum Filium modernum Procuratorem Generalem Ordinis Prædicatorum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes: & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes: ſupplicationibus ejuſque nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, qui prius dilectum etiam Filium modernum Procuratorem Generalem Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum, & ſucceſſive dilectum pariter Filium Proſperum Lambertinum Aulæ Noſtræ Conſiſtorialis Advocatum, & Venerabilis Fratris Proſperi Archiepiſcopi Myrenſis Promotoris fidei Coadjutorem tam in ſcriptis,*

tis, quam in voce audierunt, conſilio; novum Roſarium, quod dilecti itidem Filii Fratres ſecundo dicti Ordinis in eorum Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis Conventus Toloſani, edito libercculo Gallico idiomate impreſſo, in quo methodus recitationis Roſarii hujuſmodi docetur, in honorem ejuſdem Sanctiſſimæ Trinitatis recitare introduxerunt; authoritate Apoſtolica tenore præſentium prohibemus. Quo vero ad liberculum, ſicut præmittitur, impreſſum; inſtantiam primo dicti Procuratoris Generalis ad Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum, ejuſdem S. R. E. Cardinalium Indici Librorum Prohibitorum, & expurgandorum præpoſitam, remittimus: Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere; & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere: ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die 8. Martii MDCCXII. Pontificatus Noſtri anno duodecimo.

§. III.

Quomodo ad piam cauſam concurrant Numiſmata, Cruces, & Calculi precatorii: ita ut eorum intuitu conceſſiones Indulgentiarum rite fieri poſſint?

Errant turpiter quidam homines imperiti, putantes propter Numiſmata, Cruces, & Calculos fecundum ſe, & præciſe materialiter inſpectos Indulgentiarum favores concedi: cum nequeat Eccleſiæ Theſaurus Pontificia authoritate Chriſtifidelibus ad ſpiritualem utilitatem percipiendam aperiri, ubi non adeſt pia cauſa expreſſe relucens, & ad Indulgentiarum conceſſionem movens. Hinc unanimiter ſentiunt Doctores irritas eſſe omnino peccatorum relaxationes, ſi vel ob nullam, vel vanam cauſam darentur: quales eſſent pro euntibus ad torneamenta, vel pro deambulantibus recreationis gratia. Ne tamen ignota ſit ejuſmodi conceſſionis cauſa; explicandum aggredimur in præſenti: quomodo Cruces, Numiſmata, & Coronæ pietatem foveant: ut harum rerum intuitu rite Indulgentiæ concedi poſſint?

Nonnulli Authores ſuppreſſis nominibus relati a Suario *diſp. 52. ſect. 1. dub. 4.* arbitrantur, quod quemadmodum ex Eccleſiæ inſtitutione plures res ſenſibiles benedicuntur, & conſecrantur tanquam Sacramentalia, in quorum uſu quædam Catholicæ fidei preſſior proteſtatio reperitur: (& talis eſt aqua benedicta, & Cerei Papales) ita hujuſmodi res mobiles de quibus agit hic §. per Indulgentiarum conceſſionem adjectam a Summis Pontificibus, aliquo modo efficiantur veluti Sacramentalia: atque ita pietatem fovere poſſint & religionem. Hic tamen dicendi modus ſingularis eſt, & ad placitum confictus.

Veriſſimum autem eſt ex ſe ipſis fovere pietatem Numiſmata, Cruces, & Coronas &c.: quia etiam prævie ad Indulgentiarum conceſſionem plurimum excitant ad actus Latriæ erga Deum, Hyperduliæ,

ac

æ Duliæ erga B̃mam Virginem Mariam, & Sanctos: quia dum Cruces, & Numiſmata eorum Imagines repræſentant, ad eorum memoriam recolendam magis movemur: magiſque erga Deum, & Sanctos noſtræ devotionis fervor accenditur. Ideoque compertum ſæpiſſime eſt, ante Chriſti Sanctorumque Imagines orationibus fuſis, Deum nobis tum ſpiritualia, tum temporalia beneficia conferre, plurimaque miracula operari. Calculi pariter, & Coronæ ſunt quædam inſtrumenta ex fidelium uſu ad perſolvendum Deo orationis penſum inſtituta: proindeque ea geſtantes, eiſque utentes Catholicam fidem, atque religionem profitentur. Luculentius idem declarat Suarius *loco mox citato n.* 11. his verbis = *Dicendum eſt, ſatis eſſe, quod hujuſmodi grana ex ſe, & ſecluſa Indulgentia ſunt veluti inſtrumenta quædam ad actum honeſtum, & religioſum, qualis eſt orare per illa, qui actus eſt quidam uſus facer talium rerum, etiam ante Indulgentiam: unde etiam ſecum portare hujuſmodi res, eſt virtualis profeſſio fidei. Hoc ergo ſufficit, ut hujuſmodi rebus earumque uſui adjungantur Indulgentiæ. Determinatio autem ad has res potius, quam ad alias, fit ex voluntate Pontificis non ſine cauſa: ſed vel ad limitandam, & determinandam Indulgentiam, ne nimis ampla, & generalis ſit, vel quia hoc ipſo per hujuſmodi res magis excitatur fidelium devotio: nam apprehenduntur tanquam inſtrumenta quædam, per quæ ſpiritualia beneficia conferuntur, & conſequuntur, habenturque tanquam ſpecialia ſigna peculiari modo deputata ad proteſtandam fidem, & actus Religionis exercendum. Unde fit, ut licet talis Indulgentia ſupponat materiam aliquo modo ſacram, & uſum ejus honeſtum, & religioſum; nihilominus tamen per ipſammet Indulgentiam, res ipſa ſpeciali modo ſanctificetur: fiatque magis ſacra, quia deputatur ad ſpecialem effectum ſpiritualem. Ideoque cæteris paribus oratio in tali loco, vel coram tali imagine, vel per talia grana eſt melior, & acceptior Deo, quia habet quandam circumſtantiam voluntariam, moraliter meliorem: & conſequenter majorem etiam fidei confeſſionem, ſeu profeſſionem continet.*

Hinc audiendi non ſunt nonnulli facultatis Pariſienſis Doctores, quorum meminit Tournely in *Prælectionib. Theologic. de Sacramen. Pœnit. quæſt. ult. artic.* 9.: non aliam vim Realibus Indulgentiis tribuentes, quam, quæ olim in Martyrum libellis reperiebatur: nempe ut excitarentur Epiſcopi ad Indulgentiam lapſis concedendam. Etenim aliquid amplius in hujuſmodi rebus mobilibus in rei veritate, & ex Summorum Pontificum mente reperiri, quæ ſuperius adduximus, rationum momenta concludenter evincunt.

§. IV.

Declarationes, & Statuta ſuper Indulgentiis conceſſis Coronis, Roſariis, parvis Crucibus, Sanctorum Imaginibus ex auro, alioque metallo confectis, a Summis Pontificibus benedictis: Item Formulæ earundem Indulgentiarum.

Cum Indulgentiæ Reales, certa earundem formula a Sede Apoſtolica præſcripta, nedum in Beatorum Canonizationibus, ſed etiam paſſim concedantur; congruum exiſtimarunt Summi Pontifices, ut earundem abuſus, atque incertitudines tollerentur, plura condere Statuta. Clemens VIII. ſuper Indulgentiis, quæ concedi conſueverant a Summis Pontificibus, vel in poſterum concedendæ erant intuitu Coronarum, Roſariorum, parvarum Crucum, & Imaginum ex auro, aliove metallo confectarum, quas ſolent Romani Pontifices benedicere: novam Indulgentiarum formulam præſcribens, edidit Decretum, ut ſequitur. = *Formula Indulgentiarum noviſſime a Sanctitate Sua præſcripta hujuſmodi Coronis, Roſariis, parvis Crucibus, & Imaginibus ex auro, aliove metallo confectis vulgo medaliis appellatis in futurum benedicendis: vel Principibus, vel ad eorum inſtantiam tantum concedantur: atque hæc una de cætero, & non alia ſer-*

ſervetur, & retineatur. Hæc formula Indulgentiarum ſola imprimatur, & ad omnium commodum etiam lingua vulgari; nomina vero Indulgentias impetrantium, etſi Principes ſint, non imprimantur. Coronæ, Roſaria, Grana, ſeu Calculi, Cruces, & Sacræ Imagines cum Indulgentiis antea benedictæ, quæ quidem in hunc uſque diem diſtributæ ſunt: ſive illæ a Sanctiſſimo Domino Noſtro, ſive a Superioribus Pontificibus ſint conceſſæ; non tranſeant perſonas illorum, qui eas in præſenti obtinent. Quæ autem uſque in hodiernum diem effectum ſortitæ non ſunt: ideſt nulli hactenus diſtributæ ſunt; nemini uti benedictæ deinceps diſtribui poſſint: quod ſi de facto diſtribuantur, careant Indulgentiis jam conceſſis. De cætero Indulgentiæ non concedantur granis, ſeu calculis, neque etiam ſacris Imaginibus, aut Coronis ſive impreſſis, ſive depictis, ſive ex quovis metallo, aut gemmis cælatis, & expreſſis: ſive in Eccleſiis publice collocandæ, ſive privatim habendæ ſint. Iis de quibus in formula dicitur duntaxat exceptis. Neque ſimiliter concedantur pro Agnis cereis, ſeu Agnus Dei benedictis: vel pro quibuſvis Sacris Reliquiis retinendis. Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus ſeptem, ſeu novem Eccleſias, ſeu alias Eccleſias, intra, & extra Urbem, vel eas Quadrageſimæ, & aliis anni temporibus adeuntibus, pro Stationibus conſequendis; Coronis, & Roſariis hujuſmodi benedictis amplius non concedantur. Nec etiam Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Eccleſiam Sancti Jacobi in Compoſtella, & loca Terræ Sanctæ, & Hieruſalem, & Beatæ Mariæ de Laureto, & alias ſimiles Eccleſias eiſdem Coronis, & Roſariis benedictis concedantur. Nec item communicatio bonorum operum, quæ a Regularium, & Religioſorum Ordinibus, vel Congregationibus, ſeu Monaſteriis fiunt, Coronas, & Roſaria benedicta hujuſmodi recitantibus concedantur. Nec etiam eiſdem illas, vel illa recitantibus concedatur liberatio animarum in Purgatorio exiſtentium: niſi ut in memorata formula expreſſum eſt. Si quando intuitu alicujus gentis, nationis, vel Provinciæ, Indulgentiæ aliquæ dictas Coronas, aut Roſaria recitantibus conceduntur; illæ ad alias gentes, nationes, vel Provincias ne extendantur. Pro populis autem remotiſſimis novi Orbis, & Indiarum ad Chriſtianam fidem converſis pauciores Indulgentiæ: Prædicatoribus vero, qui pro Chriſti Evangelio in eiſdem partibus, & Indiis diſſeminando laborant; ampliſſimæ concedantur: Corona, vel Roſario, aut grano, ſeu calculo uno, aut alia re, una benedicta deperdita, alteram pro ea ſubrogandi facultatem nec eſſe, neque detur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum quarto Idus Januarii, anno a Nativitate Domini MDXCVII., Pontificatus vero Sanctitatis Suæ Anno quinto. Sylvius Antonianus.

Poſt hoc Clementis VIII. Decretum reformationem edidit Urbanus VIII. ſuper Indulgentiis, Numiſmatibus, Crucibus, Roſariis, ac Coronis a Summis Pontificibus concedendis: ita tamen ut Indulgentiæ hujuſmodi aliæ vocarentur ordinariæ, aliæ vero extraordinariæ. Et quanquam prælaudatus Urbanus Decreto mandaſſet eas non imprimi; juſſu tamen Alexandri VII. eas prælo fuiſſe commiſſas novimus. = *Quia a Papa Urbano VIII. fuit facta reformatio* (inquit Albitius *in ſuo opere de inconſtant. in fide cap.* 40. *n.* 83.) *circa Indulgentias concedendas a Summis Pontificibus Numiſmatibus, ſive Medaleis, Coronis, Roſariis, Imaginibus: quarum aliæ vocantur ordinariæ, aliæ vero extraordinariæ; amplius a Sede Apoſtolica non conceduntur Indulgentiæ ultra formam præſcriptam: quæ formulæ quanvis non poſſent, ex Decreto Urbani VIII. imprimi; tamen de mandato Alexandri VII. fuerunt impreſſæ.* = Primam formulam idiomate italico olim Romæ typis impreſſam hic exhibemus. = *Formola dell' Indulgenze ordinarie, che ſi danno dalla Santità di Noſtro Signore Papa Aleſſandro Settimo a tutti quelli, che avranno appreſſo di sè alcuna delle Corone, Roſarii, Medaglie, o Croci benedette: purche le dette Medaglie ſiano di Noſtro Signor Gesù Criſto, o vero della Madonna Santiſſima, o di qualche Santo: ed adempiranno le coſe infraſcritte, oſſervando la dichiarazione, e Decreto*

fat-

fatto du Sua Santità, ſotto li 6. Febraro 1657. Chi ſarà ſolito dire la Corona del Signore, o della Beatiſſima ſempre Vergine Madre di Dio, o il ſuo Roſario, o almeno la terza parte di eſſo: e confeſſarà i ſuoi peccati a Confeſſore approvato dall'Ordinario, e riceverà la Sagra Eucharistia, o eſſendo Sacerdote dirà la Meſſa; conſeguiſca Indulgenza plenaria una volta per ciaſcun anno nella Solennità di Noſtro Signore, o della Beata Vergine a ſuo arbitrio. Chi ne'giorni feſtivi della Natività del Salvatore Noſtro Gesù Criſto, Pentecoſte, o ſimilmente chi nella Feſta dell'Annunziata, o vero Aſſunta della medeſima Beatiſſima ſempre Vergine Maria, o della Natività di S. Gio: Battiſta, o de' Santi Apoſtoli Pietro, e Paolo, o di tutt'i Santi, o della Dedicazione, o del Santo Padrone, o Titolare della propria Chieſa: dirà come ſopra, la Corona, o il Roſario, o almeno la terza parte d'eſſo: e confeſſarà a Sacerdote, come s'è detto approvato, i ſuoi peccati, e riceverà divotamente la Sagra Eucariſtia: e ſe potrà commodamente, interverrà alla Meſſa ſolenne, o ſia Conventuale, o eſſendo Sacerdote dirà ancorche privatamente la Meſſa: e divotamente pregherà Iddio per l'eſtirpazione dell'ereſie, e ſciſme, e per la propagazione della Fede Cattolica, e per l'altre neceſſità della Santa Madre Chieſa; conſeguiſca l'Indulgenza di dieci anni, ed altrettante quarantene delle penitenze impoſte, ed in qualſivoglia altro modo dovute. Chi nell'altre feſte del medeſimo Signor Noſtro, e della Beata Vergine adempirà le coſe ſopradette; ſette anni, ed altrettante quarantene. Chi nelle Domeniche, ed altri giorni feſtivi farà le medeſime coſe, cinque anni, ed altrettante quarantene. E chi negl'altri giorni dell'anno fara le coſe iſteſſe: ed interverrà alla Meſſa almeno baſſa, o eſſendo Sacerdote la dirà; cento giorni d'Indulgenza parimente conſeguiſca. Chi nella prima Domenica di Quadrageſima, per ben celebrare il digiuno Quadrageſimale ſi confeſſarà a Sacerdote approvato dall'Ordinario, e riceverà la Santiſſima Eucariſtia: o vero eſſendo Sacerdote, dirà Meſſa pregando per la Santa Chieſa Cattolica Romana, e per la pace fra' Prencipi Criſtiani; conſeguiſca Indulgenza plenaria. Chi avanti il celebrar la Meſſa, o al ricevere la Santiſſima Eucariſtia, o al recitare l'Offizio del Signore, o della Beatiſſima Vergine con divozione, farà orazione preparatoria; conſeguiſca l'Indulgenza di ducento giorni. Chi ſarà ſolito di recitar la Corona, o Roſario, e recitarà la terza parte del Roſario divotamente, ed orarà come è detto di ſopra: e ſtarà preſente alla Predica, o ſentirà, o eſſendo Sacerdote, dirà Meſſa ne' giorni, che non ſono di precetto; acquiſti Indulgenza di cinquanta giorni in quel giorno. Chi ſarà conſueto di recitare la Corona, o Roſario: e recitarà l'Offizio della Beata ſempre Vergine Maria, o l'Offizio de' Morti con i Veſperi, ed un Notturno almeno, e le Laudi, o vero li ſette Salmi Penitenziali, con le Litanie, e preci ſeguenti; oltre l'Indulgenze altre volte conceſſe dalla Santa Memoria di Papa Pio V. guadagni ancor quel giorno cento giorni d'Indulgenza. Chi ancora veramente pentito de' ſuoi peccati, ed avendo propoſito d'emendazione in futuro, farà l'eſame della coſcienza, e tre volte dirà il Pater Noſter, ed altrettante l'Ave Maria; guadagni quel dì cinquanta giorni d'Indulgenza. Chi ancora dirà tre volte divotamente il Pater Noſter, e tre volte l'Ave Maria in onore della Santiſſima, ed individua Trinità; acquiſti quel dì cinquanta giorni d'Indulgenza. E chi per riverenza delle cinque Plaghe, e del Salvator Noſtro Gesù Criſto Crocefiſſo, dirà piamente cinque volte il Pater Noſter, e cinque volte l'Ave Maria; guadagni parimente quel dì cinquanta giorni d'Indulgenza. Chiunque farà pietoſamente orazione per i fedeli, che ſono in tranſito di morte, e dirà almeno una volta il Pater Noſter, ed una volta l'Ave Maria, guadagni ſimilmente per quel dì Indulgenza di cinquanta giorni. Chi viſitarà gl'Infermi nell'Oſpedali, o vero carcerati, ajutandoli con qualche opera pia; conſeguiſca ducento giorni d'Indulgenza. Chi inſegnarà la Dottrina Chriſtiana nelle Chieſe, o vero nelle proprie caſe, a' proprji figliuoli, fratelli, ſorelle, o ſervidori; guadagnerà cento gior-

giorni d'Indulgenza. Colui ancora, che coſtituito in articolo di morte, veramente pentito; e potendo, confeſſato, e communicato: o non potendo, almeno contrito invocarà divotamente il Santiſſimo Nome di Gesù colla bocca, o col cuore; conſeguiſca l'Indulgenza plenaria di tutti i ſuoi peccati. Chi havrà un Crocefiſſo, Croce, o altra Sagra Imagine benedetta in camera, o in altro luogo decente della caſa dove ſtarà, ed adempirà le coſe ſudette: facendo però l'orazioni da farſi a detto Crocefiſſo, Croce, o altra Imagine; conſeguiſca le medeſime Indulgenze. Le ſopradette Indulgenze ſi poſſono applicare all'anime de' fedeli defonti per modo di ſuffragio. Dato in Roma appreſſo Santa Maria Maggiore il dì 8. di Febraro 1657. l'anno ſecondo del ſuo Pontificato. G. Gualterius. Alteram formulam idiomate latino typis editam hic apponimus. = *Formula extraordinariarum Indulgentiarum pro utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui penes ſe habuerint domi privatim aliquam Coronam, Roſarium, parvam Crucem, vel Imaginem benedictam, quæ ſit Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aut Beatæ Virginis Mariæ, vel Sanctorum: juxta formam Decreti Alexandri Papæ VII. ſub die 6. Februarii MDCLVII.: quibus ultra Indulgentias ordinarias, idem Summus Pontifex concedit ut infra. = Ut quicunque ſemel ſaltem in unaquaque hebdomada aut Officium Divinum ordinarium, aut Beatiſſimæ Virginis, aut Defunctorum, aut ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, aut Graduales: aut Coronam Domini, aut Beatiſſimæ Virginis, aut tertiam partem Roſarii recitare: aut doctrinam Chriſtianam docere, aut infirmos alicujus Hoſpitalis, vel detentos in carcere viſitare, aut pauperibus Chriſti ſubvenire conſueverit: & vere pœnitens, & confeſſus Sacerdoti ab Ordinario approbato, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerit in aliquo ex diebus infraſcriptis: nempe Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, Pentecoſtes, Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumtionis Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, Dedicationis propriæ Eccleſiæ, Patroni, vel tituli Eccleſiæ: atque eo die pias ad Deum preces effuderit pro hæreſum, ac ſchiſmatum extirpatione, pro fidei Catholicæ propagatione, Chriſtianorum Principum concordia, atque aliis S. R. E. neceſſitatibus; in ſingulis diebus ejuſmodi Plenariam omnium ſuorum peccatorum conſequatur Indulgentiam. Ut quiſquis vere pœnitens, ac ſi potuerit ut ſupra confeſſus, ac Sacra Communione refectus, alioquin ſaltem contritus, in mortis articulo nomen Jeſu ore, ſi potuerit; ſin minus corde devote invocaverit; ſimiliter Plenariam Indulgentiam conſequatur. Ut ſupraſcriptæ omnes Indulgentiæ applicari poſſint fidelibus defunctis per modum ſuffragii. Indulgentiarum hujus formulæ extraordinariæ Sanctiſſimus prohibet omnimodam impreſſionem in omnibus locis, præterquam in Urbe. G. Gualterius.*

Hic obſerva diligenter: ante expreſſionem Indulgentiarum in recitatis formulis deſcriptarum jure illa verba præinſerta fuiſſe in formula Italica: = *Oſſervando la dichiarazione, e Decreto fatto da Sua Santità ſotto li 6. Febraro 1657.* = quæ verba pariformiter præinſeruntur in formula Latino idiomate expoſita, nempe = *juxta formam Decreti Alexandri VII. ſub die 6. Februarii MDCLVII.* = Siquidem cum per alias formulas ante Alexandrum VII. editas minime fuiſſent revocatæ Indulgentiæ conceſſæ Numiſmatibus &c. a Gregorio XV. occaſione Canonizationis Sanctorum: nempe Ignatii Loyolæ, Franciſci Xaverii e Societate Jeſu, Iſidori agricolæ, Philippi Nerii, & Thereſiæ a Jeſu: nec omnes Chriſtifideles hujuſmodi Numiſmata ſic benedicta haberent; irrepſerat abuſus in quadam Eccleſia, ut in loco Communionis unum ex dictis Numiſmatibus appenderetur: quod confluentes certabant turmatim manu tangere: magno ſæpiſſime excitato tumultu, qui Indulgentiæ fructum quam maxime ſolet impedire. Idcirco Alexander VII. hunc abuſum a Chriſtiano populo tollere ſatagens, ſancivit ne inpoſterum id fieret: vetuitque ne ſubſtitueretur unum Numiſma loco alterius deperditi: ac decrevit hujuſmodi Numiſma-

miſmata non eſſe mutuo danda ad effectum prædictas Indulgentias conſequendi. Conſtat hoc ex ſequenti declaratione. = *Decretum Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri Papæ Septimi ſuper Indulgentiis, quæ tam a Sanctitate Sua, quam ab ejus Prædeceſſoribus, Coronis, Roſariis, Granis, Calculis, Crucibus, Numiſmatibus (Medaleis vulgo nuncupatis) & ſacris Imaginibus benedictis hactenus conceſſæ ſunt, & inpoſterum a Sanctitate Sua concedentur. Sanctiſſimus Dominus Noſter Alexander Papa Septimus declarat, & decernit: quod quæcunque Coronæ, Roſaria, Grana, Calculi, Cruces, Numiſmata (Medaleæ vulgo nuncupatæ) & ſacræ Imagines, ſive ſint Sancti Caroli Borromæi, ſive quinque Sanctorum a felicis recordationis Gregorio XV. Pontifice Maximo in Sanctorum numerum relatorum, ſive quæcunque aliæ cum Indulgentiis antea a Romanis Pontificibus Sanctitatis Suæ Prædeceſſoribus benedictæ, & conceſſæ (quæ quidem in hanc uſque diem diſtributæ ſunt) non tranſeant perſonam illorum, qui eas de præſenti obtinent, neque commodari, aut precario dari poſſint: & quæ a Sanctitate Sua conceſſa ſunt, vel inpoſterum concedentur, non tranſeant ſimiliter perſonam illorum, quibus ab eodem Sanctiſſimo conceſſæ fuerint, vel quibus a prædictis de ordine ejuſdem Sanctiſſimi prima vice fuerint diſtributæ, ita ut a nemine aliis commodato, vel precario concedi poſſint; alioquin careant Indulgentiis conceſſis. Et quantum attinet ad Coronas, Roſaria, Grana, ſeu Calculos, Cruces, Numiſmata (Medaleas nuncupatas) & ſacras Imagines, cum Indulgentiis ab iiſdem Sanctitatis Suæ Prædeceſſoribus benedictas, & conceſsas, quæ uſque in hodiernum diem effectum ſortitæ non ſunt, ideſt, nulli hactenus diſtributæ ſunt; nemini uti benedictæ deinceps diſtribui poſſint: quod ſi de facto diſtribuantur, careant Indulgentiis jam conceſſis. Ac aliqua re ex præmiſſis, ut præfertur benedicta, deperdita, altera pro ea ſubrogari nullo modo poſſit, quacunque conceſſione in contrarium non obſtante, etiamſi de ea ſpecialis, & expreſsa mentio facienda eſset: cui per præſentes Sanctitas Sua derogavit, & derogatum eſse voluit. Datum Romæ die 6. Februarii MDCLVII. Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri anno ſecundo. G. Gualterius.*

Quanquam vero poſt Alexandrum VII. duplex formula Indulgentiarum ordinariarum nempe, & extraordinariarum pro Chriſtifidelibus penes ſe domi privatim habentibus Coronam, Roſarium, parvam Crucem, vel imaginem penitus exoleverit, veteribus in unam redactis; nihilominus tamen memorati Decreti leges in ejuſmodi formula, quæ poſtea emanavit, fuerunt confirmatæ: iiſque ſuper Sanctorum Imaginibus Indulgentiis decorandis duæ aliæ fuerunt adjectæ. Cum enim S. Memoriæ Clementi X. videretur, congruum non eſſe, ſacris Imaginibus charteaceis Indulgentias inpoſterum concedi; id in Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum, ſub die 16. Januarii MDCLXXIV. propoſitum, ac maturo examine diſcuſſum peculiari Decreto fuit firmatum (teſte Riccio in ſuis MSS.). Inſuper idem Pontifex ex voto Sacræ Congregationis memoratæ edito ſub die 23. Aprilis prædicti anni declaravit: mentem ſuam eſſe non concedi Indulgentias Numiſmatibus, vulgo Medaliis, quæ Beatorum referunt Imagines vel Sanctorum, qui in Martyrologio Romano deſcripti non ſunt. Hinc propoſito in Sacra Congregatione Indulgentiarum &c. ſequenti dubio = *An ſit annuendum precibus Cleri & Populi Catalauniæ petentium ſibi concedi occaſione feſti S. Ollegarii Epiſcopi Barcinonenſis ſolemniter celebrandi Roſaria, Cruces, & Numiſmata (quæ Medalias vocant) a Sanctiſſimo Domino Noſtro benedicta, cum iiſdem prorſus Indulgentiis, quas occaſione Canonizationis quinque Sanctorum felicis recordationis Clemens X. Coronis, Crucibus, aliiſque hujuſmodi a ſe benedictis conceſſit?* = Reſponſum fuit: *Dilata:* remiſſiſque precibus ad Sac. Rit. Congregationem, reſcriptum fuit die 11. Julii MDCLXXIX. *Pro gratia*: ſuppoſito ſequenti dictæ Sacræ Congregationis Rituum Decreto = *Facta per Clerum, & Capitulum Catalauniæ inſtantia pro obtinendis Indulgentiis in die feſti Beati Ollegarii Epiſcopi Barcinonenſis, illaque*

que examinata in Sacra Congregatione Indulgentiarum die 13. Septembris anni præteriti, remiſſa fuit ad Sacram Rituum Congregationem pro declaratione: utrum Indultum Officii & Miſſæ cum lectionibus, & Oratione propria, & decretum pro deſcriptione in Martyrologio Romano fuerint obtenta, cum requiſitis æquipollentibus ſolemni Canonizationi? Et eadem Sacra Rituum Congregatio, diſcuſſo dubio, & auditis animadverſionibus Reverendiſſimi fidei Promotoris, reſpondit in caſu propoſito affirmative. Et ita cenſuit die 6. Maii MDCLXXIX. Cæſar Cardinalis Facchenettus. Bernardinus Caſalius Sacræ Rituum Congregationis Secretarius.

Supradicta Decreta a Summis Pontificibus Sanctæ Memoriæ Clementis X. Succeſſoribus confirmata, inſerta reperies in hujuſmodi Indulgentiarum noviſſima formula, ſedente Benedicto XIII. edita (a Clemente XII., & a Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIV. ſervata) Romæ duntaxat imprimenda: quam conſulto hic afferimus, ut omnibus innoteſcant omnes & ſingulæ Indulgentiæ, quæ modo poſſunt comparari ab habentibus penes ſe domi privatim ejuſmodi res a Summo Pontifice feliciter regnante benedictas. = *Formula Indulgentiarum, quas Benedictus XIII. Coronis, Roſariis, Crucibus, parviſque Imaginibus, ſeu Numiſmatibus ex auro, aut argento, aliove metallo confectis (Medaleis vulgo nuncupatis) in futurum concedet, variis veteribuſque formulis in hanc unam redactis. Quicunque ſaltem ſemel in hebdomada Coronam Domini, aut Roſarium, ejuſque tertiam partem: aut Officium, vel divinum, vel parvum Beatiſſimæ Virginis, vel Defunctorum, vel ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales recitare: aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus Domus, Hoſpitalis ægrotos viſitare, aut pauperibus ſubvenire, aut Miſſam vel audire, vel ſi eſt Sacerdos, celebrare conſuevit: ſi vere pœnitens, & Sacerdoti per Ordinarium approbato confeſſus, Euchariſtiæ Sanctiſſimum Sacramentum acceperit in quolibet ex diebus infraſcriptis: nimirum die feſto Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Sanctiſſimæ Trinitatis & Corporis Chriſti: & die Purificationis, Annunciationis, Aſſumtionis, & Nativitatis Beatiſſimæ Virginis: tum feſto Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, Sanctorumque Apoſtolorum Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, Mattiæ, atque Omnium Sanctorum: piaſque ad Deum preces fuderit pro hæreſum extirpatione, fidei Catholicæ propagatione, pace, & Chriſtianorum Principum concordia, cæteriſque Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus; Plenariam ſuorum peccatorum remiſſionem, & Indulgentiam conſequetur. Qui eadem aliis feſtis Domini, aut Beatæ Virginis peregerit; in quolibet eorum percipiet Indulgentiam ſeptem annorum, ac totidem quadragenarum: qui demum alio anni die, Indulgentiam centum dierum. Quiſquis animam ſuam Deo in articulo mortis devote commendans invocaverit Jeſu nomen ore ſi potuerit; ſin minus ſaltem corde vere pœnitens, ac uti dictum eſt, confeſſus, & Sacra Communione refectus, ſi potuerit, alioquin ſaltem contritus; Plenariam peccatorum ſuorum remiſſionem, & Indulgentiam conſequetur. Quicunque in celebranda Miſſa, vel ſumenda Euchariſtia, aut Officio divino, vel parvo B. V. recitando, priuſquam incipiat, devotam aliquam præparationem adhibuerit; quinquaginta dierum Indulgentiam qualibet vice percipiet. Qui detentos in carcere, aut ægrotos in Noſocomiis viſitaverit, eos aliquo bono opere adjuvando, aut Doctrinam Chriſtianam in Eccleſia, vel domi filios aut propinquos, aut famulos docuerit; toties quoties Indulgentiam ducentorum dierum conſequetur. Quicunque ſaltem ſemel in hebdomada recitare conſuevit Coronam, aut Roſarium, aut Officium B. Virginis, vel Defunctorum, aut Veſperas, unumque ſaltem ex Nocturnis, & Laudes, aut ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, & Litanias, earunque preces, quo die id fecerit, præter Indulgentias a S. Pio V. conceſſas, Indulgentias centum dierum percipiet. Qui ad pulſum campanæ alicujus Eccleſiæ, mane aut meridie, aut veſpere con-*

conſuetas preces Angelus Domini &c. dicet, vel ſi eas ignoret, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam:vel dato ſigno orandi pro Defunctis, Pſalmum Deprofundis, aut ſi hunc neſciat, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitabit; eandem Indulgentiam adipiſcetur. Eandem pariter conſequetur, qui feria ſexta devote cogitaverit de Paſſione & Morte Jeſu Chriſti, terque Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitabit. Quiſquis vero pœnitens peccata commiſſa emendare firmiter propoſuerit, conſcientiamque ſuam excuſſerit, ter Oratione Dominica, & Angelica Salutatione devote repetita: vel in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis eaſdem preces ter, aut ob reverentiam quinque vulnerum Jeſu Chriſti quinquies devote recitaverit; Indulgentiam dierum centum lucrabitur. Qui pro Chriſtifidelibus ægrotis in exitu vitæ conſtitutis pie Deum orabit, vel ſaltem pro ipſis Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ſemel dicet; ea die quinquaginta dierum Indulgentiam conſequetur. Habentes in cubiculo, vel quovis alio loco decenti domus, ubi erunt, Crucifixi ſignum, Crucem, aliamve ſacram Imaginem a Sanctitate Sua benedictam, ſi coram illa præſcriptis precibus recitatis, cætera, quæ ſupra licta ſunt, adimpleverint; eaſdem Indulgentias quiſque pro ratione precum, operumque impletorum adipiſcetur. Quilibet omnes ſupradictas Indulgentias memoratis diebus, aut ipſe adipiſci, aut fidelibus defunctis per modum ſuffragii applicare poteſt. Imagines autem ſint, ut vult Sanctitas Sua, non charteaceæ, ſed ex auro conflatæ, aut ex argento, aliove metallo, quæ Sanctos repræſentent Canonizatos, vel in Martyrologio Romano deſcriptos. In diſtribuendis hujuſmodi Coronis,Crucibus &c.eorunque uſuSanctiſſimus ſervari jubet Decretum fel.rec. Alex. VII. editum ſub die 6. Feb. 1657. nimirum, ut Coronæ, Cruces, Roſaria, Numiſmata (quæ vulgo Medaliæ nuncupantur), & ſacræ Imagines cum præfatis Indulgentiis benedictæ non tranſeant perſonam illorum, quibus a Sanctitate Sua conceſſæ ſunt, aut quibus ab his prima vice diſtribuuntur, neque commodari, aut precario dari poſſint: alioquin careant Indulgentiis jam conceſſis: & aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea ſubrogari altera nullo modo poſſit, quacunque conceſſione, aut privilegio in contrarium non obſtante. Prohibet Sanctitas Sua hanc Indulgentiarum formulam imprimi extra Urbem. Raphael Coſmus de Hieronymis Secretarius.

§. V.

Solvuntur dubia ſuper Indulgentiis Numiſmatum, & Coronarum &c.

Sicut congruum non eſt, leves quaſdam difficultates,quæ in rerum mobilium Indulgentiis examinandæ occurrunt, ſilentio præterire, ita non expedit pro ſingulis peculiare dubium inſtituere: ideoque eas omnes hic proponemus laconice ſolvendas,ne vel quod neceſſarium eſt ad Indulgentiarum Realium notitiam deſit, vel plus quam oportet, prolixius agatur.

Eſſent hic duo inquirenda,quæ inter veteres Doctores agitata fuerunt. Primum. Num deſtructo integre Roſario, vel Numiſmate, cui applicatæ fuerunt a Summo Pontifice Indulgentiæ, poſſint iſtæ in aliud Roſarium,aut Numiſma privata authoritate transferri: Secundum. An Coronarum & Numiſmatum Indulgentias lucraretur ille, qui hujuſmodi res, aut commodato, aut precario reciperet, vel ab aliis deperditas inveniret? Cæterum hæc peculiari diſcuſſione non indigent, cum per Alexandri VII. Decretum nuper recitatum maneant ſoluta. Eo tamen non obſtante, cum Moniales Monaſterii Conceptionis B. M. V. de Urbe vi Statutorum ſuorum teneantur ſingulis annis, nedum veſtes & cellulas, ſed etiam Roſaria, & ſacra Numiſmata propriis uſibus conceſſa invicem permutare: & ex alia parte expenſis verbis Summarii Indulgentiarum pro Roſariis, & Coronis S. Birgittæ Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum impreſſi, habeatur, quod ſequitur = *Prohibet inſuper Sacra Congregatio, ne hujuſmo-*

juſmodi Coronæ, ſeu Roſaria vendantur, aut alteri commutentur: etſi ſecus fiat, declarat, ſupradictas Indulgentias ceſſare; & nullius eſſe roboris, vel momentis. = Duo dubia propoſuerunt examinanda Sacræ Congregationi Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum. = 1.^m *An attenta præfata commutatione Coronæ Indulgentias amittant?* 2.^m *Etſi amittantur: petitur ut in poſito caſu non amittantur.* = Eadem Sacra Congregatio ſub die 10. Martii MDCCX. Reſpondit= *Ad* 1.^m *Affirmative. Ad* 2.^m *Supplicandum Sanctiſſimo, ut in caſu poſito Coronæ, & Sacra Numiſmata per commutationem Indulgentias non amittant.* = Oppoſitum vero reſpondit dicta Sacra Con. gregatio die 23. Febr. anno MDCCXI. propoſito hoc dubio = *An aliqua ratione fieri poſſet, ut Ruſtici, qui Sacra Numiſmata ſuſcipiunt a nonnullis, a quibus Chriſtiana Doctrina imbuuntur, eadem Numiſmata, abſque Indulgentiarum detrimento, aliis tradere valeant?* = Ut tamen ad ea quæ majoris ponderis ſunt deſcendamus.

Quæres 1.° An per fractionem Numiſmatis, ſeu Roſarii pereant Indulgentiæ?

Reſpondemus cum diſtinctione. Si parva ſit fractio, puta funiculi, ſeu paucorum calculorum, aut fibulæ Numiſmatis, nnn perire Indulgentias, quia adhuc quoad formam moralem eædem res mobiles perſeverant: ſecus vero ſi Numiſma notabiliter frangeretur, ut Sancti imaginem non referret, quia idem Numiſma moraliter minime remaneret. Oppoſitum ſentit Gobat in *Theſauro Indulgentiarum p. 2. cap. 14. quæſt. 37. n. 390.* aſſerens: dimidia parte Roſarii ſimul pereunte, in alia, quæ remanet integra, adhuc manere Indulgentias. Ex quo legitime poſſet inferri, quod dimidia parte Roſarii amiſſa, Indulgentiæ toti Roſario antea addictæ utramque diviſam partem afficerent; non enim eſſet ratio, quare deberent potius in parte non amiſſa, quam in amiſſa reperiri. Quod profecto dicendum non eſt, ne compellamur etiam illud aſſerere: poſſe nimirum ex uno Roſario habente Indulgentias, privata authoritate fieri duo, quorum quodlibet iiſdem decoretur Indulgentiis. Aliter tamen dicendum putamus, ſi ſucceſſive calculi frangerentur, & ſtatim fieret aliorum ſubſtitutio; novi ſiquidem traherentur ad unitatem numericam ejuſdem Roſarii.

Quæres 2.° Quid dicendum ſit, ſi Crucula Caravacenſis quoad haſtam ſuperiorem tranſverſam frangeretur: an ſcilicet perirent Indulgentiæ eidem affixæ?

Gobat loco ſupracitato reſpondet negative = *Si Cruculæ Caravacenſis, inquit, pars recta, aut tranſverſa ita frangatur, ut quod infractum manet, repræſentet adhuc Crucem Hiſpanicam, aut etiam qualemcunque Crucem, non videtur intercidiſſe Indulgentia: quia nihilominus id, quod reſtat, poteſt ſecundum morem Eccleſiæ intervenire ad uſum veræ, & propriæ dictæ Crucis. Si vero ita frangatur, ut non referat amplius ſpeciem Crucis, perit Indulgentia; quæ tamen reditura videtur, ſi partes fractæ denuo copulentur* = Quod nos libenter admittimus de Indulgentiis concedi conſuetis Crucibus ordinariis a Summis Pontificibus benedictis: ſecus vero ſi Indulgentiæ affixæ eſſent Crucibus Caravacenſibus, quatenus talibus: quia fracta Cruce quoad haſtam ſuperiorem, non daretur forma Crucis Caravacenſis: & hoc aſſeruit Pellizarius *in Manuali Regularium tom. 2. tr. 8. cap. 5. ſect. 5. 2. n. 23.* = *Si Crux Caravaciæ habens Indulgentias frangeretur quoad haſtam ſuperiorem tranſverſam, hoc ipſo amittit Indulgentias: cum ſic non ſit amplius Crux Caravaciæ, quæ formaliter conſiſtit in hoc, quod habeat duplicem haſtam tranſverſalem, ſed Crux ordinaria; & alias Indulgentiæ applicatæ alicui rei non durent, niſi quandiu res illa ſic ſubſiſtit, & juxta prudentem æſtimationem non ſit, & dici poſſit eadem. Quod potiſſimum haberet locum, ſi dictæ Indulgentiæ conceſſæ fuiſſent Cruci Caravaciæ, quatenus tali. Sic ſenſerunt mecum viri docti conſulti* = Non immerito tamen ea adhibetur conditio *ſi Indulgentiæ affixæ eſſent Crucibus Cravacenſibus, quatenus talibus*; plures enim Indulgentiæ, quæ hujuſmodi Crucibus addictæ circumferuntur, inter Apocriphas recenſendæ ſunt: ut conſtabit *cap. ſequenti artic. unico* §. 3.

Quæres 3.° An habentes Numiſmata, vel Coronas, quibus ab eodem, vel di-

verſo

verſo Summo Pontifice Indulgentiæ affixæ ſunt, pro certo pio opere, poſſit quis ſemel illud peragens diverſas illas Indulgentias acquirere?

Affirmative reſpondet Lezana in *Summa quæſt. moral. tom. 2. Verbo Indulgentia quoad Regular.* hanc ſententiam vocans probabiliſſimam. = *Quia* (inquit) *privilegium privilegio non aufertur: & quia non eſt major ratio, cur Indulgentia unius Medaliæ, potius quam alterius, obtineatur eo actu, vel Oratione. Ergo vel omnium, vel nullius, quod eſt abſurdum* = Plures deinde refert Authores in ſui favorem, inter quos ſunt Henriquez *lib. 7. de Indulgentiis cap. 17. n. 5.* Sà in *Summa Verbo Indulgentia n. 18.* Naldus in *Summa Verbo Indulgentia.* Sed negative reſpondet Paſſerinus *qu. 42. n. 340.* his verbis = *Qui habet plures calculos benedictos, non poteſt eodem actu omnes Indulgentias illis conceſſas lucrari, ſed pro qualibet acquirenda, onus pro illa impoſitum debet exequi. Sic ſi haberet V. G. unum calculum, qui haberet plures benedictiones, & Indulgentias, pro quarum ſingula eſſet impoſitum opus ejuſdem generis, & quantitatis, non poſſet uno opere numero illas omnes acquirere.*

Paſſerino ſubſcribimus propter rationes expenſas *p. 1. cap. 10. dub. 7.*, ubi aſſeruimus: implentes opus, quod pro pluribus Indulgentiarum conceſſionibus idem injunctum fuit, non poſſe eas omnes ſimul comparare.

Quæres 4.° An citra jacturam Indulgentiarum Cruces & Coronæ, quæ loca Terræ Sanctæ, & Sacras Reliquias ibi exiſtentes tetigere, vendi queant, aut mercibus commutari?

Prædictarum rerum Indulgentiis non videtur officere Decretum Alexandri VII. loquitur enim de Crucibus, & Coronis a Summis Pontificibus benedictis: cum citra hujuſmodi benedictionem Crucibus & Coronis, quæ loca Terræ Sanctæ, & Sacras Reliquias ibi exiſtentes tetigerunt, Indulgentiæ ex Innocentii XI. conceſſione ſint affixæ.

Reſpondemus tamen Negative: idque conſtat ex Declaratione Sacræ Congregat. Indulgentiarum &c. edita ſub die 11. Martii MDCCXXI., ac publicata ſub die 4. Junii ejuſdem anni, quæ, reprobato Summario Auguſtæ impreſſo quarundam Indulgentiarum, quæ aſſerebantur conceſſæ prædictis Crucibus, & Coronis a Sixto V. Urbano VIII. Alexandro VII. Clemente IX. ac confirmatæ a Clemente X. & Innocentio XI., ita decrevit = *Cum Sacræ Congregationi Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum delatum fuerit, nonnullos turpis lucri cupidos non ſine magno fidelium ſcandalo Cruces, & Coronas, quæ loca Terræ Sanctæ, & Sacras Reliquias ibi exiſtentes tetigerunt, publice vendere, aut mercibus commutare, auſu temerario non erubeſcere; ideoque ſtricte prohibuit, ne inpoſterum publice, aut ſecreto vendantur, vel quomodocunque commutentur, addita etiam declaratione, quod non tranſeant perſonam illorum, quibus prima vice diſtribuuntur: & quod neque commodari, aut precario dari poſſint: & quod aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea ſubrogari altera non valeat. Quod ſi ſecus fiat, ſupradictæ Cruces, & Coronæ careant Indulgentiis jam conceſſis &c.* = Inſuper cum Jacob de Cluſe Civis Auguſtanus prædictæ Sacræ Congregationi expoſuiſſet, ſe quamplurimas ex dictis Coronis, & Crucibus ab Hieroſolymis ſecum detuliſſe; facultatemque poſtulaſſet, prædictas res vendendi; juſto tamen pretio, nec ullo habito reſpectu, vel ad rerum ſacrarum contactum, vel ad Indulgentias ab Innocentio XI. ea geſtantibus conceſſas: pretium exigere intendens, tum pro expenſis, in earum rerum emtione conſumtis, tum pro vectigalibus, in earundem aſportatione ſolutis, tum etiam pro ſummo labore, ac vitæ diſcrimine, cui ſe in adeo longa peregrinatione commiſerat: adjectis Ordinarii Auguſtani literis, quibus Oratoris fides, ac probitas commendabatur; propoſitum fuit in eadem Sacra Congregatione ſub die 11. Februarii MDCCXXII. hoc dubium = *An non obſtante ſupramemorato Decreto danda ſit facultas Oratori ſupradictas Cruces, & Coronas vendendi?* = cui Emi Patres reſponderunt *Negative.*

§. VI.

§. VI.

De Indulgentiis, quas Summi Pontifices concedunt, per alios diſtribuendas, & applicandas Coronis, Crucibus, Numiſmatibus &c.

NON raro ex Summorum Pontificum liberalitate Clericis, ac Laicis ad fovendam aliorum devotionem certus Indulgentiarum numerus diſtribuendus conceditur. Quod tamen non ita velim intelligas, ut hoc præclaro beneficio affecti gaudeant inde poteſtate aperiendi Eccleſiæ Theſaurum, ac diſpenſandi Indulgentias aliis Chriſtifidelibus: hæc enim poteſtas minime iis omnibus delegatur, quibus ex Sedis Apoſtolicæ collato munere competit Indulgentias diſtribuere, ſed ipſorum eſt, ſolummodo Coronis, Crucibus, ac Numiſmatibus individualiter deſignatis Indulgentias applicare, a Summis Pontificibus hujuſmodi rebus mobilibus concedi, ſeu applicari conſuetas: ita ut Coronis prædictis, ac Numiſmatibus donati, valeant ea apud ſe retinendo, & opera pia in conſueta formula injuncta exercentes Indulgentiarum fructum percipere, perinde ac a Summis ipſis Pontificibus cum Indulgentiarum adjectione fuiſſent benedicta.

Hinc deſignatio, ſeu electio Coronarum, atque Numiſmatum non eſt actus excedens limites facultatis Laicorum: cum non ſit ſpiritualis juriſdictionis exercitium, ſed mera conditio, qua poſita, intelliguntur illis rebus mobilibus affixæ Indulgentiæ ex Summorum Pontificum conceſſione.

Nec ſine obſervatione præteriri debet, in hujuſmodi Indulgentiarum applicatione neceſſario requiri, applicantes coram ſe habere præſentes Coronas, Cruces, & Numiſmata: ut recte obſervat Diana *tom. 10. tract. 16. reſol. 9.*

Quæres 1.° An is, qui hujuſmodi Indulgentias a Summo Pontifice diſtribuendas obtinuit, poſſit alios ſibi ſubdelegare, ut & ipſi Coronis, & Numiſmatibus Indulgentias applicare valeant?

Affirmative Reſpondet Paſqualigus *deciſ.* 492. *n.* 3. ſiſtendo in jure communi= *Qui enim* (inquit) *tales Indulgentias applicandas accipit, non ſolum accipit ipſas Indulgentias, ſed facultatem eas applicandi, cuinam materiæ voluerit: unde cenſetur ad hoc munus delegatus. Quia autem delegatus a Summo Pontifice poteſt rurſus delegare cap. fin. de Officio Judicis Delegati, & cap. cum cauſam de Appellationibus; ideo cum ſit delegatus ad tales Indulgentias applicandas, poteſt alium ſubdelegare, qui eas nomine ſuo applicet, cuinam materiæ placuerit. Ex hoc autem ſequitur, quod ille, qui ab alio, quam a Summo Pontifice accipit talem facultatem, non poſſit in alium transferre Indulgentias applicandas: quia ex vi ſubdelegationis terminatur in ipſo facultas, & tunc valet Regula, quod Delegatus non poteſt delegare.* =

Gobat in *Theſauro Indulg. p.* 1. *c.* 9. *q.* 33. *n.* 128. nedum ſupponit, immediate deſignatum a Summo Pontifice ad Indulgentias diſtribuendas alium poſſe ad hoc præſtandum ſubſtituere; verum etiam docet, eum, qui ab alio, quam a Summo Pontifice hujuſmodi facultatem accepit, illam aliis poſſe committere: aſſeritque Paſqualigi ſententiam id negantem, praxi permultorum eruditorum Religioſorum adverſari, qui vel a redeuntibus Roma, vel ab exiſtentibus ibi has Indulgentias accipiunt, ac deinde cæteris liberaliter diſpenſant: hujuſque praxis rationem adducit ſcilicet = *Quia mens Summorum Pontificum multa millia prædictarum Indulgentiarum concedentium alia non eſt, quam ut per uſum rerum mobilium his Indulgentiis affectarum, operaque præſcripta fideles ad pietatem excitentur, atque pro ſuis peccatorum reatibus condignam ſatisfactionem exolvant* = Tandem Doctorum Regulæ occurrens: quod Delegatus non poſſit ſubdelegare, ſubdit = *Eam potiſſimum intelligi de Delegato ad actus juriſdictionis exercendos: aut de taliter Delegato, ut in illo Delegans ſpectet circumſtantias doctrinæ, prudentiæ, atque adeo induſtriam perſonæ. At vero applicatio intentionum, non eſt actus juriſdictionis: quandoquidem ſolet ipſe Pontifex, etiam Laicis perſonis concedere*

dere

dere facultatem applicandi intentiones: & præterea in illo, cui datur facultas applicandi, non ſpectatur circumſtantia doctrinæ, prudentiæ &c.

Sed reſpondendum eſt negative: quod ſolidiori nequit fundamento fulciri, quam praxi Curiæ Romanæ, quæ conformis eſt Decreto ſupra relato Alex. VII. Ex quo conſtat (ut advertit Paſſerinus *qu.* 103. *n.* 807.) harum Indulgentiarum conceſſionem eſſe perſonalem: adeoque is, cui certus Indulgentiarum numerus ad diſtribuendum traditur, poteſt ad ſuum beneplacitum Coronas, & Numiſmata determinare, illiſque Indulgentias applicare: ſecus vero ad hæc præſtanda aliis facultatem committere. Non tamen negamus contrariam noſtræ reſponſioni ſententiam olim fuiſſe aliqua probabilitate præditam: ſed nunc nequit ullo modo, nec tanquam probabilis defendi. Ex quo infertur, quod ſemel facta harum Indulgentiarum applicatione, nequeat fieri earum translatio de una Corona in aliam, quia (ut inquit Paſſerinus loco mox citato) finita eſt delegatio: proindeque eligens, ſeu deſignans ſemel rem mobilem, functus eſt officio ſuo.

Quæres 2.° An dictæ Indulgentiæ queant ſaltem applicari Numiſmatibus Imaginem a parte antica Beati, a parte vero poſtica Crucis, aut Sancti Canonizati Iconem repræſentantibus?

Ratio dubitandi eſt, quod habentes talia Numiſmata cultum viderentur dare Beato, quem Sanctorum Canonizatorum Imaginibus duntaxat exhiberi voluit Summi Pontifices, per ejuſmodi Indulgentiarum conceſſiones: adeoque tutum omnino non eſſet Indulgentias ad diſtribuendum conceſſas his rebus applicare.

Reſpondemus tamen affirmative: quia ſicut Numiſmatibus ex una parte Sancti Canonizati, vel in Martyrologio deſcripti Imaginem, ex alia vero Templum, aut quid ſimile repræſentantibus citra dubium applicari poſſent Indulgentiæ; ita poſſunt, ſi habeant ex una parte expreſſam Imaginem Beati, ex alia Sancti Canonizati. Et reſponſio poteſt confirmari ex declaratione Sacræ Cong. Indulg. & Sacrarum Reliquiarum, quæ ad hoc dubium = *An attentis verbis expreſſis in formula Indulgentiarum, quas Sanctiſſimus Dominus Noſter Numiſmatibus concedit, prædictæ Indulgentiæ applicentur illis Numiſmatibus, quæ duplicem Imaginem, Sancti videlicet, & Beati præſeferunt: & quatenus negative: Qua ratione inpoſterum ſit conſulendum, ne ullus hac in re abuſus poſſit irrepere?* ſub die 10. Decembris MDCCX. Reſpondit = *Quoad primam partem affirmative: Quoad ſecundam proviſum in prima.*

Quæres 3.° An ſi Regularibus Indulgentiæ diſtribuendæ conceſſæ ſint: iique ex humanis decedant nondum facta dictarum Indulgentiarum applicatione Coronis, ac Numiſmatibus, poſſint de illis ipſis Indulgentiis eorum Superiores diſponere?

Affirmativæ ſententiæ patronus eſt Gobat *loco ſupracit. p.* 1. *c.* 11. *q.* 35. *n.* 131. ubi ſic ait = *An quando Religioſus moritur nondum applicatis, vel diſtributis intentionibus Indulgentiarum, quas habuit, poſſit ejus Superior libere de iis diſponere? Reſpondetur poſſe; nam ex utriuſque parte militat bona ratio ad hoc aſſerendum. Ex parte quidem ſubditi, quia nullus Religioſus eſt, qui ante mortem interrogatus non pronunciaret ſe ita velle: & qui non ſaltem ſemel in vita apud ſe dixerit cupere ſe, ut omnia ſua cedant, quoad fieri poteſt, in majus Dei, & proximi obſequium. Atqui cedent hæ intentiones in majus proximi emolumentum, ſi eas uſurpet Superior. Ex parte autem Superioris adeſt hæc ratio, quod is utique habeat generalem voluntatem omnibus ſuis, ſuorumque bonis utendi ad Dei gloriam, & proximi commodum, quoad poteſt. Qua voluntate poſita, ſibi jam virtualiter, & implicite illas intentiones (ſaltem ſub conditione ſecuturæ mortis) vendicavit, quando ſubditus agebat animam. Confirmatur inde, quod ſatisfactiones Religioſorum eis ſuperfluæ cedant in emolumentum habentium cum illis participationem bonorum operum: item quod Superior Regularis poſſit ſuorum ſubditorum etiam ignorantium ſatisfactiones, & preces applicare Benefactoribus, propter interpretativum conſenſum ſubditorum. Loquor autem de illo Superiore, qui toti Conventui ſeu Collegio præeſt, non de Priore Clauſtrali, aut Miniſtro.*

Sententiæ tamen negativæ ſubſcribendum

dum eſt cum Baldello, & Bordono apud Dianam *tom. 10. tr. 16. reſol. 6.*: quia facultas applicandi Indulgentias Coronis, & Numiſmatibus eſt privilegium quoddam perſonale, quod proinde perſonam ſequitur, & cum perſona extinguitur: adeoque, ſicut diximus in reſponſione ad primum dubium, nequit alteri committi, aut delegari; ita nec ex interpretativa ſubditorum voluntate poteſt a Superioribus ad aliorum utilitatem uſurpari.

Latum vero diſcrimen eſt inter ſatisfactiones, & hujuſmodi facultates: quod illæ ita ſunt Religioſorum propriæ, ut tamen ob unionem charitatis ſicut ab ipſis immediate aliis poſſunt applicari; ita accedente eorum conſenſu queunt Benefactores, vel alii ad earundem participationem a Superioribus admitti. Iſtæ vero competunt tantum Regularibus perſonaliter ex Summi Pontificis conceſſione: quia ejus mens eſt, quod ſiſtant intranſitive in ipſis perſonis, quibus primo conceſſæ ſunt.

Denique ut non modica affulgeat lux ſolutionibus aliarum difficultatum ſuper Indulgentiis applicandis Coronis, ac Numiſmatibus, quæ potiſſimum ab Apoſtolica Sede expletis ſolemnibus Canonizationibus Beatorum ſolent diſpenſari Regularibus, qui eorundem Ordinem, & Inſtitutum profeſſi ſunt; pro Coronide eorum, quæ in hoc Capite dicta ſunt, preces hic adjicimus Patris Procuratoris Generalis Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia humiliter Sanctæ Memoriæ Clementi XI. porrectas poſt expletam ſolemnem Canonizationem S. Catharinæ Bononienſis: necnon dubia ſuborta ex tenore conceſſionis dictarum Indulgentiarum: Sacræ Cong. Indulgentiar. &c. Reſponſionem: ac denique Pontificis laudati declarationem. = *Beatiſſime Pater. Cum in Canonizationibus Sanctorum Religionis Seraphicæ dignati ſint Summi Pontifices prædeceſſores Sanctitatis Veſtræ Indulgentias concedere tam Prælatis, quam Fratribus, & Monialibus ejuſdem Religionis, ut ad eorum beneplacitum illas inter perſonas devotas, & amicos ſpirituales diſtribuerent: qualiter illas conceſſerunt Sanctæ Memoriæ Clemens IX. in Canonizatione S. Petri de Alcantara, & felicis recordationis Alexander VIII. in Canonizatione Sanctorum Joannis de Capiſtrano, & Paſchalis Baylon; ideo Procurator Generalis ejuſdem Ordinis humillimus Orator de ordine expreſſo, & nomine ſui Miniſtri Generalis ſupplicat Sanctitatem Veſtram, quatenus dignetur eaſdem Indulgentias benigniter eiſdem Prælatis, Fratribus, & Monialibus dicti Ordinis impertiri pro Canonizatione S. Catharinæ Bononienſis, quæ in eadem Religione ſub regimine Fratrum Obſervantium quoad vixit educata eſt. Et pro gratia &c.* = Exhibito hoc ſupplici libello Summo Pontifici prælaudato; hoc prodiit reſcriptum = *Die 16. Octobris MDCCXIII. Noſtro Signore concede alli PP. Miniſtri Generali, e Vicecommiſſarj Generali dell'Indie, ed altri Officiali della Curia Romana cinquecento Indulgenze, ſecondo la formola publicata in occaſione della Canonizatione delli quattro Santi. Alli Padri Provinciali quattrocento Indulgenze per ciaſcheduno: e finalmente a tutti li Religioſi, e Religioſe dell'Ordine cento Indulgenze per ciaſcheduno, e ciaſcheduna reſpettivamente come ſopra. Loco ✠ Sigilli. A. Card. Albani* = Subortis vero ſuper hujus reſcripti intelligentia nonnullis difficultatibus; hæc tria dubia fuerunt poſtea diſcuſſa in Sacra Congregatione Indulgentiarum & Sacrarum Reliquiarum = 1.^m *An præfata conceſſio ad Moniales Ordinis Sancti Franciſci Generali Obſervantiæ, & Reformatæ minime ſubjectas extendatur: & ex quo Novitii ejuſdem Ordinis, & Tertiarii omnes, ſive collegialiter viventes, ſive domi vitam cælibem ducentes, ſive tertiam Regulam profitentes, aliquo pacto Religioſi, & directioni ſubjecti prædicti Miniſtri Generalis dici poſſint, & eodem privilegio fruantur?* 2.^m *An Fratres Neoprofeſſi, ante publicationem tamen in Provinciis factam, poſſint Numiſmata, Cruces &c. diſtribuere cum Indulgentiis occaſione Canonizationis S. Catharinæ?* 3.^m *Cum a die conceſſionis ad publicationis diem, ob electionem novi, mutatio aliqua Miniſtri Provincialis ſecuta fuerit; quinam ex prædictis Miniſtris frui debeat?* = Eadem Sacra Congregatio expenſis verbis prædicti reſcripti ad ſupradicta dubia ita

ref-

reſpondere cenſuit = *Ad 1.*[m] *Conceſſionem extendi etiam ad Moniales Superioribus Regularibus non ſubjectas: extendi etiam ad Novitios: dummodo ingreſſi eſſent Novitiatum ante diem* 16. *Octobris. In Reliquis audiendum eſſe Oraculum Sanctiſſimi.* = Die 20. Februarii 1715. Sanctitas Sua prævia approbatione declarationis, ut ſupra, factæ a Sacra Congregatione; declaravit inſuper = *Conceſſionem a ſe factam nullo modo extendi ad Tertiarios. Itidem Fratres Neoprofeſſos poſſe diſtribuere Indulgentias in ſupplici libello conceſſas: dummodo ingreſſi eſſent Novitiatum ante diem conceſſionis. Ac tandem poſſe diſtribuere majorem numerum Indulgentiarum illos, qui erant Miniſtri Provinciales, aut Officiales tempore conceſſionis: non vero illos, qui erant tempore publicationis. In quorum &c. Datum Romæ die* 23. *Febr. MDCCXV. Loco* ✠ *Sigilli. Raphael Coſmus de Hieronymis Secretarius.*

CAPUT IV.

DE INDULGENTIIS APOCRYPHIS.

UT facile diſcerni queant Indulgentiæ legitimæ ab Apocryphis; non inutilis erit labor ex iis, quæ in hujus Tractatûs progreſſu dicta ſunt, nonnulla aperire: aliaque addere pro earundem examine neceſſaria.

ARTICULUS UNICUS.

Quænam Indulgentiæ velut Apocryphæ cenſendæ ſint, & rejiciendæ?

TRIA in præſenti Articulo ventilanda ſunt. 1.° Ad quos ſpectet Indulgentiarum examen: an ſcilicet legitimæ ſint, vel Apocryphæ: earumque exceſſus corrigere? 2.° Quænam pro dicto examine obſervanda ſint? 3.° Quænam Indulgentiæ a Sacris Congregationibus declaratæ ſint Apocryphæ?

§. I.

Ad quos ſpectet Indulgentias examinare, an ſcilicet legitimæ ſint, vel Apocryphæ: earumque exceſſus corrigere?

INdulgentiæ Apocryphæ dicuntur, quæ licet expreſſe falſitatem non contineant, tamen nec Literis Apoſtolicis, neque alio authentico teſtimonio poſſunt comprobari. Cum his coincidunt, quæ tanquam indiſcretæ deſcribuntur ab Henrico Manigart in *lib. Prax Paſtoral., ſeu Minip. Theolog. Moral.* = *Indulgentiæ indiſcretæ*, inquit, *ſunt, quæ nunquam fuerunt conceſſæ. Item illæ quæ fuerunt revocatæ, quæ ſunt dubiæ, & non poſſunt probari literis authenticis: maximus enim eſt quoad illas abuſus in Ecclesia Dei. Dicuntur magnæ conceſſæ Indulgentiæ propter minima opera, & valde multæ: & per illas liberationes animarum fieri de Purgatorio in quibuſdam Confraternitatibus cum libellis impreſſis, vel ab habentibus quædam Numiſmata benedicta, & Cruces: de quibus nulla extat ratio.*

Præter plurima ſalubriter ſtatuta in Concilio Lateranenſi IV. ad impediendam Indulgentiarum Apocrypharum publicationem: quorum meminimus 1. *p. in differt. proœmial.* §. 5.; decrevit Concilium Viennenſe celebratum an. MCCCXI. Regulares, ſi in hac re defeciſſent, ſubdi per duos menſes pœnis, juxta eorum Regulam pro exceſſibus gravibus infligi conſuetis = *Quibus* Regularibus *in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnæ interminatione maledictionis æternæ diſtrictius inhibemus, ne in ſermonibus ſuis Eccleſiarum Prælatis detrahant: aut etiam retrahant Laicos ab Eccleſiarum ſuarum frequentia, vel acceſſu: ſeu Indulgentias pronuntient indiſcretas...... Si qui vero præmiſſa, vel aliquod de præmiſſis attentare præſumſerint; per duos menſes ſubjaceant pœnis illis, quæ ſecundum eorum Regulam, vel ſtatuta, pro gravibus criminibus, ſeu culpis, eis conſueverunt imponi.*

Ne ejuſmodi abuſus, quibus fideles decipiuntur, irreperent; decrevit Conc. Trid. *ſeſs.* 21. *cap.* 9. Indulgentias inpoſterum minime publicari, niſi per Epiſcopos prævio ipſorum examine, ac duorum de Capitulo = *Indulgentias vero, aut alias ſpirituales gratias, quibus non ideo Chriſtifideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas eſſe decernit.* = Et *ſeſs.* 25. *in Decr. de Indulg.* onus injunxit Epiſcopis, ut diligenter Indulgentiarum abuſus ex ſu-

by Google

ſuperſtitione, ignorantia, & irreverentia prodeuntes, quum commode nequeunt prohiberi, colligerent: de iiſque in Provincialibus Synodis pertractarent, ut ſtatim ad Summum Pontificem deferrentur = *Abuſus vero, qui in his irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur, emendatos, & correctos cupiens; præſenti Decreto generaliter ſtatuit, pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde plurima in Chriſtiano Populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe. Cæteros vero, qui ex ſuperſtitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque provenerunt, cum ob multiplices locorum & provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant ſpecialiter prohiberi; mandat omnibus Epiſcopis, ut diligenter quiſque hujuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat, eoſque in prima Synodo Provinciali referat: ut aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cogniti, ſtatim ad Summum Romanum Pontificem deferantur.*

Cohærenter ad Tridentini mentem, ut proximorum ſaluti, atque Indulgentiarum dignitati proſpiceretur; voluit Concilium Cameracenſe celebratum anno MDLXV. ſub Maximiliano de Bergis Archiepiſcopo, Parochiarum Rectores admoneri: ut populum inſtruerent, ne fidem adhiberet quibuſdam Indulgentiis, quæ ſpargebantur in vulgus. = *Præcipit Synodus, ut Parochi populum ſuum diligenter admoneant: ne circumforaneis quibuſdam, aut etiam impreſſis libellis temere fidem adhibeant, qui ex levibus, variis, & ſuperſtitioſis cauſis exorbitantes pollicentur: cum Indulgentiæ nonniſi ex piis, & rationabilibus cauſis concedi debeant.* = Idem monitum dederunt ſuis ſubditis Patres Concilii Mechlinienſis celebrati anno MDLXX.= *Monet pios ſuos filios hæc Synodus, ne circumforaneis quibuſdam, aut etiam cum privilegio impreſſis libellis temere fidem habeant, qui ex levibus, aut ſuperſtitioſis cauſis, incertiſque revelationibus immodicas, & plus æquo exorbitantes Indulgentias pollicentur: potiſſimum ſi promiſſiones contineant certorum effectuum, periculorum ſcilicet evitationem a gladiis, a tormentis, ab aquis, a peſte, aut liberationem certam a Purgatorio: quemadmodum & Miſſis quibuſdam, & precibus certo numero recitandis affixas alicubi videre licet.*

Cum pro ſui Archiepiſcopalis Officii munere memorata Tridentini Decreta implere ſatageret S. Carolus Borromæus; hæc primo pro ſua Archiepiſcopali Provincia in Concilio Mediolanenſi IV. celebrato anno MDLXXVI. ſalubriter ſancivit. = *Quæcunque Indulgentiarum, quæ olim vel nuper cuivis etiam Regularium, aut aliter exemtorum Eccleſiæ perpetuo conceſſæ ſunt, tabulæ, ſcripta, monumentave alia omnis ejuſdem generis extant, ea, ubi illa ſint, ſive in Urbe, ſive in Diœceſi, Epiſcopus ſtudioſe conquirendu curet: tum illa conquiſita, indeque ſummatim exſcripta in librum certum, eo nomine confectum, qui in Archivio Epiſcopali aſſervetur, diligenter recteque referri jubeat. Quæ præterea Indulgentiæ Urbis, Diœceſiſque ſuæ Eccleſiis inpoſterum perpetuæ, vel ad certum tempus concedentur: ubi primum ad ſe, aut ad Vicarium Epiſcopalem, qui illas recognoſcat, delatæ ſunt; eodem, aliove libro notentur; ordineque deinceps deſcribantur. Singulæ autem Eccleſiæ, quibus vel conceſſæ ſunt, vel concedentur, proprium ejuſdem generis codicem, in quo illæ exſcribantur, accurate confectum, aut tabellam ejuſdem generis in Sacriſtia habeant: illarum exemplari in Archivio, vel in Sacriſtia, aſſervato.* = Eundem vero abuſum, alioſque, quos in Sacrarum Indulgentiarum perceptione ex hominum malitia, ignorantia, aliiſque cauſis irrepſiſſe animadverterat, Summo Pontifici emendandos propoſuit: quorum decimus quintus, & duo proxime ſequentes erant: in Summariis, quæ communi lingua fiunt, ſæpe exprimi falſa, & ab ipſis Bullis aliena: falſas Indulgentias pro veris circumferri (ut habetur ex Concilio Mediolanenſi V. celebrato anno MDLXXIX.), multis in locis populo Indulgentias proponi, quarum origo ignota eſt, nec ullis certis argumentis earum auctoritas comprobatur. Tandem ſubjecit remedia, quæ his incommodis adhiberi poſſe exiſtimabat his verbis. = *Ne edantur Summaria, niſi collationata*

ta, & ſubſcripta ab Ordinario loci, ſeu ejus Vicario. Bullarum tranſumptis fides non adhibeatur, niſi ſint collationata, & ſubſcripta, & ſigillo munita alicujus Metropolitani, ſeu ejus Vicarii. Omnes Indulgentiæ Epiſcopis inſpiciendæ, & examinandæ tradantur, qui legitimas probabunt, reliquas nulla authoritate roboratas rejicient. = Hæc Sanctiſſimus, ac prudentiſſimus Antiſtes: qui examen, atque judicium Indulgentiarum, utque uno verbo dicam, rem hanc omnem Epiſcopis adjudicare videtur: quos vult cunctas Indulgentias recognoſcere, ut veras atque legitimas probent, falſas & indiſcretas rejiciant: nec ullum unquam hominem ſine ipſorum authoritate Indulgentias poſſe publicare juxta Tridentini Decretum mox laudatum.

Et ſane fatentur omnes Doctores hoc examen ad Epiſcopum, non ad Inquiſitorem pertinere: quoties ſcripto tantum, vel inter concionandum voce publicandæ ſunt Indulgentiæ. Verum ſi liber, aut folium continens Indulgentias imprimi debeat; non apparet ratio, cur ſit omnino excludendus Inquiſitor a munere illa inſpiciendi, & conſiderandi, qui omnium imprimendorum jure cenſor habetur, & eſt: ut in Regula X. Indicis Librorum Prohibitorum legimus: non quidem ut Brevia, & Bullas conferendo, judicet de Indulgentiis, quas approbavit Epiſcopus (cujus judicium eum oportet revereri) ſed ut caveat ne per incuriam aliquid excidat Epiſcopo, quod a communibus legibus ſit alienum, aut de quo jam conſtet conceſſum fuiſſe, & poſtea revocatum. Et ideo (ut refert Eminentiſſimus Albitius in ſuo opere de *Inconſtantia in fide cap. 40. n. 125.*) Sacra Congreg. S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis ſub die 6. Auguſti MDCLIII. decrevit = *Approbationem Indulgentiarum, & licentiam illas imprimendi ſpectare ad Ordinarios: ſed eoſdem Ordinarios teneri communicare tenorem earundem Indulgentiarum imprimendarum Inquiſitoribus, ut concorditer videant, an ſint veræ, vel falſæ, ſed hoc nequaquam de Indulgentiis Plenariis intelligi, quæ aliquibus Eccleſiis conceduntur, vel Cappellis per Brevia occaſione ſolemnitatum particularium* = Et cum Epiſcopos, vel eorum Vicarios nimis faciles eſſe deprehendit in dandis licentiis imprimendi, & publicandi Indulgentias, ſolet reſcribere = *Ne imprimantur, vel publicentur ſine participatione Inquiſitoris* = ut reſponſum fuit 29. Martii, & 19. Junii MDCXIX. Inquiſitori, & Epiſcopo Vercellenſi.

Manifeſtos igitur abuſus, atque Indulgentias palam indiſcretas, & falſas, vel eas de quarum veritate prudenter dubitatur, imprimi non ſinant Epiſcopi, & Inquiſitores: ſed de illis deferant ad Sacram Romanam Inquiſitionem, vel ad Eminentiſſimos Patres Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum, quibus fel. record. Clemens IX. univerſum Indulgentiarum negotium demandavit: ut habetur ex verbis Conſtitutionis incipientis: *In ipſis Pontificatus Noſtri primordiis* relatæ 1. p. *In diſſert. proœmial. §. 7. n. 26.* ibi = *cum facultate .... falſas, & apocryphas, indiſcretaſque Indulgentias typis imprimi vetandi, impreſſas recognoſcendi, & examinandi: ac ubi Nobis, ſeu Romano Pontifici pro tempore exiſtenti retulerint; Noſtra ſeu illius authoritate rejiciendi.* = Inſuper ſi ſemel Indulgentiæ a prædictis Sacris Congregationibus falſæ, & Apocryphæ declaratæ ſunt; Sacra Romana, & Univerſalis Inquiſitio, necnon Inquiſitores poſſunt contra eas imprimentes, & publicantes procedere: ut tradit Eminentiſſimus Albitius *loco citato n. 72.* Quanquam enim præſumatur id quæſtus gratia fieri, ita ut in illis nulla hæreſis ſuſpicio cadere videatur; attamen cum crimen ſit, quod hæreſis ſuſpicionem poſſit involvere: ac ſit valde Reipublicæ, & fidelium animabus perniciosum; ideo hæc facultas Inquiſitoribus collata eſt: non tamen privative quoad Ordinarios. Hinc Sacra Romana, & Univerſalis Inquiſitio ſub die 5. Decembris MDCXL. reſcripſit Nuntio apud Helvetios = *Ut ſupprimeret Summarium Indulgentiarum, quæ aſſerebantur conceſſæ Confraternitati Suffragii, Gallico Idiomate impreſſum: carceris pœna animadverteret in eum, ad cujus inſtantiam fuerunt impreſſæ: & mortificaret Parochum, qui Indulgentias apoſtillaverat* = Et ſub die 26. Septembris MDCXLVI. fuit reſcriptum Epiſcopo Sorano Miniſtro Supremæ Neapoli

poli reſidenti = *Indulgentias, quæ aſſerebantur conceſſæ Roſario Comitis de Lemos eſſe falſas, & ideo procederet contra falſarios.*

Cum anno MDCXXXI. nonnulli eleemoſynarum quæſtores, pro Eccleſia Beatiſſimæ Virginis Montis-ſerrati, quaſdam Indulgentias publicarent, quas a variis Summis Pontificibus dictæ Eccleſiæ conceſſas aſſerebant; prædicta Sacra Congregatio literas dedit ad Inquiſitorem Novarienſem, ne ſineret eas publicari. Verum quia inter illas plures veras reperiri exiſtimabatur, fuerunt poſtea datæ literæ Encyclicæ ad Ordinarios Italiæ, die 3. Maii anno MDCXXXVI. tenoris ſequentis = *Anno i Sommi Pontefici in varj tempi conceduti e privilegi, ed Indulgenze al Monaſtero della Madonna di Monſerrato, nelle parti di Catalogna, perche concorrendo tutta la Criſtianità a viſitare quella Santa Imagine, i Fedeli, ne riportano per lo più le grazie, che chiedono, e ſono per tre giorni continui ſpeſati con ſomma carità da' Padri di S. Benedetto, che ivi dimorano: onde per ſovvenire alle ſpeſe graviſſime, che per l'Oſpitalità continua, e per lo mantenimento del Monaſtero, e fabrica della Chieſa vi ſi fanno, è ſtato ſolito deputarſi da un Procuratore di quel Monaſtero, che riſiede in Napoli, e talora in Roma, una, o più perſone, le quali vanno per le Città d'Italia raccogliendo elemoſine, ed aggregano quelli, (che vogliono partecipare dell' Orazioni de' Romiti, e de' Monaci di quel luogo, e dell'Indulgenze medeſime) alla Confraternita, che vi è ſotto l'invocazione della Beatiſſima Vergine. Queſt' opera di carità così riguardevole, ed eſemplare è ſtata alle volte eſercitata con quel ordine, che vien preſcritto da Sagri Canoni, e particolarmente dal Sagro Concilio di Trento. Ma perche ſi può con difficoltà riparare alle ſottigliezze del Demonio, il quale traſformato in Angelo di luce, ſuol tal volta ingannare i ſemplici, per le vie medeſime, che ſono indrizzate per la ſalute; è ſucceduto ben ſpeſſo, che da perſone poco timorate di Dio, ſotto tal preteſto ſono ſtate diſpenſate Indulgenze apocrife, e deluſe le pie perſone, le quali tirate dalle luſinghe del bene, anno lor compartite larghe elemoſine, ſenza riceverne beneficio veruno, e ſenz' utile, anzi con molto diſcredito di quel Monaſtero. Onde per riparare alle fraudi, che ſi poteſſero commettere per l'avvenire, ha queſta Sagra Congregazione del Sant'Offizio riſoluto, che non ſi ammetta da VS. in codeſta Dioceſe alcun Queſtuante, per lo Monaſtero di Monſerrato di Catalogna, ſe non con le condizioni infraſcritte. Prima, ch' egli moſtri a VS. licenza autentica ſottoſcritta dal Padre Fra Giuſeppe Apoſtolo di Caſtiglia Procuratore Generale del medeſimo Monaſterio di poter cercar elemoſina, per lo ſovvenimento di quel luogo. Seconda, ch' egli non predichi, ne porti campanello, ne diſtribuiſca medaglie, grani, reliquie, o altre imagini, nè meno publichi Indulgenze concedute al detto Monaſtero, ma la publicazione di eſſe ſi faccia in giorno feſtivo al Popolo da qualche Predicatore, ſe ſarà in tempo, che ſi predichi, o veramente da' Parochi nelle loro Chieſe, ed un eſemplare di eſſe ſtampato ſi laſci affiſſo alla porta della Chieſa Catedrale, o Parochia, ove ſarà ſtato letto, acciocchè ognuno lo poſſa vedere, ne ſi dia ad intendere al Popolo da chi che ſia una coſa per un altra. Terza, ch' egli abbia un libro ſegnato parimente dal medeſimo Padre Fra Giuſeppe, ove ſi notino da lui l'elemoſine, che di mano in mano andarà raccogliendo in ciaſcuna Dioceſe, ed i nomi di quelli, che ſi vorranno aggregare alla Confraternita della Beata Vergine di Monſerrato. Quarta, ch'egli da ſe non vada alla cerca, ma in compagnia di perſona da bene, e di cui non poſſa ſoſpettarſi di alcuna fraude, aſſegnatali da VS. o dal ſuo Vicario Generale, e nelle Ville o altrove, dal Vicario Foraneo, o da' Parochi de' luoghi, dove ſi farà la cerca. Quinta, che quella perſona, che ſarà deſtinata a far la cerca, con l'inviato dal Padre Fra Giuſeppe ſottoſcriva di ſua mano le partite dell' elemoſine nel libro, che porterà ſeco il Queſtuante foraſtiero, e quando ella non ſapeſſe ſcrivere, ſi debba fare la ſottoſcrizzione dal Parocho delle Ville, o de' luoghi, ove ſarà fatta la cerca. E con tali condizioni, e non altrimenti ella per-*

met-

metterà, ed aſſiſterà a quelle perſone, che avranno la cura di eercare le ſudette elemoſine, non oſtante qual' altro commandamento in contrario: che tal' è il ſenſo di queſti miei &c.

§. II.

Quæ obſervanda ſint pro examine Indulgentiarum: an legitimæ ſint, vel Apocryprhæ?

UT Epiſcopi, & Inquiſitores, (idem dic de Conſultoribus, quibus examen Indulgentiarum committitur a Sacris Congregat. ſupra ſæpius memoratis) debita cautela in earundem Indulgentiarum judicio ferendo procedant; obſervandum eſt primo: oportere Brevia, & Bullas ipſas Indulgentiarum cum earum foliis, atque Summariis conferri: ut queat dignoſci an vere conſtet de hujuſmodi gratiis ab Apoſtolica Sede impetratis: & an citra ullam additionem, vel diminutionem ſenſus Brevium fideliter exprimatur. Et ideo S. Rom., & Univerſalis Inquiſitio reſcripſit Inquiſitori Conien. ſub die 12. Sept. MDCXL.= *Mandatum fuiſſe Epiſcopo ejuſdem Civitatis, ne admitteret Indulgentias, & privilegia, ut præſumitur, conceſſa Societati Suffragii aggregatæ Religioni Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis captivorum, niſi prius viſis Bullis originalibus earundem* = Non raro ſiquidem illud, quod in Brevibus, & Bullis Plenaria Indulgentia nominatur, in Summariis, & foliis Jubilæi titulo exprimitur. Quod maxime cavendum in Indulgentiarum publicatione recte monet Suarius *in 3. p. diſp. 50. ſect. 4. n. 8.* his verbis = *Adnotare debent, qui denuntiant, vel prædicant Indulgentias: ne ſimplicem Indulgentiam Plenariam nomine Jubilæi pronuntient: ne fortaſſe aliqui decipiantur, putantes non tantum propriam Indulgentiam, ſed etiam alios favores, ſeu privilegia eis concedi: quia nomen Jubilæi juxta adæquatam ſignificationem hæc omnia in rigore complectitur* = Et ideo cum Fratres Minores Conventuales Indulgentiam *Portiunculæ* nuncupatam in forma Jubilæi publicarent; Sacræ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Decreto die 12. Sept. MDCLVII. præſcriptum fuit Procuratori Generali dicti Ordinis, (ut refert Card. Albitius *loco pluries citato n. 129.*) ut per epiſtolam encyclicam Guardianos Conventuum admoneret: ne inpoſterum prædictam Indulgentiam ſub nomine Jubilæi publicarent, ſed præciſe juxta formam, qua publicatur Romæ.

Quinimo licet Bullæ, & Brevia olim edita pro Confraternitatibus, aliiſque Congregationibus ante Conſtitutionem Clementis VIII. incipientem *Quæcunque*, Jubilæum, ac facultatem obtinendi abſolutionem a Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis exprimerent; attamen cum per dictam Clementis Conſtitutionem, aliaque Apoſtolica Decreta ea facultas fuerit revocata, (ut dictum eſt *cap. 2. hujus ſecundæ Partis art. 2. § 3.*) nunc debet ejuſmodi Indulgentia ſub nomine Plenariæ duntaxat publicari, non vero ſub appellatione Jubilæi: niſi aliunde conſtaret id ſpeciali conceſſione denuo fuiſſe indultum a memorata Sede Apoſtolica. Illud inſuper de Indulgentiis, quæ ſub Jubilæi nomine circumferuntur, minime prætereundum exiſtimamus, quod quotquot aſſeruntur conceſſæ ante initium Sæculi XIV. eſſe omino falſas. Afferri poſſet fortaſſe in oppoſitum Breve Alexandri III. cujus initium eſt: *Regis æterni*, ex quo Ferdinandus a Caſtropalao *p. 4. de Sacramentis tr. 24. diſp. unica puncto 12. §. 2.* colligit Jubilæi conceſſionem a Summis Pontificibus Calliſto, Eugenio, & Anaſtaſio Eccleſiæ Sancti Jacobi in Compoſtella factam, a memorato Alexandro Pontifice fuiſſe confirmatam, ibi = *Nos igitur ad hoc prædeceſſorum noſtrorum Sanctæ Memoriæ ejuſdem Calliſti Papæ, ac Eugenii, & Anaſtaſii veſtigiis inhærentes, ad gloriam Omnipotentis Dei, totiuſque Religionis Chriſtianæ augmentum, quæ ipſius glorioſum Apoſtolum, ad ejus Eccleſiam Compoſtellanam hujuſmodi devotionis cauſa de diverſis Mundi partibus, dimiſſis parentibus, amicis, liberis, patria, ac aliis temporalibus bonis, per mare terramque continue confluunt in numero copioſo,*

Digitized by Google

ſo, quique animarum ſalutem ſupremis deſideramus affectibus, & dignis volumus honoribus frequentari, & ut ipſi Chriſtifideles in eadem ſe recognoſcant Eccleſia Chriſti muneribus refectos; de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, omnes & ſingulas prædictas Indulgentias, & Jubilæum ipſum eodem modo & forma, quo Romana Eccleſia habet, etiam ſe lætetur Compoſtellana Eccleſia, pro ſingulari Beati Jacobi devotione tenere: anno videlicet quo, ut præfertur, feſtum dicti Apoſtoli Jacobi in Dominica venerit, & per totum annum integrum, ut præmittitur, necnon in diebus illis, ſcilicet Sancti Jacobi, & tranſlationis Corporis ſui, & dedicationis ejuſdem Eccleſiæ Plenariam Indulgentiam annuatim conſequantur viſitantes prædictam Eccleſiam, ut præfertur, Authoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia approbamus, roboramus, & communicamus, ac perpetuæ firmitatis robur tenere in perpetuum decernimus: & inſuper illas de novo eiſdem modo, & forma in omnibus, & per omnia, ut ſupra conceſſum fuit, concedimus, & indulgemus, & perpetuis volumus futuris temporibus duraturas, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis = Nos tamen, qui non obeſis naribus hujuſmodi conceſſiones excipimus, hoc, quod aſſeritur Alexandri III. Diploma, ad Apocrypha tranſcribimus; neminem enim ex viris eruditis latet ante Clementem VI., qui inauguratus fuit Pontifex anno MCCCXLII. in Indulgentiarum Diplomatibus Jubilæi vocabulum non fuiſſe uſurpatum. Clemens enim laudatus Annum Sanctum ex centeſimo ad quinquageſimum reducens, Conſtitutione incipiente *Unigenitus* in Indulgentiæ Plenariæ conceſſione primus inter Romanos Pontifices Jubilæi appellationem adhibuit. Diximus: *ante Clementem VI. in Indulgentiarum Diplomatibus Jubilæi vocabulum non fuiſſe uſurpatum*: quanquam enim Bonifacius VIII. in declaratione Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Baſilicam S. Petri de Urbe quolibet anno Sæculari recurrente, edita ſub finem anni MCCC. his verbis uſus fuerit = *Annus iſte Jubilæus finitur* = nullibi tamen in Conſtitutione incipiente *Antiquorum*, ubi eam Indulgentiam innovavit, atque in ſcripturæ paginam redegit, Jubilæi verbum adhibuit. Vide dicta in *differt. proœm.* §. 5.

Obſervandum eſt 2.° quod ubi Brevia, & Bullæ Indulgentiarum non extant, nec inſpici poſſunt, uti evenit in antiquis, ſi Indulgentiæ ſint vel ex authenticis Eccleſiarum tabulis excerptæ, vel a gravibus probatiſque Authoribus relatæ, poterunt abſolute tanquam veræ & legitimæ exiſtimari: iis vero, de quibus nulla proferri poſſunt authentica documenta (dummodo ex capite exceſſus non repugnent) affingi poſſet proteſtatio in libro, vel folio imprimendo, in qua declaretur, permitti ut imprimantur illæ Indulgentiæ, donec aliter a Sanctitate Sua, vel a Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum fuerit declaratum: ac in omnibus Romanæ Curiæ ſtilum attendi debere. Apud Lavorium legimus in *Tract. de Indulgentiis pagina mihi* 195. Sacram Indulgentiarum Congregationem conſulenti ſuper Indulgentiis, quæ aſſeruntur conceſſæ viſitantibus Regularium Eccleſias, anno MDCVII. ita reſpondiſſe = *Illas a Paulo V. in Conſtitutione* 21. *non revocari: & permitti poſſe ut imprimantur, donec aliquid ea de re decernat Apoſtolica Sedes* = Hujus reſponſionis imitatione, proteſtationem, ſeu permiſſionem ad tempus concipiendam exiſtimamus, qua ii, ad quos pertinet Indulgentias imprimendi veniam dare, exemti erunt ab onere ſingulas examinandi, vitabiturque periculum falſa pro veris approbandi, nimiæque ſeveritatis offenſio ob denegatam imprimendi facultatem: nullum vero tunc ex impreſſione facta hujuſmodi Indulgentiis authoritatis pondus accedet, ſed Chriſtifideles cautiores fient, nec temere credent cuicunque Indulgentiæ, quam impreſſam invenient. Cæterum ſi antiquæ Indulgentiæ, quæ publicandæ, vel imprimendæ proponuntur, ita authenticis deſtitutæ ſint monumentis, ut ab antiqua Eccleſiæ diſciplina diſcordent, Apocryphæ cenſendæ ſunt: & ideo Baronius *ad annum MCLXXVII. num.* 49. riſu dignam appellat Indulgentiam, quam Anconitani ab Alexandro III. ſe accepiſſe gloriabantur: percipiendi ſci-

ſcilicet primis diebus Dominicis ſingulorum menſium tantum remiſſionis pœnarum temporalium, quantum arenæ poſſent capere ambæ manus ſimul junctæ: cum enim alteram legitimam Pontificis laudati retuliſſet, unius anni de criminalibus, & ſeptimæ partis de venialibus, juxta id quod vetus, ac recepta tunc Eccleſiæ diſciplina ferebat, ſubdit = *Quibus videas uſum ejus temporis concedendi per Romanos Pontifices Indulgentias, quæ unius anni terminum non excederent, præter quam in expeditione Terræ Sanctæ. Ut conſtat ex aliis aliorum etiam Pontificum Diplomatibus. Quibus redarguuntur ſcripta, quibus proditur conceſſum ab eodem Pontifice primis diebus Dominicis ſingulorum menſium Anconitanis tantum Indulgentiarum, quantum arenæ poſſent capere ambæ manus ſimul junctæ. Quæ digna riſu, quanvis nullo penitus veritatis teſtimonio fulciatur, pluribus tamen contradictionibus locorum, temporum, rerumque geſtarum facillime convelluntur, ut Lector ea videns, & iſtis quæ dicta ſunt, atque dicenda conferens perfacile recognoſcet.*

Non me latet Petrum Mariam Campi *tomo* I. *Hiſtoriæ Placent. lib.* 12. non admittere morem hunc tam parce dandi Indulgentias Sæculo XI. & XII. fuiſſe ſervatum; propugnandas enim ſuſcipiens peccatorum remiſſiones quotidianas innumerabilium fere annorum Eccleſiæ S. Mariæ Campaniolæ, quæ ab Urbano II. dicebantur conceſſæ anno MXCV. Baronium refellere conatur, tanquam ſi pugnantia loquatur: & refert ex ipſo Scriptore Urbanum anno MXCII. Baſilicam Monaſterii Cluniacenſis ad Cavam Metallianam conſecraſſe, eique Plenarian Indulgentiam conceſſiſſe: alteri vero Eccleſiæ, & Cappellæ illius Monaſterii ſeptem annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ: ut colligitur ex verbis Pontificii Diplomatis dati Petro Cœnobii Cavenſis Abbati, & Succeſſoribus canonice promovendis = *Ut quicunque in ſtatu pœnitentiæ Domino opitulante fuerit poſitus, & ad dictum locum accedens, fuerit ibi uno die ante ipſius Baſilicæ conſecrationem, & per totum diem ſequentem, necnon in die Jovis Sancti, atque per totum diem Veneris Sancti ſequentem; de omnibus peccatis, de quibus vere contritus fuerit, & confeſſus, illam Indulgentiam, & veniam a Domino conſequatur, quam meretur in eundo, & redeundo ad Sanctum Jacobum Compoſtellanum. Reliquis vero temporibus, & diebus ſingulis cauſa devotionis illuc accedentes, quatuor annorum, & totidem quadragenarum Indulgentiam ſuorum peccatorum obtineant, de Sedis Apoſtolicæ gratia ſpeciali. Qui vero ad Cappellam tuam ſitam in eodem Monaſterio, ac eodem die conſecratam per Venerabilem Fratrem Noſtrum prædictum Brunonem Epiſcopum Signinum, in diebus, & feſtivitatibus ſupradictis venerit; ſeptem annos, & totidem quadragenas de Indulgentia pro ſuis peccatis confeſſis a Domino conſequatur. Accedentes ſimiliter ad Eccleſiam conſtructam in Caſali, eidem Monaſterio adjacenti, & eminenti, dedicatam ipſo die per Venerabilem Fratrem Noſtrum Rungerium Epiſcopum Regitanum in diebus & feſtis prædictis, necnon & in omnibus Feſtivitatibus Virginis glorioſæ, ad cujus vocabulum conſtructa eſt Eccleſia memorata; ſeptem annos, & quadragenas totidem de Indulgentia a Domino promereatur* = Quæ ſi vera eſſent, apertiſſime demonſtrarent, tantam non fuiſſe veterum Pontificum uſque ad Alexandrum III. in dandis Indulgentiis moderationem, quantam ſcribit Baronius, nec inde lapidem lydium erui poſſe, quo antiquæ Sæculi XI. & XII. vel veræ, vel falſæ probentur.

Vereor tamen, ne hoc Cavenſis Monaſterii Diploma ſit undequaque ſincerum: quia Indulgentia Plenaria, de qua ſcribit Petrus Maria Campi, præceſſiſset Concilium Claromontanum anno MXCV. celebratum, ubi ejuſmodi largitionibus initium datum videtur in gratiam omnium, & ſingulorum, qui militari teſſera ſuſcepta, vitam ſuam recuperando Sepulchro Domini, ac Terræ Sanctæ devovebant. Rurſus ibi ſit mentio alterius conceſſionis Indulgentiarum jam factæ, pro peregrinantibus ad Templum Sancti Jacobi in Compoſtella, quæ quidem an ſit recipienda, Lector judicet. Nemo quippe ibit inficias in Eccleſiaſtica hiſtoria

quan

quantunvis leviter inſperſus, Scriptores, Compoſtellanas Indulgentias quam altiſſime repetentes, non ultra Calliſtum II. aſcendere (teſte Papebrochio in ſuis *Paralipom. differt.* 29.) hic vero ſucceſſit Urbano poſt viginti annos: cum fuerit Summus Pontifex electus anno MCXIX. illo viam univerſæ carnis ingreſſo anno MXCIX. ut tradunt Simon Dunelmenſis in *Hiſt. de Geſt. reg. ad dictum annum*, & Falco Beneventanus in *Chronico*. Eximia enim devotio Calliſti erga Sanctum Jacobum Apoſtolum in Eccleſia Compoſtellana tumulatum fuit potiſſima ratio, quare nedum ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum Metropolitanum de novo conſtitueret, ſed etiam ut eo devotionis cauſa peregrinantes peccatorum remiſſionibus invitaret = *Anglos peregrinos* (inquit Willelmus Malmesburienſis) *magis ad dictum Sanctum, quam Romam peregere admonuit* Calliſtus *pro viæ longitudine ad dictum locum, bis euntibus idem benedictionis refundendo commodum, quod haberent, qui ſemel Romam irent* = Tandem ex capite exceſſus Indulgentiarum contra aſſertam Urbani conceſſionem aliud non contemnendum depromitur argumentum. Eccleſiæ ſiquidem monumenta declarant (quod veriſſime dixit Baronius) maximam in concedendis Indulgentiis moderationem veteres adhibuiſſe: ut patet legenti Concilium Lateranenſe IV. *can.* 62. & Tridentinum *ſeſſ.* 25. *In Decr. de Indulg.* Et profecto S. Thomas Aquinas, qui multis annis floruit poſt Urbanum II. & Alexandrum III. in *lib.* 4. *ſent. diſt.* 20. *quæſt. unica* teſtatur, tunc Pontifices eam moderationem retinuiſſe = *Papa*, inquit, *in generalibus abſolutionibus illis, qui tranſeunt mare, dat quinque annos. Illis qui tranſeunt montes, tres. Aliis unum* = De quotidiana vero, perpetuaque Indulgentia differens, affirmat, Eccleſiæ Sancti Petri Urbis Indulgentiam quadraginta tantum dierum fuiſſe conceſſam. Et Nicolaus IV. circa annum MCCXC. Apud Onuphrium Panvinum in *Libello de ſeptem Eccleſiis* Indulgentiarum ſummam Baſilicæ Sancti Petri colligens, ut eas ſua confirmatione roboraret, ſic Bullam orditur = *Sicut ad nos tam ex ſcriptis antiquis in Baſilica ipſa repertis, quam ex ſeniorum Canonicorum ejuſdem Baſilicæ relatione pervenit, Prædeceſſores Noſtri omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ad præfatam Eccleſiam venientibus reverenter, videlicet in Nativitate Domini.... ſeptem annorum, & totidem quadragenarum: & ab Octavis Pentecoſtes hinc ad Feſtum ipſius B. Petri ..... die quolibet trium annorum, & trium quadragenarum... a principio Quadrageſimæ uſque ad Feſtum Paſchæ quolibet die, necnon & in Feſtivitatibus B. M. unius anni, & quadraginta dierum remiſſionis: & reliquis ſingulis anni diebus quadraginta dierum remiſſiones ſuorum peccaminum conceſſerunt.* = Quis ergo ſentiet mille annorum Indulgentiam quotidie conſequi pergentes ad Templum Sanctæ Mariæ Campaniolæ, vel Plenariam adeuntes Compoſtellam: cum celeberrimæ omnium Eccleſiæ Sancti Petri de Urbe quadraginta tantum dies ſub finem Sæculi XIII. conceſſi reperiantur: eoque adeuntibus die Nativitatis Domini partialem ſeptem annorum non exceſſerint? Quo rationis momento ductus Papebrochius in Paralipomenis ad Innocentium III. rejicit Indulgentiarum ſynopſim, quæ in Eccleſia Cryptæ ferratæ ſitæ in Agro Tuſculano excuſa reperitur his verbis = *Innocentius III. omnibus fidelibus confeſſis, & contritis iſtam Sanctam Eccleſiam devote viſitantibus diebus Dominicis, & Feſtivitatibus Sanctorum Apoſtolorum, & illorum Martyrum, quorum reliquiæ hic ſunt, & etiam S. Joannis Baptiſtæ Feſtivitatibus prædictis Papa conceſſit omnium peccatorum tertiæ partis remiſſionem, & mille annos Indulgentiæ. Aliis vero diebus medietatem iſtarum Indulgentiarum Bonifacius VII. confirmavit* = *Credo* (inquit Papebrochius) *ſcribi debuiſſe Bonifacium VIII. nam ſeptimus plus quam ducentis annis Innocentium III. præceſſit. Errorem igitur numeri excuſo, ſed credere non poſſum, aut Bonifacium confirmaſſe, aut Innocentium conceſſiſſe pro Eccleſia Cryptæ ferratæ annorum millenorum Indulgentias, quando ipſius Baſilicæ Vaticanæ majores Indulgentiæ (ut ſupra oſtenſum eſt) haud ultra ſeptem annos, ac ſeptem quadragenas extendebantur.*

Ex quibus colliges Indulgentias antiquas,

quæ a probatis Authoribus magnæ vocantur, non eſſe publicandas velut Plenarias, niſi alia ratio ſuadeat, eas non eſſe partiales, ſed totales. Cum de Indulgentis Eccleſiæ Trecoricenſis, quas magnas fuiſſe veterum traditio probabat, confirmabatque Clemens Quintus vel Sextus hujus nominis Conſtitutione Avenione lata, & temporum injuria majori ex parte combuſta, plurimi Doctores ambigerent: An a Plenaria differrent; cauſa fuit mittendi Romam Petrum de la Grue Chatel Theologum Pariſienſem, ejuſque Cathedralis Canonicum, qui dubium Clementi IX. exponeret, atque ab eo dubii ſolutionem, ac earundem Indulgentiarum confirmationem expeteret; re ad Sacram Congregationem Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum delata ſub die 19. Novembris anno MDCLXIX. Abbas Riccius dictæ Congregationis a Secretis allatis pluribus exemplis: ut oſtenderet quam parca manu veteres illi Pontifices Indulgentias largirentur; aſſeruit Durandum a S.Portiano, qui obiit novem annis antequam ad Summum Pontificatum Clemens VI.aſcenderet, in 4. *Sent. diſp.* 20. *quæſt.* 4. Indulgentiam viginti annorum magnam appellaſſe: fuitque in voto eas Indulgentias magnas in Conſtitutione laudata nuncupatas a Plenaria differre.

Ut vero intelligas, quomodo publicandæ ſint Indulgentiæ, quæ poſt Sæculum decimum quartum reperiuntur conceſſæ Eccleſiis occaſione feſtivitatum Sanctorum, quando in Brevibus adderetur expreſſio=*Pleni Jubilæi*:*Jubilæi*: *in forma Jubilæi*: afferimus hic dubium in Sacra Congregatione Indulgentiarum &c. excitatum, ejuſque reſponſionem. Inter cætera ſpiritualia munera, quibus Sanctæ Memoriæ Pius IV. Collegium, ſeu Confraternitatem Scribentium de Urbe decoravit Brevi, quod incipit: *ex debito Paſtoralis Officii* edito Nonis Auguſti anno MDLXI., conceſſit Confratribus, aliiſque utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, vere pœnitentibus & confeſſis, ſeu confitendi propoſitum habentibus, qui illorum Eccleſiam viſitaverint diebus feſtis Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Joannis Evangeliſtæ, & Nicolai Plenariam Indulgentiam, *plenumque Jubilæum* his verbis = *Necnon de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, illis ac aliis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus omnibus, & ſingulis vere pœnitentibus, & confeſſis, ſeu confitendi propoſitum habentibus, qui in Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, & eorundem Sanctorum Joannis Evangeliſtæ, & Nicolai feſtivitatum diebus, a primis veſperis uſque ad occaſum Solis ſingulorum eorundem dierum, Sancti Thomæ, ſeu alium Eccleſiam, ſive Cappellam, ubi Confraternitas ipſa pro tempore tranſlata fuerit, annis ſingulis devote viſitaverint; quoties id fecerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, plenumque Jubilæum auctoritate, & tenore prædictis concedimus & elargimur* = Huic conceſſioni innixi Confratres prædicti ſpatio centum & plurium annorum (ut aſſerebant) duas tabulas cum inſcriptione *Jubilæum perpetuum* in viis ad eorum Eccleſiam perducentibus exponere conſueverunt. Verum cum Eminentiſsimus Urbis Vicarius de mandato Sanctæ Memoriæ Innocentii XI. habito vivæ vocis Oraculo, vetuiſſet ne Confeſſarii in Urbe ejuſque Diœceſi a reſervatis abſolverent vigore Indulgentiæ Plenariæ *in forma Jubilæi* a Pio IV. diverſis ejuſdem Urbis Eccleſiis olim conceſſæ, niſi præterea fuiſſet tributa nominatim facultas abſolvendi a reſervatis; prædicti Confratres humillimas preces porrexerunt Sanctæ Memoriæ Clementi XI. pro obtinenda facultate denuo tabulas cum eadem inſcriptione exponendi: iiſdemque precibus de more ad dictam Sacram Congregationem remiſsis, propoſito ſequenti dubio = *An ſupradicta expoſitio Tabularum, cum inſcriptione* Jubilæum perpetuum *diebus feſtis Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, ac Sanctorum Joannis Evangeliſtæ, & Nicolai Oratoribus in poſterum permitti debeat* = Die 14. Decembris anno MDCCXVI. exhibitis juribus pro prædictis Scriptoribus cumulatis, atque expenſis verbis conceſsionis Pii IV. reſponſum fuit: *Negative*. Hinc inferes cunctas Indulgentias, etiam in Brevibus conceſsionum ſupradictis formulis expreſſas, niſi ibi additur clare conceſsio facultatis obtinendi abſolutionem a caſibus Sedi

di Apoſtolicæ reſervatis, publicandas non eſſe ſub nomine Jubilæi.

Obſervandum eſt 3°. plurimas reperiri Indulgentias antiquas, tum locales, tum perſonales cum clauſula = *Pro porrigentibus manus adjutrices* = de quibus aut ſit mentio apud probatos authores, aut Summorum ipſorum Pontificum Diplomata poſſunt exhiberi: quæ tamen remiſſiones licet olim ſuum valorem obtinuerint; nunc vero poſt Conſtitutionem S. Pii V. incipientem: *Etſi Dominici Gregis* relatam in 1.*p.differt. Proemial.* §.7. n.24. omnes revocationi manent obnoxiæ: idcirco nequeunt ut legitimæ publicari, niſi fortaſſe Sancti Pii V. Succeſſores eas pro peculiaribus Eccleſiis, vel Congregationibus revalidaſſe compertum ſit, dempta dicta clauſula, novoque onere ſubſtituto certas preces devote recitandi, vel aliud pium opus peragendi: ſicut præſtitit Gregorius XIII. Brevi incipiente: *Ut laudes* edito ſub die 18. Septemb. MDLXXVII. pro viſitantibus Eccleſias B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo, & alio cujus initium eſt: *Ad augendam* emanato ſub die 16. Decembris MDLXXVIII. pro Confratribus,& Conſororibus Cincturatis Sanctorum Auguſtini & Monicæ.

Obſervandum eſt 4°. Indulgentias Plenarias, quæ aſſeruntur conceſſæ recitantibus duntaxat pauca verba, ſemper de veritate ſuſpectas reputandas eſſe: juxta Decretum Sacræ,Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis editum ſub die 4. Auguſti MDCLXXVI. quod tamen intelligendum non eſt de Indulgentiis in articulo mortis.

Obſervandum eſt 5°. Indulgentias Eccleſiis conceſſas, cum ſolitis reſtrictivis, ſeu cum clauſula de ſtilo Sedis Apoſtolicæ in nonnullis Brevibus apponi conſueta = *Volumus autem, ut ſi alias Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, præſentes literæ nullæ ſint* = eſſe prorſus irritas & inanes, ſi ab eodem, vel alio Summo Pontifice alia Indulgentia, aut Plenaria, aut partialis, perpetua, vel ad tempus nondum elapſum, generaliter conceſſa fuerit eandem Eccleſiam viſitantibus, vel Altare ejuſdem Eccleſiæ, de qua in Brevi, in quo dicta clauſula reperitur, expreſſam mentionem non fecerit Summus Pontifex. Id autem non eodem modo intelligendum eſt, ſi prius addita fuiſſet Plenaria Altaribus privilegiatis pro defunctis, vel Indulgentiæ fuiſſent conceſſæ certo perſonarum generi, aut Regularibus Confraternitatibus, Capitulo, vel certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus: ut Litanias aliaſque hujuſmodi preces recitantibus, ac iis qui in Chriſtiana fide erudiuntur, vel alios erudiunt: & iis qui Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ expoſitioni cum Oratione quadraginta horarum interſunt, vel Stationum Urbis, & ſeptem Altarium Indulgentiæ, ac inſtar Septem Altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſæ: ac demum, quæ pro unica vice conceduntur; tunc enim clauſula prædicta *Volumus &c.* ad iſtas Indulgentias non ſe extendit, nec irritas reddit: ut habetur in Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum edito die 23. Junii MDCLXXVI., & confirmato ab Innocentio XI. ſub die 18. Martii MDCLXXVII, quod nos ſupra retulimus *c.1.art.5* §.3. Hinc ſi in Brevibus Indulgentiarum prædicta clauſula fuerit reperta, fieri non debet earum publicatio, niſi conſtiterit non fuiſſe aliam Indulgentiam antea conceſſam, iis duntaxat exceptis, quarum mox mentionem fecimus.

Obſervandum eſt 6.° Cunctas Indulgentias pro Regularibus, etiam Ordinum Mendicantium Paulum V. revocaſſe Conſtitutione incipiente, *Romanus Pontifex* edita ſub die 23. Maii MDCVI. ut dictum eſt *cap.2.hujus ſecundæ partis art.5.§.3.* quapropter Bullæ, & Brevia ante dictam Conſtitutionem data admitti non debent, niſi prædictæ Indulgentiæ, vel ab eodem Paulo, vel ejus Succeſſoribus fuerint in priſtinum ſtatum reſtitutæ.

Obſervandum eſt 7.° Pro Indulgentiis per communicationem obtentis ab Ordinibus Regularibus, Congregationibus, Archiconfraternitatibus, Societate etiam Jeſu, Collegiis, aut eorum Officialibus, & Superioribus, quantumvis eorum mentio ſpecialis, & individua facienda eſſet; obſervandum inquam eſt, in Conſtitutionib. Clementis VIII. *Quæcunque*, & Pauli V. *Quæ ſalubriter* (de quibus vide ſupra *c. 2. artic. 2. §.3.*) præcipi, ut Confraternitates tam

tam erectæ & aggregatæ, quam erigendæ, juxta novam formulam a Sede Apoſtolica approbatam inpoſterum recipiant ab Archiconfraternitatibus, Congregationibus aggregantibus communicationem Indulgentiarum nominatim, & in ſpecie, atque earum duntaxat, quæ a memorato Paulo V. vel ejus Succeſſoribus conceſſæ ſunt: quapropter Indulgentiæ excedentes limites formæ ibi præſcriptæ ſuſpectæ cenſendæ ſunt, niſi doceatur de ſpeciali Privilegio Pontificio, vigore cujus Ordines Regulares, & Archiconfraternitates erigentes, & aggregantes, impetratas ante dictas Conſtitutiones Clementis VIII. & Pauli V. erectis, & aggregatis necnon erigendis,& aggregandis poſſint communicare. Hanc limitationem adjicimus, quia Paulus V. Brevi cujus initium eſt: *Cum olim* edito ſub die 22.Sept.MDCVIII.quo aliud ſuum Breve revocatorium Indulgentiarum antiquarum Confraternitatum Sanctiſſimi Roſarii abrogavit, illudque ad terminos juris reduxit, priſtino robori reſtituit antiquas Indulgentias conceſſas dictis Confraternitatibus canonice inſtitutis ubique locorum exiſtentibus: & Gregorius XV. idem præſtitit ſuo Brevi cujus initium eſt: *Injuncti nobis* emanato tertio Nonas Junii MDCXXI. pro Confraternitatibus Cincturatorum SS. Auguſtini & Monicæ. Hinc in publicandis Summariis Indulgentiarum Confraternitatum, quæ fuerunt obtentæ per communicationem, expendi debet, an inſertæ ſint Indulgentiæ contra formam a PauloV.præſcriptam.

Obſervandum eſt 8.° Pro Indulgentiis Realibus; Indulgentias conceſſas Coronis, Roſariis, Globulis, Crucibus, ac Numiſmatibus benedictis, a Summis Pontificibus ante Decretum Clementis VIII. relatum *cap. antecedenti* §. 4. non ſubſiſtere: ac veras & legitimas eas duntaxat eſſe exiſtimandas, quæ omnino formæ noviſſime Romæ impreſſæ cohærent, quam pariter dedimus loco citato.

His obſervatis citra erroris periculum diſcerni poterit, an Indulgentiæ, pro quibus fiunt preces, ut publicentur, vere ſint conceſſæ, vel potius confictæ: an olim veræ, & modo revocatæ: an authenticis probari poſſint monumentis, aut velut falſæ, Apocryphæ, & indiſcretæ ex capite exceſſus, & abuſus rejiciendæ ſint.

Quæres hic: An veræ & legitimæ, aut potius falſæ, & Apocryphæ cenſendæ ſint Indulgentiæ plurium millium annorum?

Dubium reſtringimus ad eas, quæ referuntur conceſſæ poſt Sæculum XIV. ſatis enim liquet ex nuper dictis hanc Indulgentiarum ubertatem ſtare non poſſe cum antiquiori Eccleſiæ diſciplina.

Ad probandum eas eſſe legitimas, dici poſſet:non raro homines vitæ præſentis illecebris deditos a Divinis, & Eccleſiaſticis Legibus deviaſſe, adeoque juxta veterum Canonum pœnitentialium diſciplinam ad mille & plurium annorum pœnitentiam ſubeundam obligari. Si enim quis ob unam vel alteram Mœchiam ſeptem, vel etiam pluribus annis Deo ſatisfacere tenebatur, quis poſſet annorum ſeriem enumerare pœnitentiæ laboribus percurrendam ab eo, qui ex inveterata conſuetudine ejuſmodi vitium,aliaque flagitia perpetrare minime dubitavit? Quid ergo mirum, ſi hanc computandæ pœnitentiæ rationem perſpectam habentes Summi Pontifices ad redimendum adeo longum pœnitentiæ tempus, plurium millium annorum Indulgentiam quandoque dederint.

Dominicus Soto *Commentarior. t. 1. diſt. 21. quæſt. 2. art. 1.* quærens quid dicendum ſit de Indulgentiis mille annorum, Reſpondet: *Dicendum quod hujuſmodi portenta nunquam Papa concedere cogitavit, ſed quia forſan conceſſit viſitantibus tale Hoſpitale decem annos, & viſitantibus talem Baſilicam totidem, & ſic pluries: ac tandem certam conferentes eleemoſynam facit participes illarum gratiarum, illa ratione conficiuntur illa milliaria.*

Idem de talibus Indulgentiis ferunt judicium Eſtius, Maldonatus, Joannes Molanus. Ab his non diſſentit Bellarminus *lib. 2. de Indulgentiis cap. 20.* libellos,a quibus hujuſmodi Indulgentiæ excerptæ ſunt, obſcuros vocans: monetque Kemnitium, acerrimum Sacrarum Indulgentiarum contemtorem, ut puriores adeat fontes ad hauriendam exactam Indulgentiarum Urbis notitiam: *Monendus eſt*, inquit, Kemnitius: *ut ſi noſſe cupit veras hiſtorias de Indulgentiis Romanis, non eas petat ab hoſtibus Eccleſiæ,qualis fuit Vveſſelus ille, quem ſæpiſſime citat, neque ab obſcuris Libellis,*

lis, qualem unum ſe vidiſſe dicit editum Norimbergæ, germanice ſcriptum, amplificatum de Stationum Romanarum Indulgentiis, cum antea latine, & brevius editus Romæ fuiſſet; ſed a Pontificum Diplomatibus, vel ab authenticis Eccleſiarum tabulis, aut certe ab Authoribus certis, gravibus, doctis, probatis: neque enim dubitari poteſt, quia multa vel depravata, vel conficta in ejuſmodi anonymis legantur, quale eſt illud, quod Gregorius Papa, cum Lateranenſem Eccleſiam iterum dedicaret, tot dierum Indulgentias dederit, quot guttæ cadunt, ſi per tres dies, & noctes continue pluat; hanc enim fabulam Kemnitius, ſicut eam retulit pag. 367. ita per ſe facile potuiſſet dijudicare vere fabulam eſſe: cum neque adſcribatur, quis ille Gregorius fuerit, quando Eccleſiam illam dedicaverit, quis earum rerum teſtis ſit: neque in certis & probatis Hiſtoriis, ullam ejus dedicationis, vel Indulgentiæ veſtigium extet = Hactenus Bellarminus.

Ingenue fateor me ſemel, & iterum plurimos evolviſse libros de Indulgentiarum materia ſerio tractantes, ut Indulgentias hujuſmodi hactenus ab Apoſtolica Sede minime reprobatas ab Apocryphis ſegregarem; dicendum tamen arbitror eas, de quibus eſt ſermo, non eſse ut veras, & legitimas publicandas. Poſt Sæculum enim XIV. quanvis frequentiores Indulgentiæ tum partiales, tum Plenariæ prodierint, quam Sæculis ſuperioribus; Summorum tamen Pontificum diplomatibus, aliiſque authenticis monumentis edoceri non poteſt Sedem Apoſtolicam eam formam in diſpenſandis Indulgentiis partialibus adhibuiſse a pœnitentialibus canonibus, ſatisfactionem ad annos ſeptem, decem, viginti, vel ad totam vitam taxantibus, alienam.

§. III.

Indulgentiæ declaratæ Apocryphæ, earumque Summaria prohibita a Sacris Congregationibus.

UTinam omnes & ſingulæ Indulgentiæ indiſcretæ, ſeu Apocryphæ poſsent in unum Indicem colligi: ut Catholici falſas diſcernentes nullam in his acquirendæ remiſſionis pœnæ temporalis fiduciam ponerent, atque heterodoxi, detectis earum abuſibus, arma deponerent, quibus totis viribus conantur Indulgentiarum dogma irridere, atque proſcindere. Plurimas tamen earum, quas reperimus Sacrarum Congregationum Decretis proſcriptas, hic ſubjicimus, ne quis eas legitimas reputet, quas conſtat eſſe vel falſas, vel ſolido fundamento deſtitutas.

Cum quædam Indulgentiæ tanquam legitimæ in Hiſpaniarum Regnis promulgarentur, iis in Sacra, Suprema, & Univerſali Inquiſitione diſcuſſis die 26. Decembris MDCXX. datæ fuerunt literæ ab eadem Sacra Congregatione ad Nuntium Hiſpaniarum: ut certior redderetur, ſequentes eſse Apocryphas. Primo, quæ dicebantur olim conceſsæ Senarum Principi a felicis recordationis Pio IV. Secundo, quæ dicuntur conceſsæ a Pio V. Coronæ, ſeu Roſario Magni Ducis Hetruriæ a Clemente VIII. Tertio, quæ a memorato Clemente VIII. aſſeruntur conceſsæ Eccleſiæ Beatæ Virginis de Monte-ferrato, Arimini impreſſæ. Quarto, Indulgentiam Plenariam pro animabus fidelium defunctorum ab eodem Clemente VIII. Matriti impreſſam die 20. Junii MDCVI. Quinto Indulgentias, quæ dicuntur habere fundamentum in aſſerta revelatione divinitus communicata cuidam Mulieri nuncupatæ *Joanna a Cruce*: & conceſsæ cunctis Globulis qui tetigerunt unum ex tribus e Cœlo demiſſis, quorum alter aſſerebatur eſſe penes Summum Pontificem, alter penes Hiſpaniarum Regem, tertius penes Generalem Minorum Obſer-

Obſervantium. Sexto Indulgentias, quæ prætenduntur conceſſæ a Joanne XII. oſculantibus plantam pedis Beatiſſimæ V. M. Septimo Indulgentias, quæ dicuntur conceſſæ ab Adriano VI. Globulis benedictis ad inſtantiam Cardinalis Lanquinares, Panormi impreſſas anno MDCXI. Octavo Indulgentias, quæ circumferuntur conceſſæ a Sanctæ Memoriæ Paulo V. Coronæ, ſive Roſario Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ad preces Magni Ducis Hetruriæ. Nono Indulgentiam Plenariam, quæ dicitur conceſſa a Sanctæ memoriæ Clemente VIII. ad inſtantiam Sereniſſimæ Infantiſſæ Catharinæ Sabaudiæ Duciſſæ, Chriſtifidelibus devote recitantibus ſequentem Orationem: *O magnum Martyrium, & profundiſſima vulnera &c.*: necnon liberationem animæ a pœnis Purgatorii aliam Orationem recitantibus conceſſam: *Deus qui nobis in Sancta Syndone &c.*

Succeſſivis poſtea temporibus ſequentes ab eadem Sacra Congregatione fuerunt declaratæ nullius eſſe roboris. Indulgentiæ, quæ aſſeruntur conceſſæ a Sanctæ Memoriæ Paulo V. ad preces Regis Hiſpaniarum cunctis Chriſtifidelibus dicentibus = *Alabado ſea el Santiſſimo Sacramento* = quæ cum poſtea iterum divulgarentur conceſſæ ab Urbano VIII. ad inſtantiam Cardinalis Magalotti; *die 22. Auguſti MDCXXXI.* fuerunt denuo proſcriptæ: mandatumque fuit colligi earum exemplaria, & procedi contra diſſeminatores.

Indulgentiæ, quæ aſſeruntur conceſſæ Confraternitati S. Angeli Cuſtodis de Urbe. *Die 12. Novembris MCCXXXV.*

Indulgentiæ Brixiæ impreſſæ, & contentæ in Summario, cui titulus = *Summarium Indulgentiarum, gratiarum, & privilegiorum conceſſorum a Summis Pontificibus Cincturatis Sancti Auguſtini, nuper confirmatorum a Sanctiſſimo Domino Noſtro Gregorio XV.* = *Die 20. Martii MDCXL.* Inſuper ſtatutum fuit dictum libellulum colligi, & ſupprimi juxta alia Decreta emanata *anno MDCXXXIV. & MDCXXXVIII.*

Indulgentiæ, quæ dicuntur conceſſæ Religioni Redemtionis Captivorum, & illius Confratribus, impreſſæ Neapoli anno MDCXXXIV., & Papiæ anno MDCXXXVIII. *Die 13. Junii MDCXL.*

Indulgentiæ, quæ præſumuntur conceſſæ a Leone X. Imagini Conceptionis. *Die & anno ut ſupra.*

Indulgentiæ, quæ aſſeruntur conceſſæ Societati Sanctæ Mariæ in Sylva aggregatæ Ordini Sanctiſsimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum contentæ in libro, cui titulus = *Summarium cæleſtis Theſauri. Die .... & anno....*

Indulgentiæ, quæ aſſeruntur conceſſæ a Paulo V. ad preces Fratris N. a Brunduſio Cappuccino. *Die 13. Novembris anno MDCXLI.*

Indulgentiæ, quæ dicuntur conceſſæ viſitantibus Eccleſiam Sancti Nicolai de Tolentino ad Confraternitatem Sanctorum Auguſtini, & Monicæ, ac Altare Sanctiſsimi Roſarii Eccleſiæ S. Antonii Rodigii Ordinis Prædicatorum. *Die 11. Junii MDCXLII.* de quibus in Regiſtro Decretorum dictæ Sacræ Congregationis hæc habentur = *Reſcribatur Inquiſitori Adriæ, Indulgentias, ut præſumitur, conceſſas a diverſis Summis Pontificibus Chriſtifidelibus viſitantibus Eccleſiam Sancti Nicolai de Tolentino ad Confraternitatem Sanctorum Auguſtini & Monicæ, ac Altare Sanctiſſimi Roſarii in Eccleſia Sancti Antonii Rodigii Ordinis Prædicatorum eſſe Apocryphas: ob id prohibendum Fratribus Auguſtinianis, & Ordinis Prædicatorum, ne illis utantur, nec minus illas imprimi, aut publicari faciant ſub pœnis arbitrariis: & impreſſas, & publicatas mandet colligi, ut ceſſet ſcandalum.*

Indulgentiæ, quæ aſſeruntur conceſſæ recitantibus quandam Orationem, quæ dicebatur extracta a Tabella poſita in Baſilica Lateranenſi. *Die 10. Septembris MDCXLII.*

Indulgentiæ, quæ conceſſæ prætenduntur ad inſtantiam Cardinalis Infantis Hiſpaniarum Granis benedictis. *Die 21. Januarii anno MDCXLIII.* ac ſtatutum fuit eas eſſe colligendas, ne populus deciperetur.

Indulgentiæ, quæ promulgantur conceſſæ recitantibus Orationem in Sepulchro Domini Noſtri Jeſu Chriſti inventam incipientem his verbis = *Vergine Maria. Die 13. Julii anno MDCXLVII.*

Indulgentiæ, quæ promulgantur con-

ceſ-

ceſſæ Chriſtifidelibus facientibus celebrare quinque Miſſas in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ. *Die 7. Junii anno MDCXLV.*

Indulgentiæ, quæ conceſsæ dicuntur ad inſtantiam Patriarchæ Venetiarum. *Die* 8. *Auguſti MDCXLVI.*

Indulgentiæ contentæ in Libro cui titulus: *Directorium Spirituale. Die* 19. *Octobris MDCXLVII.*

Indulgentiæ, quæ divulgantur conceſſæ ab Innocentio X. Roſirió Marchionis de Los Veles. *Die* 21. *Martii MDCXLVII.*, datis etiam literis eadem die Epiſcopo Sorano Miniſtro Supremæ Neàpoli Reſidenti: ut publicaret hoc Sacræ, Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis Decretum: per loca ſolita Civitatis Neapolis: ut omnibus innoteſceret falſitas earundem Indulgentiarum, & obligarentur ad obſervantiam Decreti retinentes Cruces, Grana, Numiſmata, Imagines, aliaque ejuſmodi, quæ prædictum Roſarium tetigerant ſub ſpe conſequendi memoratas Indulgentias. Idemque die S. Maii ejuſdem anni mandatum fuit Inquiſitoribus Regni Siciliæ, necnon Archiepiſcopo Panormitano: quia in Civitate Panormi Marchio laudatus Regis Catholici Prorex, cum dictum Roſarium geſtaret, populus ad ipſum confluebat illud tacturus, ea ductus opinione, quod eidem Roſario cunctas Indulgentias addictas fuiſſe arbitraretur, quas olim Sanctus Petrus, aliique Romani Pontifices ejus Succeſſores conceſſerunt; Summus enim Pontifex Innocentius X. apertiſſime declaravit, ſe nunquam eas Indulgentias conceſſiſſe, quæ divulgabantur.

Indulgentiæ, quæ præſumuntur conceſsæ Monachis Ordinis Sancti Benedicti ad preces Cardinalis Infantis Hiſpaniarum. *Die* 8. *Maii MDCXLVII.*

Indulgentiæ, quæ dicuntur conceſsæ Granis benedictis ad inſtantiam D. Annæ Barbarinæ ab Urbano VIII. *Die* 3. *Julii ſupradicti anni.*

Indulgentiæ, quæ promulgantur conceſsæ viſitantibus in Quadrageſima Eccleſias Ordinis S. Franciſci: necnon geſtantibus Chordulam vulgo il *Cordone di S. Franceſco*. *Die* 29. *Martii anno MDCLI*

Indulgentiæ, quæ aſſeruntur conceſsæ a Sanctæ Memoriæ Urbano VIII. ad inſtantiam Sereniſſimæ Infantiſsæ Margaritæ a Cruce. *Die* 18. *Octobris eodem anno.*

Indulgentiæ, quæ dicuntur conceſsæ Eccleſiæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ Montis-ſerrati: quia revocatæ per Conſtitutionem Pii V. *Etſi Dominici Gregis* illis verbis = *pro quibus conſequendis manus ſunt porrigendæ adjutrices, & quæſtuandi facultatem quomodolibet continent* = nec fuerunt a Pontificibus Succeſsoribus confirmatæ: cum in Confirmationibus Indulgentiarum addit clauſula = *quatenus revocatæ non ſint, & Decretis Sacri Concilii Tridentini non adverſentur* = Ne vero quærentes eleemoſynas pro dicta Eccleſia eas inpoſterum publicare auderent, ſcriptum fuit nomine dictæ Sacræ Congregationis ad Nuntium Sedis Apoſtolicæ Taurini die 7. Auguſti MDCLVII. = *revocatam fuiſſe facultatem conceſſam Procuratori S. Mariæ Montis-ſerrati quærendi eleemoſynas pro dicta Eccleſia: adeoque ea revocatione non obſtante quærentes eleemoſynas in carcerem conjiceret, eiſque tolleret ſcripturas, & pecunias per ipſos collectas, certioreſque redderet Archiepiſcopum, & Inquiſitorem, ut idem facerent.*

Indulgentiæ, quæ promulgantur conceſsæ Crucibus Caravaccenſibus. *Die* 20. *Auguſti MDCLIII., & die* 25. *Auguſti MDCLV.*

Ab eadem Sacra Congregatione *die* 16. *Aprilis MDCLX.* proſcriptus fuit liber parvulus cui titulus = *Exercitia Spiritualia, quæ fiunt die Dominico in Eccleſia Sancti Joannis Maceratæ a Fratribus, & Sororibus bonæ mortis ſub protectione Sancti Joſeph, cum regulis & Indulgentiis &c.* = Maceratæ impreſſus; donec corrigeretur.

Nonnullas ex allatis Indulgentiis (quæ non obſtantibus Sacræ, Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis Decretis, tanquam legitimæ promulgabantur) necnon alias a Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum prævio examine diſcuſsas, ac poſtea Apocryphas declaratas, complectitur ſequens ejuſdem Sacræ Congregationis Decretum = *Delatæ ſæpius fuere ad Sacram Congregationem Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitam Indulgentiæ quædam conficta, & omnino falſæ, quæ per diverſis* Or-

Orbis Chriſtiani partes circumferuntur, aliæ vero examinandæ, quæ adhibito ſtudio inventæ ſunt vel Apocryphæ, vel a Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quod datum eis tempus prætериiſſet: quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant Chriſtifideles, harum rerum minus peritos fallunt, qui ſpe Indulgentiæ remiſſioniſque peccatorum ſuorum conſequendæ fruſtrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies ſerpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati conſulere, plures illarum ſingulari diligentia colligi, & in indicem referri curavit.

Tales in primis ſunt illæ, uti aſſerunt, conceſſæ a Joanne II. & Sixto IV. recitantibus Orationem Charitatis Jeſu Chriſti D. N. precor te piiſſime Domine &c. ab Urbano II. Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, vulgo dici ſolet Campagniolæ, & S. Victoriæ; ab Eugenio III. Revelationi de Plaga in humero Jeſu Chriſti factæ S. Bernardo; ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemtionis Captivorum; a Bonifacio IX viſitantibus Cappellam Sancti Nicolai de Tolentino in ejus die feſto; a Joanne XXII. oſculantibus menſuram plantæ pedis Beatæ Mariæ Virginis; ab Alexandro VI. Imagini Beatæ Mariæ vulgo dictæ Laghetti; a Leone X. geſtantibus funiculum Sancti Franciſci, primum in Urbe impreſſæ, deinde Mediolani anno MDCLXV. (ſuas tamen habent & veras Confratres Archiconfraternitatis Chordigerorum Sancti Franciſci) recitantibus Salutationem Angelicam ad pulſum horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus Luna ſubjecta eſt; a Pio IV. vel V. Principi Senarum; a Clemente VIII. dicentibus Orationem: O magnum myſterium &c. & Eccleſiæ S. Mariæ, quam vocant, Montis-ferrati, Avenione impreſſæ, tum aliæ pro animabus Chriſtifidelium defunctorum impreſſæ Matriti 20. Julii MDCVI.; a Paulo V. cantantibus Hymnum: Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur &c. vel ſi die Sabbati interesſerint, dum idem canitur; & Coronis, Roſariis, Imaginibus, & Numiſmatibus, quæ medalias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromęo ſupplicante anno 1611., dum Eccleſia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur; & ab eodem Paulo, & Greg. XV. dicentibus: ſia lodato il SS. Sacramento: Laus SS. Sacramento; ab Urbano VIII. in honorem ejuſdem Sacramenti, precibus Cardinalis Migalotti, & Sacerdotibus, celebrata Miſſa dicentibus: Ave filia Dei Patris, Ave Mater Dei filii &c. a Clemente X. recitantibus mane, meridie, ac Veſpere conſuetam Antiphonam Angelus Domini &c. & in fine Deo gratias, & Mariæ; ac demum aliæ a nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Myſteriorum Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, prece Magni Ducis Etruriæ.

Talis Indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die a Purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Peruſii Confraternitatis SS. Sebaſtiani, & Rocchi, & Romæ Societatis S. Bernardi ad Columnam Trajani. Tales demum aliæ Cruceſignatorum S. Euſtorgii Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis ſunt & illæ conceſſæ, ut ajunt, Capellæ Roſarii in Eccleſia S. Antonii de Rovigo, ſeu Rodigii; vel Eccleſiæ SS. Trinitatis Bergomi; aut S. Petri Montis Todoni, die feſto Inventionis Sanctiſſimæ Crucis; vel geſtantibus funiculum S. Franciſci de Paula; vel celebrantibus Miſſas S. Auguſtini; aut alias quinque in honorem quinque feſtivitatum B.V.M. vel recitantibus Officium S. Franciſcæ Romanæ, aut Antiphonam: O Paſſio magna &c. in memoriam Paſſionis Jeſu; aut Roſarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut orationem, quæ impreſſa cum imagine S. Annæ circumferri ſolet: Ave Maria gratia plena &c. (quæ oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B.V. Immaculatæ, quod aſſerunt a Paulo V. probatum fuiſſe; aut Orationem: Deus, qui nobis in S. Syndone &c. (excipitur Indulgentia centum dierum anno 1671. conceſſa precibus Duciſſæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditio-

Digitized by Google

tione degentibus); aut aliam: Ave Filia Dei &c. poſt communionem recitandam; vel aliquo conſpicuo ſigno venerantibus Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti nomen; Indulgentiæ rurſus octoginta millium annorum veteri de tabula exſcriptæ, quam in Baſilica Lateranenſi aſſervari affirmant, pro dicentibus orationem illam vere piam: Deus qui pro redemtione Mundi &c. tum quæ impreſſæ fuerunt Papiæ anno 1670. ſub hoc titulo: Sommario dell'Indulgenze conceſſe dalla Santità di Noſtro Signore Papa Leone X. all'Imagine della Concezzione della glorioſa Vergine Maria; vel Piſauri, ſub nomine B. Joannnæ anno 1608. evulgatæ; vel Barlettæ, ſeu Baruli a recitantibus quaſdam non ſane malas orationes lucrandæ; vel Parmæ a viſitantibus per Quadrageſimæ dies Eccleſias Tertii Ordinis S. Franciſci; vel Piſtorii, & Vaſtallæ a recitantibus orationem: Ave Sanctiſſima Maria, Mater Dei, Regina Cœli &c. & aliæ in peculiari impreſſo libro deſcriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos, & Benefactores.

His annumerandæ ſunt, quæ Crucibus Caravacenſibus tributæ dicuntur; vel Coronæ, ſive ſtellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis conſtas; vel Granis, Crucibus, & Coronis Aloyſiæ ab Aſcenſione Hiſpanæ Monialis Ordinis S. Claræ; vel menſuræ altitudinis Jeſu Chriſti Domini Noſtri; vel Imagini, aut menſuræ vulneris lateri ejus inſlicti; vel orationi, ut ajunt, in Sepulchro Domini Noſtri repertæ, & Indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ Sanctæ Birgittæ, Mectildi, & Eliſabeth; vel B. Joannæ de Cruce, & conceſſæ, ut aſſerunt, Granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hiſpaniarum Regem, & Miniſtrum Generalem Fratrum Minorum Obſervantiæ S. Franciſci.

Omnes vero, & ſingulas jam dictas Indulgentias Sacra Congregatio partim eſſe confictas, & plane falſas declarat, partim Apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini ſuffragari poſſunt: eaſque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Chriſtifidelibus proponi vetat: foliaque, & libros, ubi ſic proponuntur, ſeu aſſeruntur, omnino præcipit aboleri, niſi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult alias, quas hoc decretum non continet, pro veris, & legitimis, taciteque probatis haberi.

Ac demum omnes Indulgentias conceſſas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1597. Coronis, Roſariis, Granis, ſeu Calculis, Crucibus, & Imaginibus Sacris, vel ante Breve Pauli V. quod incipit: Romanus Pontifex &c. editum 23. Maii anno 1606. perſonis Regularibus quarumcunque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Conſtitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium: Quæcunque &c. & 68. Pauli V. incipientem: Quæ ſalubriter &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Jeſu, Capitulo, vel Cœtu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliiſque perſonis, vel perſona, etiamſi earum, vel ejus mentio ſpecialis, & individua facienda eſſet, niſi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius eſſe roboris & momenti pariter declarat.

Porro Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Chriſtianæ, Confraternitatibus Sanctiſſimæ Trinitatis, & Redemtionis Captivorum, Nominis Dei, Roſarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemtionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, Cincturæ S. Auguſtini, & S. Monicæ, niſi ab eadem Congregatione recognita, non permittantur. Indulgentias vero Stationum Urbis, quæ a Romanis Pontificibus ſingulari quodam beneficio, vel communicatæ ſunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut perſonis, diebus tantum Stationum &c. in Miſſali Romano deſcriptis, ſuffragari poſſe declarat: ſemel autem duntaxat in die Plenariam Indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctiſſimum, cuncta Sancti-

tas Sua probavit, & inviolate ſervari juſſit. Datum Romæ die 7. Martii MDCLXXVII. Aloyſius Card. Homodeus. Loco ✠ Sigilli. Michael Angelus Riccius Secretarius.

Obſervandum tamen eſt hic 1.º laudato Decreto minime reprobari Indulgentias Ordinum Regularium: quanquam enim vir quidam in partibus ultramontanis ex illo nimirum Sacræ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, quo abuſus Catenularum, Numiſmatum, & Societatum Mancipiorum Beatiſſimæ Virginis Mariæ interdicitur ſupra *cap. 2. art. 2. §. 2. hujus ſecun. par.* allato, & ex hoc Sacræ Congreg. Indulg., & Sacr. Reliquiar., tertio conflato ſub ementito nomine Sancti Officii ſub die 7. Martii MDCLXXVIII. (cujus millena, & millena exemplaria diſtributa, & evulgata fuerunt) occaſionem acceperit falſo aſſerendi iis prohiberi Scapulare Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Cincturam S. Auguſtini, & Chordam S.Franciſci, cæteraſque Societates hujuſmodi ſignis utentes, earumque inſtitutionem: & ex §. ultimo ejuſdem Decreti Sacræ Congregationis Indulgentiarum &c. anſam arripuerit declarandi cunctas Indulgentias conceſſas Regularibus cujuſcunque Ordinis, etiam Mendicantium, & Societatis Jeſu nullas eſſe,niſi a Sede Apoſtolica fuerint innovatæ, & confirmatæ; illud tamen confictum Decretum S. Romana, & Univerſalis Inquiſitio ſequenti Decreto falſum, & perniciosum eſſe declaravit. = *Feria quarta die 25. Januarii MDCLXXIII. In Generali Congregatione S.Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam, coram Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus Inquiſitoribus ab Apoſtolica Sede ſpecialiter deputatis. Paucis abhinc menſibus in vulgus editum fuit, ementito nomine S. Officii, Decretum cui titulus eſt = Decret du Saint Office de Rome, qui con lamne, & abolit, comme un abus touttes les Confrairies, ou Societez de l'Eſclavage de la Mere de Dieu, Scapulaire des Carmes, & autres Cordons, Ceintures &c. & defend ſous de grieves peines l'uſage des Chaines, Images & Medailles, qui portent les Marques de l'eſclavage, en tous les lieux qui lovent ou approvvent ces devotions; = & finis Decreti = Donnè a Rome le 7.Mars 1678. le Cardinal Aloiſio Homodei, Michaele Angelo Ricci Secretaire. A' Rome de l'Imprimerie de la R. Chambre Apoſtolique 1678.= Legitur in eo magna ex parte deſcriptum aliud ejuſdem Sancti Officii Decretum Julio menſe latum anno 1673. ad tollendos quoſdam abuſus Catenularum, Numiſmatum, & Societatum Mancipiorum Beatiſſimæ Virginis Mariæ; ſed depravatum in multis, & doloſe accomodatum ad alias Sodalitates ab Apoſtolica Sede approbatas, Cincturæ, Scapularis, & Chordæ. Paragraphus quoque penultimus de Regularium Indulgentiis deſumtus ex Decreto Congregationis Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum dato 7.die Martii 1678. ommiſſis tamen ſuis neceſſariis limitationibus, ut Societatum Cincturæ, Scapularis, & Chordæ pia Inſtituta, & Regularium Indulgentiæ veræ prorſus improbatæ credantur. Quæ licet prudentium virorum auribus, animiſque abſurda ſint, & incredibilia; tamen ut etiam minus peritorum Chriſtifidelium pietati conſulatur, Sacra Congregatio Decretum ipſum eſſe falſum, pernicioſum, atque ſcandaloſum declarat: & ſub pœnis in Indice Librorum prohibitorum latis in eos, qui vetitos libros legunt, retinent, aut divulgant, prohibet, ne quis, cujuſcunque gradus & conditionis ſit, Decretum illud legere audeat, vel apud ſe quomodocunque retinere, imprimere, vel curare ut imprimatur, ſed Inquiſitoribus, aut Locorum Ordinariis quiſque ſtatim exhibeat, & conſignet. Franciſcus Riccardus S. R., & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.*

Obſervandum eſt 2.º ſupradicto Decreto inter Indulgentias Apocryphas recenſeri Indulgentiam, quæ aſſerebatur conceſſa *a Bonifacio IX. viſitantibus Cappellam S.Nicolai de Tolentino in ejus die feſto*, diverſam tamen ab alia a Pontifice laudato, data pro Dominica proxime ſequenti Feſtum S. Nicolai de Tolentino: ut habetur ex ſequenti Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum &c.= *Cum Summarium Indulgentiarum Archi-*

chiconfraternitatis Cincturatorum San-cti Auguſtini, & S. Monicæ ſub invocatione B. Virginis Mariæ de Conſolatione erectæ Bononiæ, fuerit a Sacra Congregatione recognitum die 11. *Septembris* 1674. *nihil obſtat, quo minus poſſit ſeorſum a Brevi iterum imprimi, et ubique promulgari; et Indulgentia præſertim ibidem expreſſa a Bonifacio IX. in Dominica Feſtum S. Nicolai de Tolentino proxime ſequente conceſſa, quam nonnulli ſatis non advertentes, eandem eſſe arbitrantur, ac illam in noviſſimo Decreto hujus Congregationis dato die 7. Martii MDCLXXVIII. adnumeratam apocryphis et falſis: cum tamen die, aliiſque circumſtantiis ab ipſa diverſa ſit. Romæ die 5. Julii MDCLXXVIII. A. Card. Homodeus. Michael Angelus Riccius Sac. Congr. Secretarius.*

Ut ad Indulgentias declaratas Apocryphas, unde digreſſi fuimus, revertamur ſilentio prætereundum non eſt plurimas peccatorum remiſsiones poſt ſupra memoratum Decretum, ad utranque prædictam Sacram Congregationem delatas idem ſubjiſse judicium, earundemque libellos, & folia Sacræ Indicis Congregationis Decretis fuiſse proſcripta: & ſunt.

Indulgentia Plenaria, & Jubilæum perpetuum pro omnibus Chriſtifidelibus conceſsum ore Domini Noſtri Jeſu Chriſti ad inſtantiam Seraphici Patris Sancti Franciſci, & ad interceſsionem puriſſimæ Virginis & Matris Dei Cappellæ Sanctæ Mariæ Angelorum Aſiſii *de Portiuncula* nuncupatæ &c. ſecunda vice in lucem edita, correcta, & ampliata a P. Fr. Michaele Angelo de Bagliaſco, cum addito ſeptuaginta duorum privilegiorum &c. impreſsa Liburni ann. MDCLXII. *Decr. Sacræ Congregationis Indicis die* 18. *Junii, anni MDCLXXX.*

Indulgentiæ, quæ dicuntur conceſsæ cuilibet facienti jejunium in pane, & aqua Immaculatæ Conceptionis. *Decreto ſacræ Supremæ, et Univerſalis Inquiſit. die* 20. *Januarii anno MDCLXXXIII.*

Jubilæum Magnum, generalis Condonatio, Abſolutio, & Remiſsio peccatorum proprio motu conceſsa a Sanctiſſimo Domino Noſtro cuilibet bono, & fideli Chriſtiano, citra obligationem diſcedendi domo &c.

Jubilæum Sanctiſsimi Domini Noſtri Innocentii X., cum Summario aliorum Jubilæorum, quæ olim conceſsa fuerunt, & vero modo acquirendi pleniſsimam Indulgentiam.

Cathalogus Indulgentiarum, & Reliquiarum ſeptem Principalium Eccleſiarum Urbis.

Liber Indulgentiarum Fratrum Ordinis Carmelitarum; donec expurgetur.

Liber Indulgentiarum Fratrum Ordinis Servorum; donec expurgetur.

Libelli quidam continentes gratias, & privilegia Sanctiſsimæ Trinitatis de Redemtione Captivorum, & Beatæ Mariæ de Remedio: & ſunt.

Breviſsimum Compendium Indulgentiarum, gratiarum, privilegiorum, & exemtionum conceſsarum a Summis Pontificibus SS. Trinitati de Redemtione.

Cœleſtis Inſtitutio Sacri Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum, cum privilegiis &c.

Compendium vitæ miraculoſæ Sanctorum Joannis de Matha, & Felicis de Valois &c. cum breviſsima declaratione Sacrarum Indulgentiarum.

Compendium privilegiorum, gratiarum, & Indulgentiarum Summorum Pontificum conceſsarum Ordini, & Archiconfraternitati Sanctiſsimæ Trinitatis de Redemtione, cui aſsociata eſt Confraternitas Beatæ Virginis Mariæ de Remedio.

Compendium mirabile inſtitutionis, approbationis, & progreſsus Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis de Redemtione, & duarum Sanctiorum Confraternitatum &c.

Indulgentiæ & gratiæ Sacræ Religionis de Mercede Redemtionis Captivorum; donec corrigatur.

Liber inſcriptus Gallico Idiomate, cujus initium latine redditum eſt = *Sancta Confraternitas Redemtionis, vel magnus Theſaurus Indulgentiarum conceſſarum a pluribus Pontificibus Confraternitati Sanctiſſimæ Trinitatis, aut Redemtioni Captivorum.*

Compendioſa Narratio Indulgentiarum, privilegiorum, & gratiarum conceſsarum Ordini, Confraternitati, & Eccleſiis Glorioſiſsimæ Matris Dei Mariæ Virginis de Monte Carmelo &c. Authore P. Simone Graſsi a Florentia, typis impreſsa Venetiis a Dominico Loiſa; donec cor-

corrigatur ad tenorem Summarii Indulgentiarum, & gratiarum &c. conceſſarum præfatis Religioſis & Confratribus, approbati a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 27. Junii MDCLXXIII., & impreſſi Romæ, deinde Bononiæ ab hæredibus Victorii Benacci anno MDCLXXVIII.

Indulgentiæ, quæ falſo aſſeruntur conceſſæ in aliquibus foliis, quorum initium & finis ſunt ut ſequitur.

Curans Sanctitas Noſtri Summi Pontificis Innocentii XI. &c. Datum Romæ ſub Annulo Piſcatoris die 26. Aprilis MDCLXXXI.=Sacræ Indicis Congregationis Decreto.

Noſter admodum Sanctus Pater Innocentius XI. &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris 8. Februarii MDCLXXXV.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatorio 10. Martii MDCLXXXI.

Breve Summarium, & Compendium Indulgentiarum, gratiarum conceſſarum &c. Datum Romæ ſub Annulo Piſcatorio 2. Januarii MDCLXXXVI.

Breve Summarium multarum gratiarum & Indulgentiarum, & Remiſſionum conceſſarum a Summis Pontificibus &c. Romæ in Sacro Palatio 16. Martii MDCXCII.

Spiritualis confœderatio viventium cum mortuis ſub protectione Mariæ Auxiliatricis: aut Compendium Confœderationis Marianæ. *Decreto S. Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis die 11. Junii, & 12. Decembris MDCLXXXIX., & 12. Julii MDCCIII.* Eoque pariter damnantur & prohibentur non ſolum chartæ, & folia Summariorum tractantium de dicta Confœderatione, ſed etiam ipſæ Societates, Sodalitia, & Confraternitates inſtitutæ ſub prædicto titulo, omneſque Indulgentiæ, quæ dicuntur conceſſæ ipſis, aut aggregatis Confratribus earundem.

Indulgentiæ, quæ dicuntur conceſſæ Crucibus S. Turribii. *Die 18. Julii anni MDCIII. Decreto S. Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis.*

Tractatus Indulgentiæ Plenariæ conceſſæ ore Jeſu Chriſti Cappellæ Sanctæ Mariæ Angelorum Aſſiſii precibus &c. compoſitus a P.F. Stephano Toſſi a Bettona.

Summarium privilegiorum, gratiarum, & Indulgentiarum perpetuarum conceſſarum a diverſis Summis Pontificibus Archiconfraternitati Spiritus Sancti Venetiarum in confinio Sancti Gregorii apud Incurabiles, tanquam membro Sacri, & Apoſtolici Archioſpitalis Sancti Spiritus in Saxia Romæ: quæ pariter ſunt ad Suffragium defunctorum.

Summarium gratiarum, privilegiorum, & Indulgentiarum conceſsarum a diverſis Summis Pontificibus Archiconfraternitati Beatæ Mariæ de Miſericordia Vicentiæ apud Cœmeterium Sanctæ Coronæ, tanquam membro Sacri, & Apoſtolici Archioſpitalis Sancti Spiritus in Saxia Romæ: quæ etiam ſunt ad ſuffragium defunctorum.

Liber parvus cui titulus= *Sacrum Diarium gratiarum, & Indulgentiarum conceſſarum Societati Cincturæ Sancti Auguſtini, & S. Monicæ* = Bononiæ impreſſus anno MDCCVII = *Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum &c. die 2. Februarii MDCCXII.* quo pariter fuit declaratum = *Cincturatos non frui aliis Indulgentiis, quam contentis in Brevi Clementis X. emanato die 12. Martii anno MDCLXXV.*

Liber parvus Veronæ impreſsus anno MDCCXI. continens Indulgentias, quæ dicuntur confirmatæ a Clemente XI. die 17. Maii MDCCX. geſtantibus Scapulare cœrulei coloris, quod vocant Conceptionis Beatæ Virginis Immaculatæ. *Decreto Sacræ Congregat. Indulgentiarum &c. die & anno ut ſupra*; quo fuit etiam declaratum = *Geſtantes prædictum Scapulare acquirere duntaxat Indulgentias a Clemente XI. conceſſas Brevi emanato die 12. Maii anno MDCCX.*

Summarium Cæleſtis Theſauri Indulgentiarum, donorum, gratiarum, facultatum, & privilegiorum conceſſorum a multis Romanis Pontificibus, confirmatorum, & ampliatorum a Sanctiſſimo Domino Noſtro Gregorio divina providentia Papa XIV. Venerabili Societati, & Hoſpitali S. Rocchi Romæ, (quæ poſſunt concedi a Commiſſariis deputatis ad munus publicationis tot divinarum gratiarum cuilibet Chriſtifideli, qui voluerit in-

ingredi in Sanctam Confraternitatem S. Rocchi Romæ) impreſſum ibidem apud Paulum Bladum Impreſſorem Cameralem anno MDXCI. *Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum die* 14. *Martii anno MDCCXIV.*

Summarium Cœleſtis Theſauri Indulgentiarum, donorum, gratiarum, facultatum, & privilegiorum conceſſorum &c. cuilibet Chriſtifideli, qui ingredi voluerit in Sanctam Confraternitatem S. Rocchi Romæ: & communicatorum Confraternitati ejuſdem S. Rocchi, & Sebaſtiani in Eccleſia Beatæ Virginis Mariæ Laureti, in Oppido Roboreti; Romæ, & Roboreti impreſſum, per Joſephum Antonium Gojo anno MDCCXII. *Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum &c. die & anno ut ſupra.*

Summarium Indulgentiarum conceſſarum a Summis Pontificibus Venerabili Societati Sancti Rocchi Romæ, & Societati Sancti Rocchi Anconæ aggregatæ &c. impreſſum Anconæ in Typographia Camerali anno MDCLXI. *Decreto ut ſupra.*

Summarium Indulgentiarum conceſſarum a diverſis Romanis Pontificibus, & ultimo ampliatarum, & confirmatarum a Domino Noſtro Clemente XI. Fratribus, & Sororibus Sacri, Regalis, & Militaris Ordinis tum Obſervantium, tum Excalceatorum Dominæ Noſtræ de Mercede &c. impreſſum Romæ in Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, Meſſanæ in Typographia dicta *de Amico*, & Panormi per Felicem Marinum anno MDCCX. *Decreto Sacræ Congregat. Indulgentiarum &c. die* 19. *Julii anni MDCCXIV.*

Summarium Indulgentiarum, gratiarum, & donorum conceſſorum a nonnullis Romanis Pontificibus, & noviter confirmatorum a Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Clemente XI. Venerabili Eccleſiæ, & Hoſpitali Sanctæ Mariæ Montis-Serrati Catalauniæ, & Confratribus & Consororibus ipſius Matris Virginis; impreſſum Panormi apud Franciſcum Ciche. *Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum die & anno ut ſupra.*

Indulgentiæ, quæ dicuntur conceſſæ ſpecialiter ab Alexandro VI. Coronis S. Birgittæ (firmis tamen remanentibus vere conceſſis eiſdem Coronis a Leone X. die 9. Julii MDXV. nuper ampliatis a ſanctæ memoriæ Clemente XI., Brevi quod incipit: *De ſalute gregis Dominici* edito 22. Septembris anno MDCCXIV., quo omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus confeſſis, & Sacra Communione refectis, ac orantibus pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, qui quotidie per integrum annum Coronam Sanctæ Birgittæ, dummodo ſit ſaltem quinque decadum, recitaverint; concedit ſemel in anno die per unumquemque eligenda Plenariam Indulgentiam omnium peccatorum, cum facultate eandem Plenariam Indulgentiam applicandi animabus in Purgatorio exiſtentibus. *Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum die* 4. *Decembris MDCCXIV.*

Summarium Indulgentiarum ampliatarum, & conceſſarum a diverſis Summis Pontificibus, & noviſſime ab Alexandro VIII. Innocentio XII., & Clemente XI. Fratribus, & Sororibus Sacri, Regalis, & Militaris Ordinis Patrum Noſtræ Dominæ de Mercede Redemtionis Captivorum Chriſtifidelium inter Infideles; impreſſum (ut falſo dicitur) Romæ Stemmatibus Innocentii XII., & Religionis Redemtionis Captivorum. *Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum &c. die .... anno ....*

Summarium generale, quod inſcribitur = *Breve Summarium principalium gratiarum, & Indulgentiarum conceſſarum Religioſis Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum Chriſtifidelium: & illarum, quibus fruuntur omnes, qui geſtant Sapulare, aut parvum habitum, & viſitantes Eccleſias, & Cappellas dicti Ordinis; quæ approbatæ fuerunt a Summis Pontificibus, & denuo a felicis memoriæ Innocentio Papa XII. ut videre eſt in Bulla emanata anno MDCXCIII.* = & excipit = *privabuntur aſſecutione prædictarum Indulgentiarum &c.* impreſſum Neapoli apud Hieronymum Bittante an. MDCCXVI. *Decreto Sacræ Congregat. Indulgentiarum die* 22. *Decembris anno MDCCXVIII.* = eoque pariter fuit declaratum = *Confraternitates inſtitutas a Superioribus ejuſdem Ordinis nullis aliis gaudere Indulgentiis, niſi illis, quæ expreſ-*

ſe

ſe continentur in earum Summario recognito ab eadem Sacra Congregatione die 31. Januarii MDCLXXII., & impreſſo Romæ Typis Rev. Cameræ anno MDCLXXXII. = Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum &c. die 20. Decembris MDCCXVIII.

Summarium Indulgentiarum Luſitanico idiomate conſcriptum, cujus initium latine redditum eſt = *Summarium Theſauri Indulgentiarum, gratiarum, facultatum, & privilegiorum conceſſorum a multis Romanis Pontificibus Sacro, & Apoſtolico Hoſpitali Sancti Spiritus in Saxia Civitatis Romæ, noviter confirmatorum a Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Gregorio XIII., quæ conceduntur a Commiſſariis & Collectoribus deputandis &c. Omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus, qui ingrediuntur in Societatem Sanctiſſimæ Dominæ de Victoria hujus Civitatis Ulyſſipponenſis* = impreſſum per Antonium Craesbeech anno MDCCXII. *Decreto Sacræ Congregat. Indulgentiarum &c. die 14. Februarii MDCCXX.*

Compendium Regulæ Tertii Ordinis Pœnitentium Seraphici Patris S. Franciſci confirmatæ a Papa Nicolao IV. noviter editum pro commoditate Tertiariorum, & Tertiariarum, quæ hodie reperiuntur ſub protectione ejuſdem S. Patris: ac iterum impreſſum ad inſtantiam Fratrum, & Sororum dicti Ordinis erecti in inſigni Eccleſia Sancti Franciſci hujus Civitatis Laudi, cum addito brevis notitiæ Indulgentiarum, favorum, & privilegiorum magis conſpicuorum, conceſſorum a Summis Pontificibus huic Ordini; impreſſum a Carolo Joſepho Antonio Aſtorino, anno MDCCXII. *Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum eod. die & anno ut ſupra.*

Summarium Indulgentiarum Germanico idiomate conſcriptum, quod latine verſum incipit = *Indulgentiæ, quæ conceſſæ fuerunt a Sanctæ Memoriæ Papa Sixto V. Paulo V. Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. Clemente IX. ſuper Coronis, Crucibus factis Hieroſolymis, & Bethlem: denuo confirmatæ a Summis Pontificibus Clemente X., & Innocentio XI. die 11. Junii, anni MDCLXX.* = impreſſum Auguſtæ a Joanne Michaele Labhort anno MDCLXX. *Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum die 11. Martii anno MDCCXXI.* Eoque fuit declaratum = *Geſtantes Cruces, & Coronas, quæ Loca Terræ Sanctæ, & Sacras Reliquias ibi exiſtentes tetigere, illas duntaxat Indulgentias lucrari poſſe, quas Sanctæ Memoriæ Innocentius XI. Literis in forma Brevis emanatis die 28. Januarii anni MDCLXXXVIII. prædicta geſtantibus, & pia opera in eodem Brevi præſcripta devote peragentibus conceſſit* = Addita alia declaratione = *quod non tranſeant perſonam illorum, quibus prima vice diſtribuuntur, & quod neque commodari, aut precario dari poſſint: & quod aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea ſubrogari altera non valeat. Quod ſi ſecus fiat, ſupradictæ Cruces, & Coronæ careant Indulgentiis jam conceſſis.*

Summarium Indulgentiarum Germanico pariter idiomate conſcriptum, abſque loco editionis, & nomine Impreſſoris, cujus initium latine redditum eſt = *Indulgentiæ, quæ Crucibus Caravaccenſibus conceſſæ fuerunt a Romanis Pontificibus Pio V. Gregorio XV. & Clemente X. denuo confirmatæ ab Innocentio XII.* = & excipit = *Pro conſolatione Chriſtifidelium, & S. Crucis* = *Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum die, & anno ut ſupra.*

Liber cujus titulus latine redditus eſt = *Sacræ Divitiæ vivorum pro defunctis: ideſt Breve Compendium Indulgentiarum Fidelium, & Regularium in communi, potiſſimum Ordinis Carmeli* = Panormi impreſſus, apud Angelum Felicellam anno MDCCXXXIV. *Decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum: die 13. Septembris anno MDCCXXXIV.* = addita declaratione = *inter falſas & Apocryphas non eſſe recenſendas Indulgentias contentas in Summario Confratrum Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmelo ab eadem Sac. Cong. recognitas & approbatas ſub die 27. Junii MDCCXXXVII. atque in eodem libro inſertas.*

A P-

APPENDIX
AD SECUNDAM PARTEM
DE INDULGENTIIS LEGITIMIS PERSONALIBUS ET REALIBUS.

CUM Indulgentiæ Apocryphæ in Summariis quibuſdam, parvulis libellis, & foliis typis impreſsis repertæ, id exigente hominum incuria, & malitia, adeo excreverint, ut jure merito a Sacris Congregationibus fuerint proſcriptæ; operæ pretium duximus ad hujus Tractatus coronidem Indulgentias legitimas perpetuas quarundam Confraternitatum, Coronarum, Numiſmatum necnon quorundam piorum operum afferre, ut iis cum aliis, quæ circumferuntur, collatis, poſſit quiſque inter veras, & Apocryphas diſcernere: & ne dubium de earum veritate ſubrepat, Summaria ipſa Indulgentiarum approbata a Sacra Congregatione Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita, ac Literis Apoſtolicis a Summis Pontificibus confirmata, vel Brevia ipſa ejuſmodi conceſſionum (Summariis nondum ab eadem Sacra Congregatione approbatis) curabimus recenſere, additis quibuſdam annotationibus, ut in iis exponendis majori, qua poſſumus, claritate procedamus.

§. I.

Indulgentiæ Confratrum Sodalidatis Sanctiſſimi Nominis Dei.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam Rei Memoriam.

„ CUM certas unicuique Confraternitati Indulgentias, & gratias ſpirituales, quibus de cætero fruantur, „ duxerimus præſcribendas; idcirco Nos „ omnes & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitatis Sanctiſſimi *Nominis Dei* in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe Ordinis „ Fratrum Prædicatorum canonice inſtitutæ, & illius Confratribus, & Conſororibus hactenus per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros „ conceſſas revocantes, & annullantes, „ ac nullius roboris & momenti inpoſterum fore declarantes: eandemque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, „ omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui dictam Confraternitatem de cætero ingredientur, die primo eorum ingreſſus, ſi vere pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint; Plenariam: ac tam ipſis pro tempore deſcribendis, quam jam deſcriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & Conſororibus etiam vere pœnitentibus & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui in die feſto Circumciſionis Domini divinis Officiis in Eccleſia, ſeu Cappella, vel Oratorio dictæ Confraternitatis ſingulis annis celebrandis in toto, vel in parte devote interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; etiam Plenariam. In mortis quoque articulo omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus dictæ Confraternitati adſcriptis, qui pœnitentes & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti, etſi id facere nequiverint, nomen Jeſu ore ſi potuerint, ſin autem corde devote invocaverint, & animam ſuam Deo commendaverint; Plenariam ſimi- „ liter

„ liter omnium peccatorum ſuorum In-
„ dulgentiam, & remiſſionem miſericor-
„ diter in Domino concedimus. Qui ve-
„ ro pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra
„ Communione refecti, Altare *Nominis*
„ *Dei* in prædicta Eccleſia ſitum, ſecunda
„ Dominica cujuslibet menſis viſitave-
„ rint, & oraverint, ut præfertur; ſeptem
„ annos, & totidem quadragenas. Ac
„ eiſdem Confratribus, & Conſororibus
„ ejuſdem Confraternitatis *Nominis Dei*,
„ qui Miſſæ in dicta ſecunda Dominica
„ menſis in prædicto Altari celebrari ſoli-
„ tæ, quive proceſſionibus per dictam
„ Confraternitatem pro tempore facien-
„ dis interfuerint, & oraverint; ducentos
„ dies: qui vero aliquos blaſphemantes,
„ aut inconſiderate, & temere objuran-
„ tes cum charitate monuerint; centum
„ dies. Quoties vero Miſſis, & aliis divi-
„ nis Officiis in Eccleſia, vel Altari, ſeu
„ Oratorio dictæ Confraternitatis pro
„ tempore celebrandis, & recitandis, ſeu
„ Congregationibus publicis, vel privatis
„ ejuſdem Confraternitatis ubivis facien-
„ dis interfuerint: dictumque Sanctiſſi-
„ mum Euchariſtiæ Sacramentum, tam
„ in proceſſionibus, quam ad Infirmos,
„ aut alias quocunque pro tempore defe-
„ retur, comitati fuerint, aut impediti,
„ campanæ ad id ſigno dato, ſemel oratio-
„ nem Dominicam, & toties Salutatio-
„ nem Angelicam pro infirmo dixerint:
„ aut proceſſionibus extraordinariis dictæ
„ Confraternitatis, aut quarunvis alia-
„ rum de licentia Vicarii noſtri, ſeu Lo-
„ ci Ordinarii faciendis, vel defunctorum
„ exequiis interfuerint: aut infirmos vi-
„ ſitaverint, eiſque in eorum neceſſitati-
„ bus auxiliati fuerint: vel pauperes hoſ-
„ pitio ſuſceperint, aut eleemoſynas illis
„ dederint, & opem tulerint: vel pacem
„ cum inimicis propriis, vel alterius com-
„ poſuerint, vel componi fecerint, ſeu
„ procuraverint: aut quinquies Oratio-
„ nem Dominicam, & toties Salutatio-
„ nem Angelicam pro animabus Confra-
„ trum, & Conſororum dictæ Confra-
„ ternitatis recitaverint: aut impœni-
„ tentes ad viam ſalutis reduxerint, &
„ ignorantes præcepta Dei, & ea quæ ad
„ ſalutem ſunt, docuerint: aut quod-
„ cunque aliud pietatis, & charitatis
„ opus exercuerint, quoties pro prædi-
„ ctorum operum id egerint; centum dies
„ de injunctis, ſeu alias quomodolibet
„ debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ
„ conſueta relaxamus. Necnon dilecto
„ filio Magiſtro Generali dicti Ordinis
„ Prædicatorum, & illo abſente Vicario
„ in Urbe commoranti, ut Confraterni-
„ tates extra Urbem prædictam ubique
„ locorum erigere, & inſtituere, illiſque
„ omnes ſupradictas Indulgentias, & gra-
„ tias ſpirituales communicare ſimiliter
„ libere, & licite poſſit & valeat; autho-
„ ritate Apoſtolica tenore præſentium
„ facultatem concedimus & impartimur.
„ Non obſtantibus Conſtitutionibus, &
„ Ordinationibus Apoſtolicis, cæterif-
„ que contrariis quibuſcunque, præſenti-
„ bus perpetuis futuris temporibus vali-
„ turis. Datum Romæ apud S. Petrum
„ ſub Annulo Piſcatoris die 31. Octo-
„ bris MDCVI. Pontificatus Noſtri anno
„ ſecundo.

Hic annotandum eſt 1.º poſt promulgatum hocBreve duo alia ediidiſſe Paulum V., primum quidem die 28. Septembris anno MDCXII. aliud die 1. Aprilis anno MDCXIII. In primo conceſſit Confratribus Indulgentiam Plenariam, qui ſecunda Dominica cujuslibet menſis ſolemni Proceſſioni ab eiſdem ex inſtituto fieri ſolitæ confeſſi, & Sacra Communione refecti interfuerint, his verbis = *Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii Confratres in Eccleſiis Fratrum Prædicatorum, ubique canonice ſub invocatione Nominis Jeſu inſtitutarum &c. ex antiquo ipſarum Confraternitatum inſtituto ſecunda Dominica cujuslibet menſis, ſolemnem proceſſionem peragere ſoleant; Nos ipſas Confraternitates, quibus certas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones per alias Noſtras Literas in hujuſmodi forma Brevis expeditas olim conceſſimus, ampliori dono decorare volentes &c. omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus in aliqua ex dictis Confraternitatibus ubique in Eccleſiis Fratrum Prædicatorum Ordinis hujuſmodi canonice inſtitutis, nunc deſcriptis, & pro tempore deſcribendis vere pœnitentibus & confeſſis, & Sacra Communione refectis, ſi devote interfuerint dictæ Proceſſioni, Plenariam Indulgentiam elargimur &c.* = Et in altero

ro Brevi conceſſit, ut in locis, ubi ſecunda menſis Duminica Proceſsio peragi non poteſt, ad aliam Dominicam Indulgentia transferatur, ſervata locorum conſuetudine Proceſsionem celebrandi.

Annotandum eſt 2.° Breve Pauli V. cujus initium eſt: *Cum certas* tum quantum ad revocationem, tum quantum ad conceſsionem Indulgentiarum (idem dic de aliis duobus Brevibus memoratis) minime comprehendere alias Confraternitates *Nominis Dei*, quæ reperiebantur in Eccleſiis Sæcularium inſtitutæ independenter ab ejuſmodi Confraternitate erecta in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam ante Breve 130. Sancti Pii V. incipiens: *Decet Romanum Pontificem*, editum die 20. Junii anno MDLXXI., quo decernitur ejuſmodi Confraternitates erigi ſolum in Eccleſiis Ordinis Prædicatorum: in aliis vero Locis, in quibus dicti Ordinis domus non fuerit, aut in finitimis Eccleſiis, nonniſi de licentia Prioris Provincialis, ſeu Conventualis dicti Ordinis; adeo ut aliter admiſſi in Confraternitates non conſequantur Indulgentias, nec favoribus, & privilegiis gaudeant, quæ Confratribus legitime adſcriptis per Sedem Apoſtolicam conceduntur. Idque ut clarius conſtet, operæ pretium eſt in harum Confraternitatum origine, propagatione, & modo, quo Indulgentiarum conceſsionem obtinuerunt, aliquantulum immorari. Cum eo creviſſet ineunte Sæculo XVI. impudentia & impietas Blaſphemantium, ut in eis coercendis vix ſatis Indulgentiæ adhiberi poſſe viderentur, poſt leges in Lateranenſi Concilio a Leone X. ſtatutas, quæ habentur *ſeſs.9. tit. de Reformat. Curiæ*, Pater Didacus de Victoria Ordinis Prædicatorum, aliique quidam viri *Nominis Dei* Sodalitium inſtituerunt, quo execrabile ipſum Blaſphemiæ ſcelus omni ſtudio arceretur, ac falſo temereque jurantium abuſus tolleretur. Burgenſis Civitas, aliæque Hiſpaniarum Urbes eodem Didaco Auctore hoc pium inſtitutum amplexæ fuerunt, quod poſtea in Italia feliciter propagatum Pius IV. & Gregorius XIII. Indulgentiis aliiſque ampliſsimis favoribus decorarunt. Auguſtinus Brunus, qui Eccleſiæ Bononienſis Acta collegit, hanc propagationem deſcribens tradit, Romæ primum in Templo Sanctæ Mariæ ſupra Minervam eam Sodalitatem erectam fuiſſe, inde Bononiæ iiſdem legibus inſtitutam, & in aliis Italiæ locis. Ita tamen Romanæ Sodalitatis exemplum ſibi ad imitationem propoſitum aliquæ ſecutæ ſunt, ut nullum aggregationis, & communicationis Indulgentiarum inter eas indicium appareat; quin etiam Clemente VIII. ſedente plures in Peruvia erant *Nominis Dei* Confraternitates, minime a conſenſu Superiorum Ordinis Prædicatorum dependentes, quibus idem Clemens Indulgentias peculiares conceſsit: ut habetur in ejus Conſtit. 98. incipiente: *Cum ſicut accepimus* edita die 30. Junii anno MDCIII. Hinc revocatis antiquis Indulgentiis Confraternitatis *Nominis Dei* erectæ in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam, noviſque conceſsis, etiam communicandis aliis Confraternitatibus ejuſdem inſtituti erigendis ubique locorum; ob quædam excitata dubia Indulgentiarum, inter nonnullos pios earundem Confraternitatum viros, diſceptatum fuit in Sacra Congregatione Indulgentiarum = *Quarum Confraternitatum Indulgentias Paulus V. in Brevi Cum certas revocaverit: Soliuſne in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam erectæ, an omnium, quæ ſunt in Eccleſiis dicti Ordinis: & an etiam earum, quæ ſunt erectæ in Eccleſiis Sæcularium, quæ Indulgentiis fruebantur, quas Pius IV. & Gregorius XIII. hujuſmodi Societatibus conceſſerunt?* = proditque die 27. Junii anno MDCLXXIII. Decretum tenoris ſequentis = *Sac. Cong. Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita expediri poſſe cenſuit aliud Breve, in quo cæteris omnibus revocatis, ſingillatim exprimantur Indulgentiæ conceſſæ Sodalitati Nominis Dei: ita ut omnes & ſolas complectatur Societates in Eccleſiis Patrum Ordinis Prædicatorum erectas: & intactæ relinquantur, quæ in Sæcularium Eccleſiis inveniuntur tum in Peruvia, tum alibi: quibus tamen non obſtet Breve 130. Beati Pii V. &c.* = Cohærenter ad hoc Sacræ Congregationis Decretum, editum eſt Breve ab Innocentio XI. cujus initium eſt: *Cum dudum felicis record. Pius Papa IV.* die 18. Aprilis anno MDCLXXVIII.

Annotandum eſt 3.° ad completam ha-

harum Confraternitatum notitiam, duas Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum prodiiſſe reſponſiones ſuper earundem Confraternitatum erectionibus. Cum plurimi Chriſtifideles ultra Montes diverſis in locis, in quibus extra Eccleſias Ordinis Prædicatorum Confraternitates *Sanctiſſimi Roſarii* canonice inſtitutæ reperiebantur, errore ducti exiſtimarent vi dictæ inſtitutionis etiam eſſe alteram Confraternitatem Sanctiſſimi *Nominis Dei* erectam: proindeque Confratres, & Conſorores Sanctiſſimi Roſarii ſolitas functiones alterius Confraternitatis Sanctiſsimi *Nominis Dei* peragentes eas Indulgentias comparare, quas Sanctæ Memoriæ Paulus V. in ſupra allato Brevi: *Cum certas* liberaliter conceſſerat; preces porrexit Sanctæ Memoriæ Clementi XI. Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum ad ejuſmodi errorem inpoſterum auferendum: ut quemadmodum Sanctæ Memoriæ Innocentius XI. omnes & ſingulas Confraternitates ſub invocatione Sanctiſſimi *Nominis Dei* in Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis duntaxat, de quarum canonica erectione non conſtabat, confirmavit, eaſque in ſtatu valido eſſe, & fore in omnibus & per omnia decrevit, & declaravit, ac ſi illæ omnes & ſingulæ ab initio canonice erectæ & inſtitutæ fuiſſent, eiſque ut omnibus & ſingulis Indulgentiis a prædicto Sanctæ Memoriæ Paulo V. conceſſis fruerentur, indulſit: ita ſimili remedio de benignitate Sedis Apoſtolicæ memoratis Confraternitatibus provideretur. Remiſſis precibus ad Sacram Congregationem Indulgentiarum &c. diſcuſſoque dubio = *An precibus Oratoris ſit annuendum?* reſponſum fuit ſub die 27. Novembris anno MDCCXIX. = *Orator utatur jure ſuo* = Verum cum prædictus Generalis ſibi ſuaderet ob novam dictarum Confraternitatum *Nominis Dei* inſtitutionem peragendam in Civitatibus & locis ultra Montes, ubi impune graſſantur hæreſes, aut Hæreticorum conterminis id minime exequi poſſe citra Sacrorum Rituum ludibrium, atque devotorum Fidelium confuſionem; novas preces porrexit, ut præaſſertæ Confraternitates Sanctiſſimi *Nominis Dei*, quas legitime in illis partibus inſtitutas. Fideles per errorem arbitrabantur, authoritate Apoſtolica ſanarentur; idcirco iterum eodem dubio propoſito ſub die 15. Januarii anno MDCCXX., ab eadem Sacra Congregatione reſponſum fuit = *Orator per Patres Provinciales injungat Prioribus Conventuum ſui Ordinis in Germania exiſtentium, ut de novo erigant Confraternitates Sanctiſſimi Nominis Dei in locis, in quibus erectæ ſunt Confraternitates Sanctiſſimi Roſarii.*

§. II.

Breve Innocentii XI. quo confirmatur Summarium Indulgentiarum Confraternitatum Sanctiſſimi Roſarii Beatæ Mariæ Virginis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ NUPER pro parte dilecti filii „ Antonii de Monroy Magiſtri „ Generalis Ordinis Fratrum Prædicato- „ rum Nobis expoſitum fuit, quod de hu- „ jus Sanctæ Sedis mandato confectum, „ & a Congregatione Venerabilium Fra- „ trum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium „ Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præ- „ poſita reviſum, & approbatum fuit „ Summarium Indulgentiarum, & alia- „ rum gratiarum ſpiritualium Confrater- „ nitatibus ſub titulo *Sanctiſſimi Roſarii* „ erectis, & inſtitutis auctoritate Apo- „ ſtolica conceſſarum, tenoris qui ſequi- „ tur, videlicet.

§. 1. *Summarium Indulgentiarum, & gratiarum Confratribus, & Conſororibus Sanctiſſimi Roſarii tam in vita, quam in morte conceſſarum.*

CAPUT I.

De confirmatione, & extenſione Indulgentiarum Sanctiſſimi Roſarii.

„ PRimo. Sciendum a multis Sum- „ mis Pontificibus reſpective fuiſſe con-

„ confirmatas Indulgentias, & gratias ab
„ eorum Anteceſſoribus benigne elargi-
„ tas Confratribus, & Conſororibus San-
„ ctiſsimi Roſarii, nimirum a Leone X.
„ in Bulla, quæ incipit: *Paſtoris æterni*,
„ die 6. Octobris 1520. a Clemente VII.
„ in Brevi: *Etſi temporalium* die 8.
„ Maii 1534. a Julio III. in Brevi: *Sin-*
„ *ceræ devotionis*, 24. Auguſti 1551. a
„ Pio V. in Brevi: *Inter deſiderabilia*,
„ die 28. Junii 1569. ac in Brevi: *Con-*
„ *ſueverunt*, die 17. Septembris 1569.
„ Deinde cum omni amplitudine confir-
„ matas, & innovatas a Sixto V. in Bre-
„ vi, quod incipit: *Dum ineffabilia*,
„ 30. Januarii 1586. Denique etiam Pau-
„ lus V. in Brevi: *Cum olim*, die 20.
„ Septembris 1608. revocato Brevi ſuo
„ revocatorio Indulgentiarum antiqua-
„ rum Sanctiſſimi Roſarii in executionem
„ Conſtitutionis Clementis VIII. inci-
„ pientis: *Quæcunque*, & illud ad ter-
„ minos juris reduxit, & priſtino ſtatui
„ reſtituit eaſdem Indulgentias a Summis
„ Pontificibus ſuis prædeceſſoribus con-
„ ceſſas Confraternitatibus Sanctiſſimi
„ Roſarii canonice inſtitutis, ubique lo-
„ corum exiſtentibus.

„ Secundo. Omnes Indulgentias ſpecia-
„ liter, vel generaliter, aut quocunque mo-
„ do uni, vel pluribus Confraternitatibus
„ Sanctiſſimi Roſarii, vel etiam Confratri-
„ bus, & Conſororibus alicujus Confra-
„ ternitatis in aliqua particulari Eccleſia
„ erectæ impertitas, communes eſſe om-
„ nibus Confraternitatibus Sanctiſſimi
„ Roſarii, omnibuſque Confratribus, &
„ Conſororibus omnium dictarum Con-
„ fraternitatum univerſi Orbis. Hoc in-
„ dulſit Gregorius XIII. in Brevi inci-
„ piente: *Paſtoris æterni*, 5. Maii 1581.
„ pro Confraternitatibus canonice erectis.
„ Et Sixtus V. in præfato Brevi: *Dum*
„ *ineffabilia*, omnia privilegia, indulta,
„ facultates, exemtiones, immunitates,
„ conceſsiones, Indulgentias, etiam
„ Plenarias a Summis Pontificibus con-
„ ceſſa, & conceſſas Confraternitatibus,
„ aut Confratribus Sanctiſsimi Roſarii
„ extendit, & ampliat in perpetuum ad
„ Confraternitates erigendas, illarumque
„ Confratres, & Conſorores pro tempo-
„ re exiſtentes.

„ Tertio. Denique quaſcunque In-
„ dulgentias in hoc Summario contentas,
„ quæ conceſſæ ſunt alicui particulari
„ Confraternitati Sanctiſsimi Roſarii vi-
„ gore præfatarum Literarum Apoſtoli-
„ carum, communes eſſe cuilibet Con-
„ fraternitati, & cuilibet reſpective Con-
„ fratri, aut Conſorori in aliqua Confra-
„ ternitate deſcriptis.

CAPUT II.

Indulgentiæ pro iis, qui ad Confraternitatem Sanctiſſimi Roſarii recipiuntur.

„ Primo. Pius V. in præfato Brevi:
„ *Conſueverunt*, concedit Plena-
„ riam Indulgentiam omnibus, & ſingu-
„ lis Chriſtifidelibus per deputatos a Ma-
„ giſtro Generali, vel Vicario Generali
„ pro tempore deſcriptis, vere pœniten-
„ tibus, & confeſsis, qui prima vice deſ-
„ cripti fuerint, & Sanctiſsimum Eucha-
„ riſtiæ Sacramentum in aliqua Eccleſia,
„ ſeu Cappella dictæ Confraternitatis
„ perceperint, & unam ſaltem quinqua-
„ genam Roſarii recitaverint, & pro tran-
„ quillitate Sanctæ Matris Eccleſiæ ora-
„ verint: eandem elargitur illis, qui in
„ mortis articulo conſtituti ſalutaris pœ-
„ nitentiæ, & Viatici Sacramentis fuerint
„ muniti.

„ Secundo. Clemens VIII. in Brevi:
„ *Salvatoris*, die 13. Januarii 1592. om-
„ nibus Chriſtifidelibus vere pœnitenti-
„ bus, & confeſsis, atque Sanctiſsimo Eu-
„ chariſtiæ Sacramento refectis, qui Ro-
„ ſarii Confraternitatem ingredientur
„ erectam in Eccleſia Prædicatorum Op-
„ pidi Divionenſis, die primo eorum in-
„ greſſus, Plenariam Indulgentiam elar-
„ gitur.

„ Tertio. Eandem pariter Indulgen-
„ tiam concedit idem Pontifex in Bulla,
„ quæ incipit: *De ſalute gregis*, die 18.
„ Januarii 1592. pro deſcriptis in Con-
„ fraternitate erecta in Eccleſia Prædica-
„ torum Utini.

C A-

CAPUT III.

Indulgentiæ pro recitantibus Roſarium diebus ordinariis.

„ PRimo. Confratres lucrantur quadraginta dies Indulgentiarum quoties recitaverint, aut recitari fecerint tertiam partem Roſarii: uti conceſsit Alexander Epiſcopus Foroliviensis per univerſam Germaniam Legatus a Latere Confratribus Confraternitatis inſtitutæ in Eccleſia Prædicatorum Coloniæ: ut apparet in literis incipientibus: *Et ſi glorioſos*, die 10. Martii 1476. quam conceſsionem confirmavit Leo X. in præfata Bulla: *Paſtoris æterni*.

„ Secundo. Cuicunque fideli tertiam partem Roſarii recitanti elargitur Sixtus IV. in Bulla incipiente: *Ea quæ ex fidelium*, 12. Martii 1479. quinque annos, & quinque quadragenas. Eandem etiam confirmat Leo X. in præfata Bulla: *Paſtoris æterni*.

„ Tertio. Ex conceſsione Innocentii VIII. in Bulla, quæ incipit: *Splendor paternæ gloriæ*, Romæ 27. Februarii 1488. Confratribus, & Conſororibus in aliqua Confraternitate in Ordine Prædicatorum erecta conſcriptis, vere pœnitentibus, & confeſſis, qui tertiam Roſarii partem recitaverint, toties, quoties id egerint, ſexaginta millia annorum, & totidem quadragenæ Indulgentiarum de injunctis ſibi pœnitentiis relaxantur: in eadem Bulla iiſdem Confratribus, & Conſororibus nunc & pro tempore exiſtentibus vere pœnitentibus, ac ob Beatiſsimæ Virginis Mariæ reverentiam Roſarium deferentibus præfatus Innocentius centum annos, & totidem quadragenas Indulgentiarum de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer indulget. Inſuper iiſdem Confratribus, ſi nomen Jeſu in fine cujuslibet Angelicæ Salutationis nominaverint, quinque annos, & totidem quadragenas ſimiliter concedit.

„ Quarto. Franciſcus de Claromonte tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte S. R. E. Presbyter Cardinalis Roſarii Societatem in Biterrenſi Civitate inſtitutam, auctoritate Apoſtolica ſibi conceſſa, approbavit, confirmavit, & ratificavit: ejuſque Confratribus, & Conſororibus, quotieſcunque per ſe, vel per alium Beatæ Mariæ Virginis Roſarium, quod 50. Ave Maria continet, & quinque Pater noſter, continue legerint, vel legi fecerint, centum dies Indulgentiarum largitus eſt: & Fratre Antonio Curone in S. Theologia Præſentato Roſarium idem prædicante omnibus Chriſtifidelibus ſermonem ejus audientibus, centum dies pro qualibet vice de injunctis pœnitentiis relaxavit.

„ Quinto. Raymundus tit. S. Mariæ Novæ Cardinalis per Germaniam Sanctæ Sedis Legatus concedit Confratribus, & Conſororibus Roſarii Confraternitatis Colonienſis; quoties Roſarium recitaverint, centum dies Indulgentiarum. Quod confirmavit Leo X. in præfata Bulla: *Paſtoris æterni*.

„ Sexto. Confratribus, & Conſororibus dictæ Confraternitatis Coloniæ inſtitutæ vere pœnitentibus, & confeſſis, ſeu confitendi propoſitum habentibus, qui ter in hebdomada Roſarium devote recitaverint, pro qualibet vice decem annos, & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis relaxat Leo X. in præfata Bulla: *Paſtoris æterni*.

„ Septimo. Adrianus Sextus in Bulla quæ incipit: *Illius qui Dominicum gregem*, die prima Aprilis anni 1523. omnibus Confratribus Oppidi de Victoria Diœceſis Calaguritanæ, qui in Cappella Sanctiſſimi Roſarii, aur in quacunque parte ipſius Eccleſiæ, ex qua Altare dictæ Cappellæ conſpici poſſit, recitaverint ſingulis diebus tertiam partem Roſarii, pro qualibet die, qua id fecerint, ut præfertur, quinquaginta annos de injunctis pœnitentiis pariter relaxat. Clemens autem Septimus in Bulla incipiente: *Conſiderantes*, die 6. Aprilis 1524. & in alia quæ incipit: *Ineffabilia*, die 23. Martii anno 1529. concedit eandem Indulgentiam Confratribus dictæ Confraternitatis, qui extra Civitatem prædictam exiſtentes in aliqua Eccleſia, ſeu Oratorio cujuſvis loci tertiam Roſarii partem devote recitaverint.

„ Octa-

„ Octavo. Clemens Septimus in Bre-
„ vi: *Et ſi temporalium*, 8. Maii 1534.
„ addidit duos annos Indulgentiæ Con-
„ fratribus inſtitutarum Confraternita-
„ tum pro quolibet ex tribus diebus heb-
„ domadæ, in quo tertiam partem Ro-
„ ſarii recitabunt, dummodo in ſeptima-
„ na integrum Roſarium recitent. Cum
„ enim ad lucrandam Indulgentiam à
„ Sixto IV. conceſſam, neceſſarium eſ-
„ ſet uno die totum Roſarium recitare,
„ voluit Clemens præfatus ſufficere ad
„ prædictum effectum recitare integrum
„ Roſarium in una ſeptimana, aſſignans
„ pro diebus diem, & pro pluribus vici-
„ bus unam vicem. Et cum prædicta Bul-
„ la publicata non fuerit vivente Cle-
„ mente, publicata fuit per Paulum Ter-
„ tium in Brevi, quod incipit: *Rationi*
„ *congruit*, die 3. Novembris 1534.

„ Nono. Pius Quintus Confratribus
„ Confraternitatum Sanctiſſimi Roſarii
„ erectarum per Fratrem Ambroſium
„ Salvio de Balneolo Ordinis Prædicato-
„ rum, quoties devote recitaverint Roſa-
„ rium reliquis anni diebus (exceptis
„ diebus Annunciationis, Aſſumtionis,
„ Nativitatis, & Purificationis Beatiſ-
„ ſimæ Mariæ Virginis, in quibus major
„ acquiritur Indulgentia) conceſſit qua-
„ draginta dies Indulgentiarum: prout
„ conſtat ex Brevi, quod incipit: *Injun-*
„ *ctum Nobis*, die 14. Junii 1566.

„ Decimo. Ex ejuſdem Pontificis con-
„ ceſſione in Brevi: *Conſueverunt*, 17. Se-
„ ptembris 1569. Confratres Confrater-
„ nitatum erectarum, & per deputatos a
„ Magiſtro Generali, vel Vicario Gene-
„ rali pro tempore deſcripti, ſi devote
„ recitaverint Roſarium integrum quali-
„ bet ſeptimana, lucrantur Indulgentiam
„ ſeptem annorum, & totidem quadra-
„ genarum de pœnitentiis injunctis.

„ Undecimo. Clemens IX. denique
„ in Brevi: *Exponi Nobis*, die 22. Fe-
„ bruarii 1668. elargitur Confratribus
„ Confraternitatum erectarum, & eri-
„ gendarum in futurum in Indiis Regi
„ Hiſpaniarum ſubjectis integrum Roſa-
„ rium recitantibus omnes, & ſingulas
„ Indulgentias, quibus ex Apoſtolica
„ conceſſione fruuntur omnes Chriſtifi-
„ deles in Regnis Hiſpaniæ, recitantes
„ Coronam Beatiſſimæ Virginis.

CAPUT IV.

Indulgentiæ, quas Confratres in particularibus anni diebus recitantes Roſarium lucrantur.

„ Primo. Alexander Epiſcopus Fo-
„ rolivienſis in Germania Legatus
„ centum dies Indulgentiæ concedit om-
„ nibus, & ſingulis Confratribus Confra-
„ ternitatis Colonienſis dicentibus ter-
„ tiam Roſarii partem in quinque feſti-
„ vitatibus Beatiſſimæ Virginis: videli-
„ cet Annunciationis, Viſitationis, Aſ-
„ ſumtionis, Nativitatis, & Purificatio-
„ nis: uti conſtat ex præfata Bulla Leo-
„ nis X. *Paſtoris æterni*.

„ Secundo. Innocentius VIII. anno
„ 1484. 15. Octobris vivæ vocis Oraculo
„ conceſſit omnibus Confratribus Confra-
„ ternitatis Sanctiſſimi Roſarii recitanti-
„ bus Roſarium per hebdomadam Indul-
„ gentiam Plenariam, & omnium pecca-
„ torum remiſſionem, applicandam à
„ Confeſſario ſecundum eorum arbitrium
„ eligendo ſemel in vita, & ſemel in mor-
„ tis articulo: quam Indulgentiam Leo X.
„ in præfata Bulla *Paſtoris æterni* con-
„ firmat.

„ Tertio. Sixtus IV. in Bulla incipien-
„ te: *Paſtoris æterni*, die 29. Maii 1478.
„ elargitur ſeptem annos, & totidem
„ quadragenas Confratribus Confrater-
„ nitatis Colonienſis vere pœnitentibus,
„ & confeſſis, dictam Confraternitatem
„ ſervantibus, qui integrum Roſarium
„ recitaverint, in diebus feſtis Nativita-
„ tis, Annunciationis, & Aſſumtionis
„ Beatiſſimæ Virginis: ſicut refert, &
„ confirmat Leo X. in præfata Bulla: *Pa-*
„ *ſtoris æterni*.

„ Quarto. Pius V. in præfato Brevi:
„ *Injunctum Nobis*, concedit omnibus
„ Confratribus Confraternitatum Roſarii
„ inſtitutarum, & inſtituendarum a Fra-
„ tre Ambroſio Salvio de Balneolo, qui
„ corde contriti, confeſſi, devoteque
„ communicati in die, & feſtivitate An-
„ nunciationis devote Roſarium recita-
„ verint, Indulgentiam Plenariam: die-
„ bus vero Aſſumtionis, Nativitatis, &
„ Purificationis decem annos, & totidem
„ quadragenas.

„ Quin-

„ Quinto. Idem Pontifex in dicto „ Brevi præfatis Confratribus, quoties „ Nomen Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & „ ejuſdem Beatiſſimæ Virginis Mariæ „ Matris ſuæ, tam intus, quam extra di- „ ctum Roſarium pie, & devote nomi- „ naverint, ſeu invocaverint, ſeptem „ dies de injunctis pœnitentiis relaxat.

„ Sexto. Præterea Pius V. in Brevi „ quod incipit: *Conſueverunt*, concedit „ omnibus Confratribus Confraternita- „ tum erectarum a deputatis per Magi- „ ſtrum Generalem, vel Vicarium Ge- „ neralem pro tempore deſcriptis, qui „ in diebus Reſurrectionis Domini, An- „ nunciationis, & Aſſumtionis Beatiſſi- „ mæ Virginis communicati, ut ſupra „ cap. 2. num. 2. dictum eſt, tertiam „ partem Roſarii recitaverint, decem „ annos, & totidem quadragenas.

„ Septimo. Præterea iiſdem Confra- „ tribus, tertiam partem Roſarii ad mi- „ nus recitantibus in reliquis diebus fe- „ ſtis D. N. Jeſu Chriſti, & Beatæ Mariæ „ Virginis, in quibus ſacra Roſarii my- „ ſteria recenſentur, ſeptem annos, & to- „ tidem quadragenas de injunctis pœni- „ tentiis relaxat.

CAPUT V.

Indulgentiæ, quas lucrantur Confratres Sanctiſſimi Roſarii proceſſionem aſſociantes, fieri ſolitam prima Dominica cujuslibet menſis, & diebus feſtis Beatiſſimæ Virginis.

„ PRimo. Pius V. in præfato Brevi: „ *Conſueverunt*, omnibus, & ſin- „ gulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, „ etiam non Confratribus, qui proceſſio- „ ni Sanctiſſimi Roſarii, quæ qualibet „ prima Dominica menſis fieri conſuevit, „ devote interfuerint, ſeptem annos, & „ ſeptem quadragenas de injunctis pœni- „ tentiis relaxat.

„ Secundo. Confratres proceſſionem „ debitis diebus faciendam aſſociantes, „ centum dies Indulgentiæ conſequuntur „ ex conceſſione Gregorii XIII. Confra- „ tribus Roſarii Civitatis Papien. facta „ in Brevi, quod incipit: *Cum ſicut*, „ die 3. Januarii 1579. Præterea idem „ Gregorius in Brevi: *Paſtoris æterni*, „ die 5. Maii 1581. conceſſit Indulgen- „ tiam Plenariam omnibus Confratribus „ vere pœnitentibus, & confeſſis, ac „ communicantibus, qui proceſſioni pri- „ ma Dominica cujuslibet menſis inter- „ fuerint. Inſuper Confratres, qui pro- „ pter infirmitatem, aut aliud legiti- „ mum impedimentum proceſſionibus „ prædictis adeſſe nequiverint, ſi confeſſi, „ & ſanctiſſima Communione refecti Ro- „ ſarium devote recitaverint, aliaſque „ preces pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exal- „ tatione, hæreſum extirpatione, ac pa- „ ce inter Principes Chriſtianos conci- „ lianda, & conſervanda fuderint, eaſ- „ dem Indulgentias conſequuntur, quas „ conſequerentur, ſi ipſis proceſſionibus „ perſonaliter intereſſent: ex conceſſione „ ejuſdem Gregorii in Brevi: *Cupientes*, „ die 24. Decembris 1583.

„ Tertio. Eandem Plenariam Indul- „ gentiam aſſequuntur Confratres, & „ Conſorores Confraternitatum Roſarii „ vere pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra „ Communione refecti, qui proceſſioni „ prima Dominica menſis peragendæ in- „ terfuerint, & pro Chriſtianorum Prin- „ cipum concordia, hæreſum extirpatio- „ ne, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exalta- „ tione pias ad Deum preces effundunt, „ ex conceſſione Pauli V. in Brevi, quod „ incipit: *Piorum hominum*, die 15. „ Aprilis 1608.

„ Quarto. Pius IV. eandem etiam In- „ dulgentiam Plenariam conceſſit Con- „ fraternitati Sanctiſſimi Roſarii inſtitu- „ tæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Mi- „ nervam in Urbe, in Bulla incipiente: „ *Dum præclara*, die 28. Februarii 1561. „ omnibus Confratribus, & Conſorori- „ bus Sanctiſſimi Roſarii vere pœniten- „ tibus, & confeſſis, vel firmum propo- „ ſitum temporibus ſtatutis confitendi „ habentibus, qui proceſſionem aſſocia- „ verint in dicta Eccleſia fieri ſolitam in „ feſtivitatibus, & ſolemnitatibus glorio- „ ſæ Virginis Mariæ: videlicet, Purifi- „ cationis, Annunciationis, Viſitationis, „ Aſſumtionis, Nativitatis, Præſenta- „ tionis, & Conceptionis.

„ Quinto. Gregorius XIII. in Brevi: „ *Ad augendam*, 24. Octobris 1577. „ elargitur Indulgentiam Plenariam Con- „ fra-

„ ſratribus Confraternitatis Roſarii ere- „ ctæ in Eccleſia Sancti Dominici Bono- „ niæ vere pœnitentibus, & confeſſis, „ ac ſacra Communione refectis, qui ſin- „ gulis annis ſolemni proceſſioni prima „ Dominica cujuslibet menſis in dicta „ Eccleſia celebrandæ interfuerint, & „ Cappellam Sanctiſſimi Roſarii devote „ viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum „ Principum concordia, & unione, ac „ hæreſum extirpatione, Sanctæque Ma- „ tris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum „ preces effuderint.

CAPUT VI.

Indulgentiæ pro Confratribus viſitantibus Cappellam Sanctiſſimi Roſarii.

„ PRimo. Pius IV. in præfata Bulla: „ *Dum præclara*, concedit Indul- „ gentiam Plenariam iis, qui vere pœ- „ nitentes, & confeſſi, vel firmum pro- „ poſitum confitendi habentes, ſtatutis „ ab Eccleſia temporibus, devote viſita- „ verint Cappellam Sanctiſſimi Roſarii „ in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Miner- „ vam de Urbe in feſtis Beatiſſimæ Vir- „ ginis: videlicet, Purificationis, An- „ nunciationis, Viſitationis, Aſſumtio- „ nis, Nativitatis, Conceptionis, & Præ- „ ſentationis a primis veſperis uſque ad „ occaſum Solis dictarum feſtivitatum.

„ Secundo. Gregorius XIII. in Brevi: „ *Ad augendam*, 12. Martii 1577. con- „ ceſſit Plenariam Indulgentiam Confra- „ tribus Confraternitatis Sanctiſſimi Ro- „ ſarii inſtitutæ in Eccleſia Prædicatorum „ Cremonæ, qui vere pœnitentes, & „ confeſſi, necnon ſacra Communione „ refecti, devote viſitaverint Cappellam „ Roſarii prima Dominica cujuslibet „ menſis, & omnibus feſtis Beatiſſimæ, „ & Glorioſiſſimæ Virginis: ibique pias „ ad Deum preces effuderint pro Chri- „ ſtianorum Principum concordia, ex- „ tirpatione hæreſum, & Sanctæ Matris „ Eccleſiæ exaltatione.

„ Tertio. Idem Pontifex in Brevi: *Ad* „ *augendam*, die 24. Octobris 1577. „ Indulgentiam Plenariam conceſſit cui- „ libet Confratri Confraternitatis Roſa- „ rii erectæ in Eccleſia S. Dominici Bo- „ noniæ, qui pœnitens, & confeſſus, ac „ ſanctiſſima Communione refectus Cap- „ pellam Roſarii S. Dominici de Bono- „ nia in ſingulis feſtivitatibus Beatiſſimæ „ Virginis devote viſitaverit, atque ut „ ſupra oraverit.

„ Quarto. In alio Brevi incipiente: „ *Cum ſicut*, 3. Januarii 1579. idem „ Gregorius elargitur Confratribus Con- „ fraternitatis erectæ in Eccleſia Prædi- „ catorum Civitatis Papien. pro qualibet „ die, qua viſitaverint Cappellam, ſeu „ Altare Sanctiſſimi Roſarii in præfata „ Eccleſia, centum dies Indulgentiæ „ orando Deum, ut ſupra. Inſuper con- „ cedit Indulgentiam Plenariam Confra- „ tribus ejuſdem Confraternitatis Papien- „ ſis, qui devote viſitaverint dictum Al- „ tare, ſeu Cappellam in præfata Eccle- „ ſia tertia Dominica Aprilis, & prima „ Octobris, a primis veſperis uſque ad „ occaſum Solis: dummodo vere pœni- „ tentes, & confeſſi, ac ſacra Commu- „ nione refecti, ut præfertur, orave- „ rint.

„ Quinto. Idem Gregorius in Brevi: *Ex-* „ *poni Nobis*, prima Octobris 1577. „ concedit Indulgentiam Plenariam om- „ nibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chri- „ ſtifidelibus, qui vere pœnitentes, & „ confeſſi, prima Dominica menſis Octo- „ bris devote viſitaverint a primis veſpe- „ ris uſque ad occaſum Solis ejuſdem Do- „ minicæ Eccleſiam Sanctæ Mariæ ſuper „ Minervam de Urbe, & ibi pro Princi- „ pum concordia &c. pias ad Deum pre- „ ces effuderint.

„ Sexto. Præterea idem Pontifex in „ Brevi: *Paſtoris æterni*, die 5. Maii 1581. „ Indulgentiam Plenariam concedit om- „ nibus Confratribus erectarum Confra- „ ternitatum Roſarii, qui vere pœni- „ tentes, & confeſſi, ac ſacratiſſima Com- „ munione refecti, devote viſitaverint „ Cappellam Sanctiſſimi Roſarii illis die- „ bus, quibus aliqua myſteria Roſarii „ celebrantur, & proceſſioni primæ Do- „ minicæ cujuslibet menſis interfuerint.

„ Septimo. Cemens VIII. in Brevi: „ *Salvatoris, & Domini Noſtri*, 13. Ja- „ nuarii 1592. elargitur Plenariam In- „ dulgentiam Confratribus Confraterni- „ tatis Roſarii erectæ in Eccleſia Prædi- „ catorum Divioni, vere pœnitentibus,

„ & confeſſis, ac ſacra Communione re-
„ fectis, qui devote viſitaverint Cappel-
„ lam, ſeu Altare Roſarii dictæ Eccleſiæ
„ in qualibet prima Dominica menſis
„ Octobris a primis veſperis uſque ad oc-
„ caſum Solis: ac inibi pias ad Deum
„ preces effuderint pro Sedis Apoſtolicæ,
„ & fidei Catholicæ exaltatione, & hæ-
„ reſum extirpatione, necnon pacis inter
„ Principes Chriſtianos conſervatione, aut
„ alias prout unicuique ſuggeret devo-
„ tio.

„ „ Octavo. Inſuper in eodem Brevi
concedit eiſdem Confratribus ſeptem
„ annos, & totidem quadragenas Indul-
„ gentiæ, qui vere pœnitentes, confeſſi,
„ & devote communicati, ultra feſtum
„ Paſchatis Reſurrectionis in diebus feſtis
„ Pentecoſtes, Aſſumtionis Beatiſſimæ
„ Virginis, necnon Omnium Sanctorum,
„ & Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti Cap-
„ pellam, aut Altare Sanctiſſimi Roſarii
„ viſitaverint, & Deum, ut præfertur,
„ oraverint.

„ „ Nono. Idemmet Clemens VIII. in
„ Bulla incipiente: *De ſalute gregis*,
„ die 18. Januarii 1592. Confratribus, &
„ Conſororibus Sanctiſſimi Roſarii Con-
„ fraternitatis erectæ in Civitate Utinen-
„ ſi, vere pœnitentibus, & confeſſis, ac
„ Communione ſacra refectis, qui in fe-
„ ſtivitate Aſſumtionis Beatiſſimæ Vir-
„ ginis ſingulis annis devote viſitaverint
„ Eccleſiam dictæ Confraternitatis a pri-
„ mis veſperis uſque ad occaſum Solis:
„ ibique aliquas preces effuderint pro ex-
„ altatione Sanctæ Matris Eccleſiæ, ex-
„ tirpatione hæreſum, reductione hære-
„ ticorum, & converſione infidelium, &
„ pro conſervatione pacis, concordiæ,
„ & unionis inter Principes Chriſtianos,
„ quoties id egerint; Indulgentiam ple-
„ nariam concedit. Præterea in eadem
„ Bulla iiſdem Confratribus, qui vere
„ pœnitentes, confeſſi, & communicati
„ devote viſitaverint prædictam Eccle-
„ ſiam in ſolemnitatibus Conceptionis,
„ Nativitatis, Annunciationis, & Viſi-
„ tationis glorioſæ Virginis Mariæ, &
„ oraverint, ut ſupra, ſeptem annos, &
„ ſeptem quadragenas Indulgentiæ elar-
„ gitur.

CAPUT VII.

Indulgentiæ, quas Confratres, & Conſorores Sanctiſſimi Roſarii lucrantur pia opera exercentes.

„ PRimo. Alexander Epiſcopus Fo-
„ rolivienſis Legatus Apoſtolicus
„ per Germaniam conceſſit quadraginta
„ dies Indulgentiæ de injunctis ſibi pœni-
„ tentiis omnibus Confratribus Confra-
„ ternitatis Roſarii erectæ Coloniæ, qui
„ Sabbatis, & feſtivis diebus interfuerint,
„ dum cantatur Salve Regina poſt Com-
„ pletorium coram Altari Beatiſſimæ Vir-
„ ginis, ubi prædicta Confraternitas in-
„ ſtituta eſt: quam conceſſionem confir-
„ mavit Leo X. in præfata Bulla: *Paſtoris*
„ *æterni*.

„ Secundo. Gregorius XIII. in præ-
„ fato Brevi: *Cum ſicut accepimus*, 3. Ja-
„ nuarii 1579. Confratribus Confraterni-
„ tatis Sanctiſſimi Roſarii Papiæ relaxat
„ centum dies de injunctis eis, ſeu quo-
„ modolibet debitis pœnitentiis, qui ve-
„ xillum Sanctiſſimi Roſarii aſſociave-
„ rint, quando corpora mortuorum
„ Confratrum deferuntur ad ſepulturam:
„ & interfuerint Anniverſariis pro anima-
„ bus defunctorum Confratrum celebran-
„ dis: & ibi pro Chriſtianorum Princi-
„ pum concordia &c. vel alias oraverint:
„ vel infirmos Confratres ad Eccleſiaſtica
„ Sacramenta ſumenda hortati fuerint, &
„ viſitaverint.

„ Tertio. Clemens VIII. in Brevi: *Sal-*
„ *vatoris*, die 13. Januarii 1592. Con-
„ fratribus Confraternitatis Sanctiſſimi
„ Roſarii erectæ in Eccleſia Prædicato-
„ rum Oppidi Divionenſis, qui divinis
„ Officiis per illos Confratres, ſeu ex eo-
„ rum inſtituto in dicta Cappella decan-
„ tandis, ac Congregationibus publicis,
„ vel ſecretis pro felici directione dictæ
„ Confraternitatis habendis interfuerint:
„ atque aſſociaverint Sanctiſſimum Sacra-
„ mentum dum ad aliquem infirmum de-
„ ferri contigerit: ac qui legitime impe-
„ diti hoc facere nequiverint, campanæ
„ ad id ſigno dato, genuflexi ſi potue-
„ rint, Orationem Dominicam pro eo-
„ dem infirmo recitaverint: necnon cu-
„ juſcunque Confratris cadaver ad ſepul-

„ turam

Digitized by Google

„ turam Eccleſiaſticam aſſociaverint: vel
„ eos in eorum infirmitatibus viſitave-
„ rint, & conſolati fuerint: ac Oratio-
„ nem Dominicam quinquies, & toties
„ Angelicam Salutationem coram imagi-
„ ne Sanctiſſimi Crucifixi in honorem
„ quinque plagarum D. N. Jeſu Chriſti
„ pro animabus eorundem Confratrum
„ in Chriſti charitate defunctorum reci-
„ taverint, quoties aliquod præmiſſorum
„ fecerint; ſexaginta dies de injunctis eis,
„ aut alias quomodolibet debitis pœni-
„ tentiis relaxat.

„ Quarto. Idem in Brevi: *Ineffabilia*
„ *Dei Genitricis*, die 12. Februarii 1598.
„ Confratribus Confraternitatis Sanctiſſi-
„ mi Roſarii erectæ in Eccleſia S. Pauli
„ Valliſoleti Ordinis Prædicatorum cen-
„ tum dies, quoties vere pœnitentes, &
„ confeſſi, ſeu a jure ſtatutis temporibus
„ firmum confitendi propoſitum habentes,
„ Antiphonæ *Salve Regina* in præfata
„ Eccleſia poſt Completorium decantari
„ ſolitæ interfuerint: in feſtivitatibus
„ autem Beatiſſimæ Virginis; necnon
„ Sanctorum Apoſtolorum, & Sancto-
„ rum dicti Ordinis, & quando ipſi Con-
„ fratres, juxta ſtatuta dictæ Confrater-
„ nitatis, cum cereis accenſis adeſſe te-
„ nentur, eiſdem Confratribus, ut præ-
„ fertur intereſſentibus, tres annos, &
„ totidem quadragenas de injunctis eis,
„ aut quomodolibet debitis pœnitentiis
„ relaxat. Illis autem Confratribus, qui
„ pro ſolemnitate a dicta Confraternitate
„ celebrari ſolita Dominica infra Octa-
„ vam Nativitatis Beatiſſimæ Virginis,
„ ornandis Altaribus, vel Eccleſiæ præ-
„ parandæ vacaverint, aut ornamenta
„ ad divinum cultum ſpectantia miſerint,
„ centum dies Indulgentiæ concedit: ex-
„ tendens ſupradictas Indulgentias ad in-
„ firmos, mulieres gravidas, & legitime
„ impeditos, qui flexis genibus prædi-
„ ctam Antiphonam *Salve Regina* co-
„ ram Altari, vel Imagine Beatæ Vir-
„ ginis devote recitaverint: qui autem
„ Confratrem infirmum viſitaverint, aut
„ corpus defuncti Confratris ad dictam
„ Eccleſiam aſſociaverint; tres annos,
„ & totidem quadragenas de injunctis
„ eis, aut alias quomodolibet debitis pœ-
„ nitentiis.

„ Quinto. Idem Pontifex in Bulla: *De*
„ *ſalute gregis*, die 15. Februarii an-
„ no 1592. Confratribus Confraternita-
„ tis Sanctiſſimi Roſarii erectæ in Eccle-
„ ſia Prædicatorum Utini, quoties inter-
„ fuerint divinis Officiis, aut Miſſis, quæ
„ celebrantur in dicta Eccleſia, vel in-
„ tuitu, vel ex inſtituto, aut conſuetu-
„ dine dictæ Confraternitatis: aut hoſpi-
„ tio pauperes peregrinos exceperint,
„ aut eleemoſynis, vel officiis adjuve-
„ rint: aut pacem cum inimicis compo-
„ ſuerint, ſeu componi fecerint: vel
„ procuraverint: ac etiam corpora defun-
„ ctorum tam Confratrum, quam alio-
„ rum ad ſepulturam aſſociaverint: aut
„ infirmos conſolati fuerint: aut proceſ-
„ ſiones ordinarias tam Confraternita-
„ tis, quam alias quaſcunque de licen-
„ tia Ordinarii celebrandas Sanctiſſimum
„ Sacramentum tam in proceſſionibus,
„ quam ad infirmos, vel quovis modo
„ delatum comitati fuerint, ſeu impediti
„ per alium, vel alios aſſociari fecerint:
„ vel campanæ ad id ſigno dato, genuflexi,
„ ſemel Orationem Dominicam, & Salu-
„ tationem Angelicam pro animabus
„ Confratrum defunctorum recitaverint:
„ aut devium aliquem ad viam ſalutis re-
„ duxerint, aut ignorantes præcepta Dei,
„ & alia ad ſalutem neceſſaria docuerint:
„ aut quodcunque aliud pietatis, vel
„ charitatis opus exercuerint, quoties præ-
„ miſſa, vel aliquod præmiſſorum ege-
„ rint; ſexaginta dies de injunctis eis,
„ aut quomodolibet debitis pœnitentiis
„ relaxat.

„ Sexto. Rurſus Gregorius XIII. in
„ Brevi: *Deſiderantes*, 22. Martii 1580.
„ Confratribus Confraternitatum San-
„ ctiſſimi Roſarii inſtitutarum in Eccleſiis
„ Fratrum Prædicatorum Provinciæ S. Ja-
„ cobi novæ Hiſpaniæ in Indiis, & om-
„ nibus Chriſti fidelibus, qui vere pœ-
„ nitentes, confeſſi, ac ſacra Commu-
„ nione refecti, devote viſitaverint di-
„ ctas Eccleſias diebus feſtis Patroni ea-
„ rundem reſpective, & in ſolemnitate
„ Corporis Chriſti, Indulgentiam ple-
„ nariam concedit. Inſuper omnibus Con-
„ fratribus, qui Sabbatis in Quadrageſi-
„ ma aſſiſtent Miſſæ, & Concioni Bea-
„ tiſſimæ Virginis, ac dum cantatur An-
„ tiphona *Salve Regina*, concedit unius
„ anni Indulgentiam. Præterea quando

„ ex eleemoſynis Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii Virgines matrimonio junguntur, tam ipſis, quam ipſarum maritis, & Confratribus Sanctiſſimi Roſarii proceſsioni intereſsentibus quinque annos Indulgentiæ elargitur. Denique Confratribus, & Conſororibus aſſociantibus proceſſionem, quæ fit ſingulis Sabbatis, aut ſemel in menſe per Eccleſias, vel Clauſtrum dictarum domorum, in ſuffragium mortuorum, octo annos Indulgentiæ de injunctis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis relaxat.

CAPUT VIII.

Indulgentiæ, quas conſequuntur Confratres, & Conſorores Sanctiſſimi Roſarii viſitantes quinque Altaria.

„ LEO X. inſtituit, & conceſſit, ut quilibet Confrater Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii canonice in quacunque Eccleſia Ordinis Prædicatorum erectæ quinque Altaria viſitando cujuſcunque Eccleſiæ, aut unum, vel duo quinquies, ſi quinque deſuerint, eaſdem Indulgentias integraliter conſequatur, ac ſi omnes Almæ Urbis Stationes peregrinando circumiret: quam conceſſionem confirmat, & approbat Clemens VII. in Brevi: *Et ſi temporalium*, quod Paulus III. in Brevi: *Rationi congruit*, 3. Novembris 1534. publicavit.

CAPUT IX.

Indulgentiæ, quas lucrantur Confratres, & Conſorores peccata ſua confitendo, & communicando aliquibus Dominicis anni.

„ PRimo. Gregorius XIII. in Brevi quod incipit: *Ad augendam*, pro Confraternitatibus inſtitutis in Eccleſiis Prædicatorum Provinciæ utriuſque Lombardiæ die 8. Novembris 1578. & in alio ſimili pro Provincia Romana anno 1579. die 29. Auguſti concedit Plenariam Indulgentiam omnibus Confratribus, & Conſororibus Sanctiſſimi Roſarii, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac devote in dictis Eccleſiis primis Dominicis diebus cujuslibet menſis ſacram Communionem ſumſerint: ibique pro extirpatione hæreſum, pro pace inter Principes Chriſtianos, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint. Quam Indulgentiam extendit ad Confratres infirmos, qui ad eaſdem Eccleſias, ſeu quamlibet earum accedere non valentes, prævia confeſſione, & Communione domi ſuæ ante devotam imaginem devote Roſarium, ſeu Coronam, aut ſeptem Pſalmos, qui legere ſciunt, recitaverint.

„ Secundo. Clemens Octavus in Brevi: *Ineffabilia glorioſæ Virginis*, 12. Februarii 1598. Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii erectæ in Eccleſia S. Pauli Valliſoleti Ordinis Prædicatorum, qui Dominica infra Octavam Nativitatis Beatiſſimæ Virginis ſolemniter hujuſmodi feſtivitatem celebrare volunt, ſi vere pœnitentes, & confeſſi eadem die annis ſingulis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perceperint, & Altiſſimo preces pro univerſalis Eccleſiæ, & Romani Pontificis ſtatu fuderint; Plenariam ſuorum peccatorum Indulgentiam concedit.

„ Tertio. Gregorius XIII. in Brevi quod incipit: *Deſiderantes*, 22. Martii 1580. Confratribus, & Conſororibus Confraternitatum jam erectarum in Eccleſiis Fratrum Prædicatorum Provinciæ S. Jacobi novæ Hiſpaniæ in Indiis, qui prima Dominica Octobris vere pœnitentes, & confeſſi alicui Confeſſario dicti Ordinis, Sacram Euchariſtiam ſumſerint in præfatis Eccleſiis, in quibus inſtituta eſt Confraternitas Sanctiſſimi Roſarii, Plenariam Indulgentiam elargitur.

CA-

CAPUT X.

Indulgentiæ, quibus fruuntur Confratres, & Conſorores Sanctiſſimi Roſarii in mortis articulo.

„ PRimo. Supradiximus, quod Confratres, & Conſorores Sanctiſſimi „ Roſarii reſpective, ex conceſſione Innocentii VIII. & Leonis X. qui per „ ſeptimanam Roſarium recitaverint, „ conſequantur ſemel in vita, & ſemel in „ morte Indulgentiam Plenariam: & „ Pius V. in Brevi: *Conſueverunt*, Indulgentiam Plenariam concedit Confratribus Confraternitatum erectarum „ in articulo mortis conſtitutis, confeſſis, „ & per modum Viatici ſacra Communione refectis.

„ Secundo. Adrianus VI. in Bulla: „ *Illius, qui Dominicum gregem*, die „ prima Aprilis anno 1523. Plenariam „ Indulgentiam concedit Confratribus „ Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii „ erectæ in Eccleſia Prædicatorum Victoriæ, vere pœnitentibus, & confeſſis, vel firmum propoſitum confitendi „ habentibus: qui in mortis articulo in „ manibus tenentes cereum benedictum „ Confraternitatis in honorem Virginis „ Mariæ ex hac luce migraverint; ſi ante „ eorum obitum Roſarium ſemel duntaxat recitaverint. Quam Indulgentiam „ confirmavit Clemens VII. in præfata „ Bulla: *Ineffabilia &c.*

„ Tertio. Clemens VIII. in Brevi: „ *Salvatoris*, 13. Januarii 1592. Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi „ Roſarii inſtitutæ Divioni, qui vere „ pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti, pium Nomen Jeſu corde, ſi ore nequiverint, in mortis articulo invocaverint, Plenariam Indulgentiam elargitur.

„ Quarto. Et in Brevi: *Ineffabilia* „ *glorioſæ*, 12. Februarii 1598. Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi „ Roſarii erectæ in Eccleſia Sancti Pauli „ Valliſoleti, ſi in articulo mortis recipiendo Sanctiſſima Eccleſiæ Sacramenta, & Eccleſiæ Romanæ fidem profitendo, Antiphonam *Salve Regina*, „ dixerint, & Beatæ Virgini ſe commendaverint, Indulgentiam Plenariam concedit.

„ Quinto. Idem in Bulla quæ incipit: „ *De ſalute gregis*, 18. Januarii 1592. „ Confratribus, & Conſororibus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii Utini erectæ, vere pœnitentibus, & confeſſis, „ ac ſacra Communione refectis, qui in „ articulo mortis Sanctiſſimum Nomen „ Jeſu corde, ſi ore nequiverint, invocaverint, vel aliquod contritionis ſignum „ dederint, Indulgentiam Plenariam concedit.

„ Sexto. Clemens X. in Brevi: *Cœleſtium munerum*, 16. Febuarii anni 1671. Sacerdotibus Sæcularibus, aut „ Regularibus, quibus licitum fuerit „ juxta Conſtitutiones, & Decreta Sedis Apoſtolicæ celebrare Miſſam Sanctiſſimi Roſarii, eandem celebrando; „ ſicut & omnibus Religioſis, & Sanctimonialibus, etiam Tertii Ordinis Prædicatorum, & omnibus Confratribus, „ & Conſororibus cujuſcunque Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii jam erectæ, aut erigendæ in futurum in quocunque loco, qui vere pœnitentes, & „ confeſſi, vel firmum confitendi habentes propoſitum, prædictæ Miſſæ devote interfuerint: ibique pro pace inter Principes Chriſtianos, hæreſum „ extirpatione, & exaltatione Sanctæ „ Matris Eccleſiæ oraverint, quoties id „ egerint; impertitur omnes Indulgentias, peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes, quas Confratres, & Conſorores dictæ Confraternitatis integrum Roſarium recitando ex Sedis Apoſtolicæ conceſſione aſſequuntur.

„ Septimo. Idem Pontifex in eodem „ Brevi omnibus, & ſingulis prædictis, „ qui ſoliti fuerint dictam Sanctiſſimi Roſarii Miſſam celebrare, uti dictum eſt, „ aut eidem aſſiſtere; ſi vere pœnitentes, confeſsi, & communicati oraverint, „ ſicut dictum eſt, concedit: ut omni „ menſe eaſdem ſimiliter conſequantur „ indulgentias, peccatorum remiſsiones, „ & pœnitentiarum relaxationes, quas „ conſequuntur Confratres, & Conſorores dictarum Confraternitatum, aſſi-

„ ſten-

„ ſtendo proceſſioni Sanctiſſimi Roſarii qualibet prima Dominica menſis.

„ Octavo. Præterea idem Summus Pontifex in eodem Brevi concedit, ut omnes hæ Indulgentiæ, peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes poſſint per modum ſuffragii animabus defunctorum applicari.

CAPUT XI.

Quomodo omnes prædictæ Indulgentiæ ad infirmos, ac legitime impeditos extendantur.

„ PRæter ea quæ Capite quinto, & nonodiximus, ſciendum Sixtum V. in præfato Brevi: *Dum ineffabilia*, Confratribus Confraternitatum tam hactenus erectarum, quam in poſterum erigendarum itinerantibus, navigantibus, & ſervientibus, totum Roſarium; infirmis vero, aut alias legitime impeditis tertiam ejus partem devote recitantibus, necnon temporibus debitis, & ab Eccleſia ſtatutis confitendi, & communicandi firmum propoſituin habentibus (qui Cappellam Roſarii in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Minervam Ordinis Prædicatorum Romæ, aut alias Eccleſias, vel Cappellas ubicunque dicta Confraternitas canonice erecta fuerit, iis diebus, quibus feſta Myſteriorum Roſarii celebrantur, viſitare, & proceſſioni, quæ prima Dominica cujuslibet menſis fieri ſolet, intereſſe non poterint) Plenariam Indulgentiam concedere, & elargiri: illiſque communicare omnes, & ſingulas Indulgentias, peccatorumque remiſſiones, etiam Plenarias conceſſas, & concedendas in futurum omnibus Confratribus, & Conſororibus in præfatis diebus Cappellas, ſeu Eccleſias Roſarii viſitantibus, ac dictæ proceſſioni intereſſentibus; perinde ac ſi iiſdem diebus dictas Cappellas, ſeu Eccleſias perſonaliter viſitarent, & proceſſionibus hujuſmodi intereſſent. Advertant nihilominus Confratres, ut debita contritione muniantur.

CAPUT XII.

Indulgentiæ pro Defunctis:

„ PRimo. Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit: *Omnium ſaluti*, 30. Octobris 1582. concedit Eccleſiæ Prædicatorum loci Racconſii, ubi eſt Altare Sanctiſſimi Roſarii, quod non eſt Altare majus, indultum Altaris Privilegiati, quoties ab aliquo dictæ Domus Sacerdote duntaxat Miſſa defunctorum celebrabitur, pro anima cujuſcunque fidelis defuncti Confratris Sanctiſſimi Roſarii.

„ Secundo. Clemens X. concedit omnes Indulgentias capitulo decimo numero ſexto recenſitas, poſſe applicari per modum ſuffragii Animabus defunctorum.

„ Tertio. Præterea Innocentius XI. conceſſit, & indulſit in perpetuum, ut omnes, & ſingulæ Indulgentiæ Confratribus, & Conſororibus Roſarii conceſſæ, poſſint ab iiſdem per modum ſuffragii applicari Animabus fidelium defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint.

Forma, ut vocant Abſolutionis, ſeu modus impartiendæ Indulgentiæ Confratribus Roſarii in articulo mortis.

„ COnfiteor. *Pater ſpiritualis*. Miſereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus Noſter Jeſus Chriſtus filius Dei vivi, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam, & remittat tibi omnia peccata, quæcunque, & quomodocunque in toto vitæ decurſu commiſiſti, de quibus corde contritus, & ore confeſſus es, reſtituens tibi ſtolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti: & per Indulgentiam Plenariam a Summo Pontifice Innocentio VIII. Confratribus Sanctiſſimi Roſarii in articulo mortis conſtitutis conceſſam liberet te a præſentis, ac futuræ vitæ pœnis: dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas inferi claude-

„ re,

„ re, Paradiſi januam aperire: teque ad „ gaudia ſempiterna perducere per ſacratiſſima ſuæ vitæ, paſſionis, & glorificationis myſteria Sanctiſſimo Roſario „ comprehenſa. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto Deus unus vivit, & regnat „ in ſæcula ſæculorum. Amen.

„ §. 2. *Die* 11. *Julii* 1679 *Sac.Cong.* „ *Summarium hoc Indulgentiarum a ſe* „ *recognitum approbavit*. = A. Cardinalis Homodeus. Loco ✠ Sigilli. „ Michael Angelus Riccius Sacræ Congregationis Indulgentiarum, Sacrarumque Reliquiarum Secretarius.

„ §. 3. Cum autem, ſicut eadem expoſitio „ ſubjungebat, dictus Antonius Magiſter „ Generalis Summarium hujuſmodi quo „ firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, & „ alias opportune in præmiſſis a Nobis „ provideri, ac ut infra indulgeri plurimum deſideret; Nos ipſius Antonii „ Magiſtri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes; eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis „ ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, „ vel ab homine quavis occaſione, vel „ cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium „ duntaxat conſequendum harum ſerie „ abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, præinſertum Summarium Indulgentiarum, & gratiarum ſpiritualium, „ omniaque, & ſingula in eo contenta „ auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis „ robur adjicimus: ac omnes & ſingulos „ juris, & facti defectus, ſi qui deſuper „ quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

„ §. 4. Præterea præfato Antonio moderno, & pro tempore exiſtenti Magiſtro Generali dicti Ordinis Fratrum „ Prædicatorum, eoque a Romana Curia „ abſente, Vicario Generali ejuſdem Ordinis itidem pro tempore exiſtenti „ Confraternitates ſub titulo Sanctiſſimi „ Roſarii hujuſmodi in quibuſvis Mundi „ partibus (ſervata tamen Conſtitutionis „ fel. rec. Clementis PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Quæcunque a Sede Apoſtolica &c.* 7. Decembris MDCIV. editæ, ac decretorum „ hujus Sanctæ Sedis, præſertim circa „ diſtantiam locorum in erectione Confraternitatum ſimilis inſtituti ſervandam emanatorum forma, & diſpoſitione) erigendi & inſtituendi quamcunque „ neceſſariam, & opportunam facultatem „ auctoritate, & tenore præfatis tribuimus, & impertimur.

„ §. 5. Ac omnibus, & ſingulis Confraternitatibus utriuſque ſexus Chriſtifidelium „ ſub eodem titulo SS. Roſarii ubicunque „ locorum hactenus erectis, & in futurum „ tam in præfati Ordinis, quam in aliis quibuslibet Eccleſiis, vel Oratoriis per memoratum Magiſtrum Generalem, ſeu „ Vicarium Generalem, ſicut præmittitur, quandocunque erigendis, illarumque Confratribus, & Consororibus: ut „ ſtatim atque canonica ipſarum Confraternitatum erectio facta fuerit, etiam „ abſque ulla Indulgentiarum, & gratiarum ſpiritualium communicatione, vel „ aggregatione, omnium, & ſingularum „ Indulgentiarum, etiam Plenariarum, „ & aliarum gratiarum ſpiritualium præfatarum participes ſint: dictique Confratres, & Conſorores omnes, & ſingulas, etiam Plenarias Indulgentias, & „ peccatorum remiſsiones, ac pœnitentiarum relaxationes, cæteraſque gratias ſpirituales in Summario præinſerto „ contentas, & expreſſas (ſervatis tamen, „ & adimpletis omnibus illis, quæ pro illarum conſecutione reſpective præſcripta ſunt) conſequi, illiſque uti, „ frui, & gaudere libere, & licite poſſint, „ & valeant; eadem auctoritate harum ſerie concedimus, & indulgemus.

„ §. 6. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces „ exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & „ integros effectus ſortiri, & obtinere, „ ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore „ quandocunque ſpectabit, in omnibus, „ & per omnia pleniſsime ſuffragari, & „ ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſsis per quoſcunque „ Judices ordinarios, & delegatos, etiam „ cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores „ judicari, & definiri debere: ac irritum, „ & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quo-

„ quam

„ quam quavis auctoritate ſcienter, vel
„ ignoranter contigerit attentari.

„ §.7. Non obſtantibus quatenus opus ſit
„ noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regu-
„ la de non concedendis Indulgentiis ad-
„ inſtar, ac præfata Clementis Prædeceſ-
„ ſoris, aliiſque Conſtitut., & ordinationi-
„ bus Apoſtolicis: necnon quibuſvis, etiam
„ juramento, confirmatione Apoſtolica,
„ vel quavis firmitate alia roboratis ſtatu-
„ tis, & conſuetudinibus; privilegiis quo-
„ que indultis, & Literis Apoſtolicis in
„ contrarium præmiſſorum quomodoli-
„ bet conceſsis, confirmatis, & innova-
„ tis. Quibus omnibus, & ſingulis illo-
„ rum tenores præſentibus pro plene, &
„ ſufficienter expreſsis, ac de verbo ad
„ verbum inſertis habentes, illis alias in
„ ſuo robore permanſuris, ad præmiſſo-
„ rum effectum hac vice duntaxat ſpe-
„ cialiter, & expreſſe derogamus, cæte-
„ riſque contrariis quibuſcunque.

„ §.8. Volumus autem, ut earundē præ-
„ ſentium literarum tranſumtis, ſeu exem-
„ plis, etiam impreſsis, manu alicujus Nota-
„ rii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ
„ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ mu-
„ nitis, eadem prorſus fides ubique loco-
„ rum tam in judicio, quam extra illud
„ habeatur, quæ haberetur ipſis præſen-
„ tibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam
„ Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 31.
„ Julii MDCLXXIX. Pontificatus No-
„ ſtri Anno Tertio.

Annotandum eſt 1.° Omnes & ſingulas Confraternitates Sanctiſsimi Roſarii Beatæ Virginis Mariæ, tam in Ordinis Prædicatorum, quam in aliis Eccleſiis erectas uſque ad diem 15. Junii an. MDCLXXIX. de quarum canonica erectione ab initio non apparet, nec novas erectionum, & communicationum Indulgentiarum literas intra tempus a Conſtitutione Clementis VIII. incipientis: *Quæcunque* præfinitum obtinuerunt, validas eſſe juxta Breve Innocentii XI. cujus initium eſt: *Exponi Nobis* editum die & anno ut ſupra.

Annotandum eſt 2.° adeo accurate ſupra allatum Summarium fuiſſe confectum, ut licet quædam literæ originales Sixti IV. Clementis VII & Gregorii XIII. necnon Alexandri Epiſcopi Nuntii, & Raymundi Cardinalis Legati minime reperirentur; Innocentius tamen XI. de Conſilio S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis Præpoſitorum, eas omnes Indulgentias in prædictis literis contentas exprimi poſſe indulſerit, perinde ac earum conceſsiones fuiſſent exhibitæ: & inſuper ad majorem cautelam eas in perpetuum conceſſerit: ut habetur ex Brevi incipiente: *Exponi Nobis* edito die 16. Junii anno MDCLXXIX.

§. III.

Breve Clementis X. quo confirmantur omnes Indulgentiæ Ordinis & Confratrum Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ Commiſſæ Nobis divinitus diſpen-
„ ſationis ratio exigit, ut ſpiritua-
„ lium gratiarum conceſsiones, quæ ex
„ pia, prudentique hujus Sanctæ Sedis
„ liberalitate ad piorum operum incre-
„ mentum, & animarum ſalutem proceſ-
„ ſerunt, quo firmius ſubſiſtant, Apoſto-
„ lici muniminis præſidio conſtabiliamus,
„ illaſque etiam Apoſtolicæ benignitatis
„ charitate ampliemus: & alia deſuper
„ ſtatuamus, ſicuti ſpirituali Chriſtifide-
„ lium ædificationi cognoſcimus in Do-
„ mino profuturum.

„ §.1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fe-
„ cit dilectus Filius Matthæus Orlandus
„ Prior Generalis Ordinis Fratrum Bea-
„ tæ Mariæ Virginis de Monte Car-
„ melo, quod cum a diverſis Romanis
„ Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, ac
„ etiam a Nobis nonnullæ Indulgentiæ, &
„ peccatorum remiſſiones, ac pœnitentia-
„ rum relaxationes tam Chriſtifidelibus
„ Eccleſias dicti Ordinis viſitantibus, &
„ alia præſcripta pia opera peragentibus,
„ quam Confratribus, & Conſororibus
„ Confraternitatum Sancti Scapularis
„ ejuſ-

„ ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quas ubivis locorum extra hanc Almam Urbem erigendi, & inſtituendi, illiſque certas Indulgentias, & gratias ſpirituales (ſervata forma Conſtitutionis fel. record. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri ſuper Confraternitatum aggregationibus, & inſtitutionibus editæ) communicandi facultas Priori Generali dicti Ordinis, vel illo abſente, ejus Vicario Generali a rec. mem. Paulo Papa V. Prædeceſſore pariter noſtro attributa fuit, conceſſæ fuerint, ut omnis, quæ circa illas oriri poſſet, dubietas recideretur; ex literis Apoſtolicis deſuper emanatis fideliter excerptum fuit illarum Summarium a dilecto filio noſtro Joanne tituli Sancti Bernardi in Thermis S.R.E. Cardinale Bona nuncupato reviſum, tenoris qui ſequitur, videlicet.

Summarium Indulgentiarum a diverſis Summis Pontificibus conceſſarum Chriſtifidelibus viſitantibus Eccleſias Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

„ Felicis Recordationis Sixtus IV. in Bulla: *Dum attenta*, data Cal. Aprilis MCCCCLXXV. ad inſtantiam Fratris Chriſtophori Martignoni Prioris Generalis Ordinis Fratrum Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, omnes Indulgentias, & peccatorum remiſſiones a diverſis Romanis Pontificibus conceſſas viſitantibus Eccleſias dicti Ordinis, & in dicta Bulla recenſitas confirmavit, approbavit, & innovavit. Verum quia plures illarum elargitæ, & a dicto Sixto IV. confirmatæ erant ſub onere porrigendi manus adjutrices Fratribus, Monialibus, Eccleſiis, vel Domibus præfati Ordinis: & B. Pius V. per ſuam Conſtitutionem: *Et ſi Dominici gregis*, dat. 6. Idus Februarii MDLXVI. revocaverat omnes Indulgentias, pro quibus conſequendis manus adjutrices porrigendæ erant; fel. mem. Gregorius XIII. in literis Apoſtolicis: *Ut laudes*, datis 18. Septembris MDLXXVII. dictas Indulgentias in priſtinum, & eum, in quo erant ante dictam revocationem ſtatum reſtituit, & revalidavit, demta clauſula: *Porrigendi manus adjutrices, & elargiendi eleemoſynas*; ita tamen, quod hi Chriſtifideles, qui illas conſequi voluerint, Eccleſias viſitando ſint contriti, & confeſſi; & loco eleemoſynæ prædictæ ſepties Orationem Dominicam, itidemque Salutationem Angelicam recitent: vel habitum dicti Ordinis geſtent: vel veſperas pro defunctis recitent: aut ante Sanctiſſimum Domini Noſtri Jeſu Chriſti Corpus terram exoſculentur: ac pro hæreſum extirpatione, Sanctæque Matris Eccleſiæ tranquillitate, Chriſtianorumque Principum pace, & unione pias ad Deum preces effundant, & alias juxta Prædeceſſorum ſuorum literarum ſeriem orent, aliaque peragant.

Summarium autem Indulgentiarum conceſſarum eſt hujuſmodi in dictis literis.

„ Primo. Leo Papa IV. omnibus Chriſtifidelibus, qui Eccleſias Beatæ Mariæ de Monte Carmelo hujuſmodi in Feſtis Nativitatis Dominicæ, Paſchæ, Pentecoſtes, Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumtionis, Nativitatis Annunciationis, Purificationis Dei Genitricis Mariæ, S. Michaelis Archangeli, Omnium Sanctorum, in duobus Feſtis Sanctæ Crucis, Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Martyrum Fabiani, & Sebaſtiani, & in die Paraſceves & per Octavas præfatarum Feſtivitatum, & vocabulis omnium Eccleſiarum dicti Ordinis devote viſitaverint; ſeptem annos, & totidem quadragenas conceſſit.

„ Secundo. Et Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Joannes X. Joannes XI. Sergius IV. & Innocentius IV. omnibus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, contritis, & confeſſis, qui præfatas Eccleſias pie viſitaverint in præfatis Feſtivitatibus, & earum Octavis; tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt.

„ Tertio. Item Clemens III. Alexander II. Gregorius V. & VII. in præfatis Feſtis, & in quolibet eorun-

„ dem ſimilem gratiam largiti ſunt.

„ Quarto. Item Clemens IV. iiſdem „ Chriſtifidelibus, qui præfatas Eccleſias „ quater in anno viſitaverint: videlicet „ in quatuor Feſtivitatibus ejuſdem Dei „ Genitricis Mariæ; triginta annos, & „ totidem quadragenas pie conceſſit.

„ „ Quinto. Item in privilegio generali „ Lucii III. remittuntur ab eodem pec„ cata levia, offenſæ parentum, negli„ gentiæ votorum fractorum; dum ta„ men fractor ad vota rediret, & male „ acquiſita, ſi neſcitur cui reſtitui debeant, „ præfatis locis, ſeu illorum Domibus aſſi„ grentur.

„ Sexto. Demum Innocentius Quar„ tus, & Gregorius VIII. conceſſerunt „ qualibet die cuilibet dicenti *Pater No„ ſter*, *& Ave Maria* in dictis Eccleſiis „ ſemel pro vivis & defunctis, quadra„ ginta dies Indulgentiarum.

„ „ Septimo. Rurſus Honorius III. & „ Nicolaus IV. vere pœnitentibus om„ nium ſuorum peccatorum veniam pol„ liciti ſunt.

„ Octavo. Inſuper Honorius IV. om„ nibus vere pœnitentibus, & confeſſis, „ dicti Ordinis Eccleſias viſitantibus qua„ draginta annos, & totidem quadrage„ nas de injunctis eis pœnitentiis: videli„ cet in Feſto vocabulorum ipſarum Ec„ cleſiarum, & in die Sancto Paraſceves, „ necnon in die Sanctæ Crucis: ac in Fe„ ſtivitatibus Nativitatis, Annunciatio„ nis, Purificationis, & Aſſumtionis Dei „ Genitricis Mariæ; miſericorditer in Do„ mino relaxavit, & conceſſit.

„ Nono. Ulterius Benedictus XI. „ omnibus vere pœnitentibus, & confeſ„ ſis, qui ter in hebdomada: videlicet „ quadrageſimali tempore, ſecunda, „ quarta, & ſexta feriis, atque etiam in „ Feſtis vocabulorum Eccleſiarum dicti „ Ordinis, necnon in diebus Sabbatinis „ ob Beatæ Dei Genitricis reverentiam, „ & in diebus Dominicis eaſdem Eccle„ ſias pie viſitaverint; quadraginta annos, „ & totidem quadragenas, & omnium „ peccatorum ſeptimæ partis remiſſio„ nem in Domino relaxavit: omneſque „ Indulgentias, & peccatorum remiſſio„ nes a ſuis Prædeceſſoribus Romanis „ Pontificibus dicto Ordini conceſſas in „ diebus, & Feſtis prædictis duplicando.

„ Decimo. Item Joannes XXII. om„ nes Indulgentias, & peccatorum remiſ„ ſiones a Romanis Pontificibus Præde„ ceſſoribus ſuis dicto Ordini conceſſas „ confirmavit: ac quadraginta annos, & „ totidem quadragenas de injunctis pœ„ nitentiis univerſis Chriſtifidelibus dicti „ Ordinis Eccleſias in qualibet ſolemni„ tate quatuor Feſtivitatum Beatæ Dei „ Genitricis Mariæ: videlicet Nativita„ tis, Annunciationis, Purificationis, & „ Aſſumtionis viſitantibus, contritis, & „ confeſſis in Domino pie conceſſit. „ Idemque Joannes XXII. pro animabus, „ quæ in Purgatorio exiſtunt, & habitum „ hujus Religionis geſtarunt, vel eorum „ Confraternitatem ingreſſi fuerint, vel „ Confratrum numero adſcripti in hono„ rem ejuſdem Beatæ Mariæ Matris Dei, „ die Sabbati poſt earum tranſitum in„ terceſſionibus ejuſdem, continuis „ ipſius ſuffragiis, & meritis, ac ſpeciali „ protectione adjuvandis privilegium „ publicavit, corroboravit, & confirma„ vit.

„ Undecimo. Item Urbanus VI. per„ petuo conceſſit iis, qui Ordinem Car„ melitarum, & Fratres ejuſdem Ordinis, „ Ordinem, ſeu FratresGlorioſiſſimæ „ Dei Genitricis, ſemperque Virginis „ Mariæ de Monte Carmelo vocaverint, „ nominaverint, & appellaverint, ſi in „ gratia extiterint; tres annos, & totidem „ quadragenas Indulgentiarum.

„ „ Duodecimo. Nicolaus V. omnes In„ dulgentias, & peccatorum remiſſiones, „ ac omnia privilegia dicto Ordini con„ ceſſa a ſupradictis Romanis Pontifici„ bus Prædeceſſoribus ſuis in præfatis die„ bus, & feſtis, motu proprio duplican„ do confirmavit: atque annos ſeptem, „ & totidem quadragenas in Domino re„ laxavit.

„ Decimotertio. Sixtus IV. omnes In„ dulgentias Ordini prædicto, illius Do„ mibus, Eccleſiis, ac perſonis utriuſque „ ſexus in genere, vel in ſpecie quomo„ dolibet conceſſas, in ſuo robore, in „ ſuaque firmitate confirmavit, approba„ vit, & de novo conceſſit: & in Con„ ceptionis, Nativitatis, Præſentationis, „ Annunciationis, Viſitationis, Purifica„ tionis, & Aſſumtionis Beatæ Dei Ge„ nitricis Mariæ Feſtivitatibus, & per ſeptem

„ ſeptem dies ſequentes, & in diebus vocabulorum Eccleſiarum viſitantibus Eccleſias; triginta annos, & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavit.

„ Decimoquarto. Denique Clemens VII. poſt Joannem XXII. & Alexandrum V. eorum literas approbando, habitum Glorioſiſſimæ, & Beatiſsimæ Virginis Mariæ Matris Dei geſtantibus, ſeu Confraternitatem ingredientibus, & alia ſervantibus, ut in eiſdem literis continetur, Indulgentias, peccatorum remiſsiones, & gratias ſingulis utriuſque ſexus conceſſas perpetuæ firmitatis robur addidit, & innovavit: ipſiſque, & aliis participationem omnium bonorum ſpiritualium totius Ordinis Carmelitarum, & univerſalis Eccleſiæ conceſsit.

Aliæ Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Eccleſias Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum, extenſæ ad viſitantes quaslibet Eccleſias Ordinis a Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente X. per Breve. dat. 31. Octobris MDCLXX.

„ 1. Sixtus V. per literas datas 11. Julii MDLXXXV. conceſsit Chriſtifidelibus, qui in illorum Eccleſiis feriis quintis Miſſæ; centum: qui vero prædicationi, aut lectioni Verbi Dei interfuerint; alios centum: necnon qui ad orandum acceſſerint interim; quinquaginta dies. Qui denique confeſsi eo die ibi communicaverint; tres annos, & totidem quadragenas de injunctis, ſeu alias debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavit.

„ „ 2. Gregorius XV. per literas datas 19. Septembris MDCXXII. Indulgentiam Plenariam iis, qui confeſsi, & Sacra Communione refecti viſitaverint illorum Eccleſias in feſto S. Thereſiæ: & oraverint pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione.

„ „ 3. Urbanus VIII. per literas datas 10. Maii MDCXXIV. ſimilem Indulgentiam Plenariam illis, qui in Feſto S. Joſephi id præſtiterint: & ſimiliter iis, qui orationi quadraginta horarum de licentia Ordinariorum in Eccleſiis dictorum Fratrum, tantum ſemel in anno inſtituendæ, per aliquod ſpatium devote interfuerint, & ut præfertur, oraverint.

„ 4. Denique Sanctiſsimus Dominus Noſter Clemens X. per literas datas die 11. Auguſti MDCLXX. & 16. Maii MDCLXXII. Plenariam Indulgentiam in Feſtis Beatiſsimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Sanctorum Andreæ Corſini Epiſcopi, Angeli Martyris, Alberti Confeſſoris, & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, iis qui aliquam ex Eccleſiis dicti Ordinis viſitaverint, & oraverint ut ſupra.

Aliæ Indulgentiæ conceſſæ omnibus Chriſtifidelibus a præfato Sixto V. in ſupradictis literis.

„ Illis, qui hoc modo ſalutaverint alios, nempe ſuo vulgari, ſeu latino ſermone: *Laudetur Jeſus Chriſtus*: & his, qui ſic reſponderint: *In ſecula*, vel *Amen*, vel *ſemper*: utriſque tam ſalutantibus, quam reſpondentibus quinquaginta dies, ubicunque id factum fuerit: qui Nomen Jeſu ore nominaverint reverenter, vel Nomen Mariæ; vigintiquinque dies. Qui vero in articulo mortis ore, vel corde, ſi ore non potuerint, idem Nomen invocaverint, dummodo ante habuerint conſuetudinem ſic ſalutandi, vel nominandi idem Nomen Jeſu; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam. Qui Litaniis ejuſdem Sanctiſsimi Nominis approbatas recitaverint; trecentos: qui Litanias ejuſdem Beatiſsimæ Virginis Mariæ; ducentos: necnon Prædicatoribus Verbi Dei, qui inter prædicandum, ad hunc modum ſalutandi, invocandi, vel recitandi, ſeu nominandi Nomen Jeſu, & Mariæ auditores monuerint: & quicunque hanc ſalutationis formam uſui eſſe curaverint; eaſdem Indulgentias conceſsit.

Summarium Indulgentiarum a fel.mem. Paulo V. per literas in forma Brevis datas 30. Octobris MDCVI. 31. Auguſti MDCIX. & 19. Julii MDCXIV. conceſſarum Confraternitati S. Scapularis, ſeu Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

„ PRimo. Conceſſit omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui Confraternitatem S. Scapularis ubivis locorum tam hactenus canonice inſtitutam, quam deinceps inſtituendam de cætero ingredientur, & habitum acceperint, die primo eorum ingreſſus, ſi vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, Indulgentiam Plenariam.

„ Secundo. Deſcriptis, & deſcribendis in dicta Confraternitate vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in feſto principali Commemorationis ejuſdem Beatæ Virginis Mariæ die 16. Menſis Julii, aut juxta ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediate ſequenti celebrari ſolito, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint: ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Plenariam.

„ Tertio. Qui in articulo mortis pœnitentes, & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti Nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin autem corde devote invocaverint; Plenariam.

„ Quarto. Qui pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti Proceſſioni in una Dominica cujuslibet menſis per dictam Confraternitatem de Ordinarii loci licentia faciendæ devote interfuerint, & ibi, ut præfertur, oraverint; Plenariam.

„ Quinto. Qui ab eſu carnium iis diebus, quibus Confratres dictæ Confraternitatis ex illius inſtituto veſci non ſolent, abſtinebunt; tercentum dies.

„ Sexto. Qui qualibet die ſepties Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ad honorem ſeptem gaudiorum ejuſdem Virginis Mariæ recitaverint; quadraginta dies.

„ Septimo. Qui cum habitu ejuſdem Confraternitatis pœnitentes, & confeſſi ſemel in menſe Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, & ut præfertur, oraverint; quinque annos, & totidem quadragenas.

„ Octavo. Qui pœnitentes, & confeſſi in qualibet ex Feſtivitatibus ejuſdem Beatæ Virginis Mariæ Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſia, vel Cappella dictæ Confraternitatis devote ſumſerint, & ut ſupra dictum eſt, oraverint; tres annos, & totidem quadragenas.

„ Nono. Qui cum lumine Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, & pro iiſdem infirmis pias ad Deum preces effuderint; quinque annos, & totidem quadragenas.

„ Decimo. Qui corpora defunctorum quorumcunque ad Sepulturam aſſociaverint, & pro eorum animabus ad Deum oraverint; centum dies.

„ Undecimo. Qui Officium Beatæ Mariæ Virginis devote recitaverint; centum dies.

„ Duodecimo. Qui Miſſis, & aliis divinis Officiis in Eccleſia, ſeu Cappella, aut Oratorio Confraternitatis pro tempore celebrandis, & recitandis, ſive Congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint: aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, aut eis in eorum neceſſitatibus, vel in periculo peccandi exiſtentibus auxiliati fuerint, aut eleemoſynas temporales, vel ſpirituales eis dederint: vel pacem cum inimicis propriis, vel alienis compoſuerint, ſeu componi fecerint: aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes Dei præcepta, & ea quæ ad ſalutem ſunt, docuerint: aut quodcunque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint; toties pro quolibet prædictorum piorum operum, centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta conceſſit, & relaxavit.

„ Decimotertio. Inſuper conceſſit Priori Generali Ordinis, vel illo abſente, ejus Vicario Generali, ut huiuſmodi Confraternitatem Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo

„ ubi-

„ ubivis locorum extra Urbem erigere, „ & inſtituere: illiſque ſupradictas Indulgentias & gratias ſpirituales (ſervata „ forma præſcripta in Conſtitutione fel. „ record. Clementis VIII. ſuper Confraternitatum aggregationibus, & inſtitutionibus editæ) communicare poſſit.

„ Decimoquarto. Denique Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens X. per literas ſuas in forma Brevis datas die 2. Januarii MDCLXXII. indulſit, ut omnes ſupradictæ Indulgentiæ, peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes per fel. mem. Paulum V. conceſſæ, animabus Chriſtifidelibus per modum ſuffragii applicari poſſint. *Hoc Summarium fideliter excerptum eſt ex Bullis, & Brevibus citatis*. J. Cardinalis Bona.

„ §. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præfatus Matthæus Prior Generalis Summarium hujuſmodi Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, nonnullaque dubia præmiſſorum occaſione emergentia diſſolvi plurimum deſideret; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut opportune in præmiſſis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

„ §. 3. Nos igitur ipſius Matthæi Prioris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes; eumque a quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Summarium præinſertum, omniaque & ſingula in eo contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.

„ §. 4. Præterea ut Confratres, & Conſorores dictarum Confraternitatum S. Scapularis tam hactenus erectarum, quam in futurum erigendarum, qui Proceſſioni in una Dominica cujuslibet menſis ab ipſis fieri ſolitæ commode intereſſe non potuerint, ſi vere pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti Cappellas ſuarum reſpective Confraternitatum devote viſitaverint: & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; eandem Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam Paulus V. Prædeceſſor illis, qui Proceſſioni hujuſmodi interſunt, conceſſit, pariformiter conſequantur.

„ §. 5. Et ſimiliter infirmi, captivi, & peregrinantes, qui Cappellas hujuſmodi dicta Dominica viſitare nequiverint, ſi Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis, aut quinquagies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitaverint, & ſaltem contriti fuerint cum propoſito confitendi, & ſacram Communionem recipiendi quamprimum potuerint; quod adimplere omnino teneantur.

„ §. 6. Fratres quoque, & Moniales Ordinis præfati commorantes in Conventibus, in quibus non eſt erecta Confraternitas Sancti Scapularis, vel non fit Proceſſio hujuſmodi, ſi Litanias omnium Sanctorum in Choro, vel privatim, ſi legitime impediti non potuerint intereſſe Choro, devote recitaverint: cæteraque in literis præfati Pauli Prædeceſſoris præſcripta adimpleverint; præfatam Plenariam Indulgentiam, & peccatorum remiſſionem etiam conſequantur, authoritate, & tenore præfatis concedimus, & Indulgemus.

„ §. 7. Porro Feſtum principale Confraternitatum S. Scapularis hujuſmodi juxta indultum ab eodem Paulo Prædeceſſore conceſſum, die 16. menſis Julii, vel Dominica immediate ſequenti quotannis celebrari ſolitum, ob majorem devotionem, vel commoditatem Chriſtifidelium, aut quando eadem die occurret alia ſolemnitas, in aliam Dominicam ejuſdem menſis transferri permittimus.

„ §. 8. Soli autem Superiores Generales dicti Ordinis poſſint extra Urbem præfatam in ſingulis Eccleſiis ejuſdem Ordinis, & in quibuſcunque aliis, accedente conſenſu Ordinariorum, Confraternitates præfatas (ſervata cæteroquin præfatarum Pauli Prædeceſſoris literarum forma, & diſpoſitione) in-

„ ſti-

„ ſtituere; & nullus alius ſub pœna nulli-
„ tatis.

„ §. 9. Inſuper ad augendam fidelium „ Religionem,& animarum ſalutem cœ- „ leſtibus Eccleſiæ Theſauris pia charita- „ te intenti, omnibus & ſingulis utriuſ- „ que ſexus Chriſtifidelibus vere pœni- „ tentibus, & confeſſis, ac ſacra Com- „ munione refectis, qui aliquam ex Ec- „ cleſiis dicti Ordinis in Conceptionis, „ Nativitatis, Præſentationis, Annuncia- „ tionis, Viſitationis, Purificationis, & „ Aſſumtionis ejuſdem Beatæ Mariæ Vir- „ ginis Immaculatæ Feſtis diebus devote „ viſitaverint: & ibi pro Chriſtianorum „ Principum concordia, hæreſum extir- „ patione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ „ exaltatione pias ad Deum preces effu- „ derint,quo die prædictorum id egerint; „ Plenariam omnium peccatorum ſuo- „ rum Indulgentiam, & remiſſionem mi- „ ſericorditer in Domino concedimus.

„ §. 10. Illis autem, qui ad Antipho- „ nam *Salve Regina*, quæ quotidie poſt „ Completorium in eiſdem Eccleſiis ſo- „ lemniter decantatur, convenient, & ut „ præfertur, orabunt; centum dies de „ injunctis eis,ſeu alias quomodolibet de- „ bitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ „ conſueta relaxamus.

„ §. 11. Poſtremo. Illis, qui aliquam „ ex Eccleſiis ejuſdem Ordinis in diebus „ Stationum Eccleſiarum Urbis præfatæ, „ prout in Miſſali Romano exprimuntur, „ devote pariter viſitaverint, & ibidem „ prout præmittitur, oraverint; ut eas „ omnes & ſingulas Indulgentias, ac pec- „ catorum remiſſiones, ac pœnitentia- „ rum relaxationes conſequantur, quas „ conſequerentur, ſi eaſdem Urbis Ec- „ cleſias in diebus Stationum hujuſmodi „ perſonaliter, & devote viſitarent; di- „ cta auctoritate, harum ſerie concedi- „ mus ſimiliter & indulgemus.

„ §. 12. Decernentes, eaſdem præſen- „ tes literas ſemper firmas, validas, & „ & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque „ plenarios, & integros effectus ſortiri, „ & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, „ & pro tempore quandocunque ſpecta- „ bit, in omnibus & per omnia pleniſſi- „ me ſuffragari, & ab eis reſpective in- „ violabiliter obſervari: ſicque in præ- „ miſſis per quoſcunque Judices ordina- „ rios, & delegatos, etiam Cauſarum „ Palatii Apoſtolici Auditores judicari, „ & definiri debere: ac irritum & inane, „ ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis au- „ ctoritate ſcienter vel ignoranter conti- „ gerit attentari. Non obſtantibus no- „ ſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula „ de non concedendis Indulgentiis ad in- „ ſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & „ Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque „ contrariis quibuſcunque.

„ §. 13. Volumus autem, ut earundem „ præſentium literarum tranſumptis, ſeu „ exemplis etiam impreſſis, manu alicu- „ jus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigil- „ lo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica „ conſtitutæ munitis,eadem prorſus fides „ ubique habeatur, quæ haberetur ipſis „ præſentibus, ſi forent exhibitæ vel „ oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam „ Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 8. „ Maii MDCLXXIII. Pontificatus noſtri „ anno tertio.

Annotandum eſt 1.° Erectionem Confraternitatum *Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo* ſpectare tum ad Generalem Ordinis Carmelitarum Calceatorum, tum ad Præpoſitos Generales Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hiſpaniæ & Italiæ; imo (ut habetur ex Brevi Pauli V. incipiente: *Cum certas* edito die 24. Novembris MDCVI.) etiam ad Vicarium Generalem Calceatorum Congregationis Mantuanæ. Verum cum poſt editam Conſtitutionem Clementis VIII. cujus initium eſt: *Quæcunque*, una duntaxat Confraternitas ejuſdem inſtituti in Civitatibus,Oppidis & locis poſſit erigi: ne inter Priorem Generalem Carmelitarum Calceatorum,& Præpoſitos Generales Excalceatorum oriretur diſcordia: volentibus Calceatis,qui pluribus in locis olim dictam Confraternitatem erexerunt, ne Diſcalceati in eiſdem nova Monaſteria fundantes Beatæ Mariæ Virginis Scapulare Fidelibus pie petentibus concederent, uti conſueverunt: & e contra Diſcalceatis, in locis ubi ipſi priuſquam Calceati Monaſteria erexerunt, idem contendentibus; ideo prædicti Superiores Generales, ſub una Beatæ Virginis tutela militantes, ut charitas mutua ſine ullius offenſione foveretur, convenerunt die 24. Auguſti anno

no MDCXVI. his propoſitis mediis. 1.° *Ut ubi Patres Carmelitani erectam jam habent Confraternitatem, poſſint Diſcalceati Sanctum Scapulare petentibus concedere, ſodaleſque ita admittere, ut eo ipſo Confraternitati Patrum Carmelitarum adſcripti cenſeantur, & ſint: & eaſdem Indulgentias, privilegia facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta conſequantur.* 2.° *Et eodem modo, ſi alicubi Patres Diſcalceati Confraternitatem prius erexerint, poſſint Patres Carmelitani Sanctum Scapulare ita petentes induere, ut in Diſcalceatorum Confraternitatem eo ipſo adſcripti cenſeantur & ſint: & eaſdem Indulgentias, privilegia, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta conſequantur modo quo ſupra.* 3.° *Item quoad Proceſſiones tam præcipuam menſis Julii ad Sanctiſſimæ Virginis Commemorationem Solemnem fieri ſolitam, quam alias, quæ in aliqua Dominica ſingulorum menſium ſiunt (quibus aſſiſtentibus Confratribus & Conſororibus Plenaria Indulgentia per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Paulum Papam V. ſub die 3. Auguſti anno MDCIX. in perpetuum conceſſa eſt: & poſtea ab eodem ſub die 19. Julii anno MDCXIV. ad omnes inpoſterum erigendas in quavis Mandi parte Confraternitates extenſa) ita pariter conveniunt, & paciſcuntur: ut ubi Confraternitates in Domibus Patrum Diſcalceatorum fuerint erectæ, nolintque ipſi dictam Proceſſionem, ſeu Proceſſiones facere, poſſint Patres Carmelitani eam, vel eas celebrare: illique, vel illis aſſiſtentes Confratres lucrentur Indulgentiam, ac ſi in eorum Domo eſſet Confraternitas. Et e converſo, ſi in Domibus Patrum Carmelitarum fuerit erecta Confraternitas, nolintque ipſi Proceſſionem celebrare, poſſint Patres Diſcalceati eam facere: Confratreſque aſſiſtentes conſequantur Indulgentiam prædictam: quia ſic inter eos actum &c.* = Quæ Conventio confirmata fuit a Paulo V. Brevi incipiente: *Ad ea*, die 24. Aprilis anno MDCXVII.

Annotandum eſt 2.° Confraternitates *B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo* tam citra quam ultra Montes conſiſtentes erectas, ſeu introductas ad inſtar ſimilium Confraternitatum ſub eodem titulo canonice inſtitutarum (tametſi de earum canonica erectione, ſeu inſtitutione, poſt emanatam ſupradictam Conſtitutionem Clementis VIII. non conſtaret) confirmaſſe Paulum V. eaſque in ſtatu valido eſſe & fore decreviſſe, & declaraſſe Brevi cujus initium eſt: *Exponi Nobis* edito die 26. Septembris anno MDCXIV.

Annotandum eſt 3.° Confratres & Conſorores *B. V. M. de Monte Carmela* duplicem Indulgentiam a Paulo Quinto pro Proceſſionibus obtinuiſſe, primam partialem ſeptem annorum, & totidem quadragenarum Brevi: *Cum certas*, edito die 30. Octobris anno MDCVI. alteram Plenariam Brevi incipiente: *Piorum hominum Confraternitates*, edito die 3. Auguſti anno MDCIX. & alio incipiente: *Alias volentes*, edito die 19. Junii anno MDCXIV. Cæterum in Civitatibus & locis, ubi ejuſmodi Proceſſiones ex certis cauſis fieri nequeunt, licet Confratres & Conſorores hanc Indulgentiam Plenariam non acquirant, poſſunt tamen viſitantes Eccleſias, in quibus Confraternitates erectæ reperiuntur, præmiſſa Sacramentali Confeſſione & Communione, partialem a memorato Paulo V. conceſſam lucrari, ac ſi dictis Proceſſionibus intereſſent: ut habetur ex Brevi Clementis XI. incipiente: *Exponi Nobis* edito die 10. Aprilis Anno MDCCXIII.

Annotandum eſt 4.° quod cum magna fuiſſet excitata controverſia in Luſitania ſuper privilegio B.M.V. pro animabus tum Carmelitarum tum eorum Confratrum in Purgatorio exiſtentium, de quo fit mentio in ſummario; cauſa fuit delata ad S.Supr. & Univerſ. Inquiſ. a qua prodiit die 13. Febr. anno MDCXIII. ſequens Decretum = *Patribus Carmelitanis permittatur prædicare, quod populus Chriſtianus poſſit pie credere de adjutorio animarum Fratrum, & Confratrum Sodalitatis B. V. Mariæ de Monte Carmelo: videlicet Beatiſſimam Virginem animas Fratrum & Confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum geſtaverint, & caſtitatem pro ſuo ſtatu coluerint: officiumque parvum recitaverint, vel ſi recitare neſciverint, Eccleſiæ jejunia obſervaverint, & feria quarta & Sab-*

& Sabbato a carnibus abſtinuerint (niſi ubi in iis diebus Nativitatis Domini feſtum inciderit) ſuis interceſſionibus continuis, ſuiſque ſuffragiis & meritis, ac ſpeciali protectione poſt eorum tranſitum: præcipue in die Sabbati, qui dies ab Eccleſia eidem Beatiſſimæ Virgini dicatus eſt, adjuturam &c.

§. IV.

Breve Clementis X. quo confirmantur, & noviter conceduntur Indulgentiæ Confraternitatum Cincturatorum SS. Auguſtini, & Monicæ ſub invocatione B. Virginis Mariæ de Conſolatione.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam Rei Memoriam.

„ EX Injuncto Nobis cœlitus Apo-
„ ſtolicæ ſervitutis munere ſpiri-
„ tualium gratiarum conceſſiones ex pia,
„ prudentique hujus Sanctæ Sedis diſ-
„ penſatione provide emanatas, quibus
„ Chriſtifidelium devotio ad pietatis
„ opera incitatur, & confovetur, Apo-
„ ſtolici muniminis præſidio libenter
„ conſtabilimus, & alias deſuper ſtatui-
„ mus, ſicut matura deliberatione præ-
„ via ad Omnipotentis Dei Gloriam, &
„ animarum Salutem expedire in Domi-
„ no arbitramur.
„ §. 1. Dudum ſiquidem fel.rec.Grego-
„ rius PP.XV. Prædeceſſor noſter omnia,
„ & ſingula privilegia, Indulgentias,
„ prærogativas, facultates, gratias, &
„ indulta quæcunque Archiconfraternita-
„ ti Cincturatorum, & Cincturatarum
„ nuncupatæ S. Auguſtini, & Sanctæ Mo-
„ nicæ ſub Invocatione B. Virginis Ma-
„ riæ de Conſolatione nuncupatæ, in Ec-
„ cleſia S. Jacobi Bononien. canonice in-
„ ſtitutæ, ſive aliis quoruncunque loco-
„ rum Confraternitatibus ei debite an-
„ nexis, & illius, ſive illarum utriuſque
„ ſexus Confratribus Cincturatis pro tem-
„ pore exiſtentibus, tam per rec. mem.
„ Gregorium XIII. & Gregorium XIV.,
„ quam quoſcunque alios Romanos Pon-
„ tifices Prædeceſſores pariter noſtros
„ quandocunque, & quomodocunque,
„ etiam per viam, & modum extenſio-
„ nis, ampliationis, & communicatio-
„ nis, ac alias ſub quibuſcunque tenori-
„ bus, & formis, ac cum quibuſvis Clau-
„ ſulis, & Decretis eatenus quomodoli-
„ bet conceſſa, & aliquando revocata:
„ ac ſub quibuſvis revocationibus, ſuſ-
„ penſionibus, reſtrictionibus, & modi-
„ ficationibus Auctoritate Apoſtolica,
„ etiam quandocunque, & qualitercun-
„ que factis comprehenſa; Decretis ta-
„ men Concilii Tridentini non repu-
„ gnantia: necnon literas deſuper ema-
„ natas eadem Auctoritate perpetuo ap-
„ probavit, & confirmavit, ac innovavit,
„ eiſque perpetuæ, & inviolabilis Apo-
„ ſtolicæ firmitatis robur adjecit; & ni-
„ hilominus pro potiori cautela, illa om-
„ nia cum eorum extenſionibus, amplia-
„ tionibus, & communicationibus prædi-
„ ctis de novo, etiam perpetuo conceſſit,
„ & alias: prout in ipſius Gregorii XV.
„ Prædeceſſoris deſuper ſub Plumbo
„ Anno Incarnat. Dominicæ MDCXXI.
„ tertio nonas Junii expeditis, quarum
„ tenorem præſentibus pro plene, &
„ ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi
„ volumus, uberius continetur.
„ §. 2. Cum autem, ſicut Venerabilis Fra-
„ ter. Joſephus Euſanius Epiſcopus Por-
„ phyrien. Sacrarii noſtri Apoſtolici Præ-
„ fectus Nobis nuper exponi fecit, ſu-
„ binde Congregatio tunc exiſtentium
„ S.R.E. Cardinalium negotiis, & con-
„ ſultationibus Epiſcoporum, & Regu-
„ larium præpoſita, quaſdam Literas
„ die 23. Martii MDCXXIX. ad tunc
„ exiſtentem Priorem Generalem Ordi-
„ nis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini
„ dederit: quibus Indulgentiæ Archicon-
„ fraternitati, eique aggregatis Confra-
„ ternitatibus prædictis a Romanis Pontifi-
„ cibus conceſſæ (quippe quæ a piæ mem.
„ Papa Paulo V. etiam Prædeceſſore no-
„ ſtro per ſuas Literas, quarum initium:
„ *Cum certas* &c. die 11. Octobr. MDCVI.
„ editas, revocatæ fuerant, tametſi a me-
„ morato Gregorio XV. Prædeceſſore
„ per ſuas Literas præfatas innovatæ fuiſ-
„ ſent) rejici poſſe videbantur. Verum
„ Congregatio Venerabilium Fratrum
„ no-

„ noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita, re diligentius examinata, cenſuerit, nihil obſtare, quominus Archiconfraternitatis, & Confraternitatum hujuſmodi Confratres omnibus, & ſingulis Indulgentiis per eaſdem Gregorii XV. Prædeceſſoris Literas confirmatis, & innovatis uti, & frui poſſent, ac deberent, & alias prout in ipſius Congregationis Decreto deſuper 17. Aprilis MDCLXXIII. emanato, etiam continetur. Quia vero in dictis Gregorii Prædeceſſoris Literis ſpecifice non exprimuntur Indulgentiæ a prædictis Romanis Pontificibus conceſſæ; ideo ab eadem Congregatione Cardinalium delecti fuerint quidam ex Conſultoribus illius: nempe dictus Joſephus Epiſcopus, ac dilectus filius Julius Maria de Blanchis Ordinis Prædicatorum profeſſor, in Sacra Theologia Magiſter: qui ſingulas Indulgentias hujuſmodi ex authenticis colligerent Documentis ad hoc, ut poſſent poſtmodum ad formam Conſtitutionis ſimilis rec. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris pariter Noſtri, quæ incipit: *Quæcunque &c.* & Decreti ejuſdem Congregationis die 16. Martii dicti anni MDCLXXI. editi, nominatim, & in ſpecie communicari. Ipſis autem Conſultoribus ſic delectis, de nonnullis Indulgentiarum capitibus non conſentientibus, viſum fuerit eidem Cardinalium Congregationi, quicquid in controverſiam veniret, bon. mem. Joanni, dum vixit, S. R. E. præfatæ Præsbytero Cardinali Bonæ nuncupato, definiendum proponi; & poſt habitam inter eoſdem Conſultores collationem, iterumque examinata capita illa, conſentientibus in cunctis Conſultoribus prædictis; reque omni per præfatum Joannem Cardinalem expenſa, & probata, confectum fuerit Summarium Indulgentiarum hujuſmodi ex Originalibus Romanorum Pontificum Literis, aliiſque authenticis Documentis excerptum, tenoris qui ſequitur, videlicet.

SUMMARIUM.

Indulgentiarum Archiconfaternitatis Cincturatorum Sancti Auguſtini, & Sanctæ Monicæ ſub Invocatione B. Virginis Mariæ de Conſolatione, erectæ Bononiæ in Eccleſia S. Jacobi, & Confraternitatum eidem aggregatarum.

„ PRæmittendum primo, Confratres Cincturatos utriuſque ſexus uti, frui, & gaudere Indulgentiis, & gratiis ſpiritualibus toti Ordini Eremitarum Sancti Auguſtini conceſſis ex Gregorio XIII. in Brevi: *Ad Augendam*, die 16. Decembris MDLXXVIII. anno ſeptimo Pontificatus. Et in alio ejuſdem Pontificis: *Cum ſicut &c.* die 15. Decembris MDLXXIX. his verbis: Confratres utriuſque Sexus Confraternitatum Corrigiatorum nuncupatarum Sancti Auguſtini, ut frui, & gaudere poſſint Indulgentiis, & participes fieri omnium gratiarum ſpiritualium Ordini ipſius Sancti Auguſtini conceſſarum, omniumque bonorum, quæ in dicto Ordine pro tempore fient; inter alia teneantur quotidie recitare tredecim *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria*, & unum *Salve Regina* pro ſalute Romani Pontificis, & felici Statu Sanctæ Matris Eccleſiæ: & ſi ipſum *Salve Regina* dicere ignoraverint, loco *Salve Regina* quinque *Ave Maria* devote recitando, eaſdem Indulgentias, & gratias ſpirituales conſequantur, quas conſequerentur, ſi ipſum *Salve Regina* recitarent.

„ „ Secundo. Præmittendum eſt, quod Leo X. *Solet annuere* 7. Calend. Auguſti MDXIII. anno primo, ſingula privilegia, immunitates, exemtiones, conceſſiones, Indulgentias, & peccatorum Plenarias remiſſiones, & indulta quæcunque quibuſvis domibus, & Congregationibus, aut aliis locis, & illorum Perſonis dicti Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini olim in genere, vel in ſpecie conceſſa, ac inpoſterum concedenda ad ipſum Ordinem Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, & „ illius

„ illius Perſonas , ac ſi illis ſpecialiter
„ conceſſa fuiſſent , extendit , & commu-
„ nicat , ut eis gaudeant , & utantur , ac
„ ſi eis , & ſingulis eorum Domibus , &
„ Perſonis in ſpecie conceſſa fuiſſent .
„ Hoc idem antea in ſimili forma conceſ-
„ ſerat Julius II. *Dum fructus uberes*
„ 7.Cal.Julii MDVII. ann.quarto.Et Ale-
„ xander IV., licet non tam generaliter
„ in Bulla : *Ut eo libentius* 13. Cal. Au-
„ guſti anno primo . Necnon in alia : *Ob-*
„ *[illegible]ta Nobis* 12. Cal. Maii anno tertio .
„ Quæ fuerant innovatæ per Martinum V.
„ *Sinceræ* 4. Cal. Maii anno ſexto . Et
„ per Sixtum IV. *Dum fructus uberes* .
„ MCCCCLXXIV. 7. Idus Februarii
„ anno quarto in Mari Magno . Denique
„ Idem Sixtus IV. in Bulla : *Inter præ-*
„ *cipuas* MCCCCLXXII. 10. Cal. Ja-
„ nuarii anno ſecundo Congregationi
„ Lombardiæ præfati Ordinis , ejuſque
„ profeſſoribus , domibus , & locis uni-
„ verſis concedit , & pariter indulget :
„ quod ipſi omnibus , & ſingulis privile-
„ giis , exemtionibus , libertatibus , im-
„ munitatibus , indultis , Indulgentiis , &
„ gratiis Eccleſiæ & domui de Populo,
„ earumque Perſonis per Sedem Apoſto-
„ licam hactenus conceſſis , in omnibus
„ & per omnia uti valeant , & gaudere .

„ Tertio . Præmittendum eſt , quod
„ Gregor.XIII. in Brevi: *Ad Augendam*
„ ut ſupra , cum inter gratias ſpiritua-
„ les dictæ Confraternitati tam in parti-
„ culari conceſſas , quam forſan per parti-
„ cipationem Indulgentiarum Ordinis
„ Eremitarum S. Auguſtini , vel cujuſvis
„ alterius Religionis communicatas, non-
„ nullæ reperiantur cum clauſula manus
„ adjutrices porrigendi , quæ quidem per
„ Sedem Apoſtolicam fuerunt revocatæ ;
„ vult , & decernit , quod eædemmet In-
„ dulgentiæ , & ſpirituales gratiæ dictis
„ Confratribus ſuffragentur æque , ac ſi in
„ illis dicta clauſula non adeſſet : quam
„ penitus abrogat ; dummodo loco por-
„ rigendi manus adjutrices , quinque vi-
„ cibus Orationem Dominicam , & toti-
„ dem Salutationem Angelicam pro San-
„ ctæ Matris Eccleſiæ exaltatione , ac hæ-
„ reſum extirpatione recitent .

„ Ultimo . Præmittendum eſt , quod
„ Julius II. *Nihil eſt* die 24. Septem-
„ bris MDVIII. Pontificatus anno quin-
„ to , ut omnia quam firmiſſima ſint, quæ
„ Ordini prædicto Apoſtolica Sedes elar-
„ gita eſt , proprio & motu , & ſcientia ,
„ atque de plenitudine poteſtatis vult ,
„ ſtatuit, & decernit : ut quæcunque con-
„ ceſſio Ordini præfato facta , ſive per ſe,
„ ſive per communionem , quam fecit
„ cum aliis Ordinibus , & Congregationi-
„ bus, eandem omnino vim , atque effi-
„ caciam perpetuo habeant , tam in Ju-
„ dicio , quam extra Judicium , ac ſi
„ plumbeo ſigillo obſignatæ eſſent : quod
„ intelligi vult tam de his , quæ in for-
„ ma Brevis , quam de his , quæ per ſup-
„ plicationes expeditæ ſunt , in quibus
„ placuit , ut ſola Signatura ſufficeret .
„ Quamobrem quæcunque fuerunt eidem
„ Ordini utcunque conceſſa , ſive ipſa
„ exemplaria , ſive eorum tranſumpta
„ oſtendantur Prælati alicujus , aut publi-
„ ci Notarii manu ſignata , aut etiam Ge-
„ neralis Ordinis ſigillo firmata, eodem
„ motu , ſcientia , & poteſtate decernit ,
„ mandatque eandem omnino , & vim eſ-
„ ſe , & fidem adhiberi , ac ſi plumbi ſi-
„ gnum haberent . Idem habet Leo X.
„ *Licet ſponte* die 6. Maii MDXIV.
„ Pontificatus anno ſecundo .

INDULGENTIÆ AUTEM PRÆDICTIS CONFRATRIBUS , SEU CONSORORIBUS CONCESSÆ , SUNT SEQUENTES .

„ IN feſtis Domini , & Primo . In Na-
„ tivitate Domini Noſtri JESU
„ Chriſti , Collegium 24. Cardinalium
„ in literis ſub dat. Romæ anno MCCCC
„ XCVIII. die 28. Maii ſub Alexan-
„ dro VI. anno ſexto videlicet : Quili-
„ bet ipſorum per ſe præfatis utriuſque
„ ſexus Confratribus vere pœnitententi-
„ bus , & confeſſis , qui Cappellam Con-
„ fraternitatis a primis uſque ad ſecundas
„ veſperas incluſive devote viſitaverint ,
„ & manus porrexerint adjutrices (*ex*
„ *Indulto Gregorii XIII. ut ſupra quin-*
„ *quies Orationem Dominicam , & to-*
„ *ties Salutationem Angelicam recita-*
„ *verint*) annuatim pro die prædicto,
„ quo id fecerint , centum dies de injun-
„ ctis eis pœnitentiis miſericorditer in
„ Domino relaxat. Quod ex Conſtitutione
„ Sixti IV. *Inter Præcipuas* confirmatur.
„ Se-

„ Secundo. In Feſtivitate Sancti Spiritus, & uſque ad octavam ipſius, eiſdem ut ſupra Confratribus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Ordinis Eccleſiam, & Cappellam, vel Altare Confraternitatis annis ſingulis venerabiliter viſitaverint; unus annus, & quadraginta dies de injuncta pœnitentia misericorditer relaxantur. Alexander IV. *Sanctorum meritis* 3. Idus Februarii Pontificatus anno tertio.

„ Tertio. In feſtis Nativitatis Chriſti, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Pentecoſtes ac per Octavas eorum, & in feſto Circumciſionis prædictis Confratribus vere pœnitentibus, & confeſſis, atque manus porrigentibus adjutrices (*ex Indulto Gregori XIII. quinquies, ut ſupra*) necnon Eccleſias Ordinis, & Altare, vel Cappellam Confraternitatis annuatim devote viſitantibus mille anni, & totidem quadragenæ miſericorditer relaxantur. Innocentius IV. *Quoniam* 6. ctal. Maii Pontificatus anno primo.

„ Quarto. In omnibus Feſtivitatibus Domini Noſtri JESU Chriſti, & per octavas ipſarum præfatis Confratribus vere pœnitentibus, & confeſſis, venientibus ad Eccleſias Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, & Altare, vel Cappellam Confraternitatis ut ſupra viſitantibus ſeptuaginta anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ: eiſdemque pariter viſitantibus, ut ſupra, in omnibus prædictis feſtis Domini, dando aliquid in adjutorium pro fabrica dictarum Eccleſiarum, ſive Oratorii, vel Cappellæ Confraternitatis (*ex Indulto Gregorii XIII. quinquies ut ſupra*) per quamlibet illarum feſtivitatum centum anni, & centum quadragenæ Indulgentiæ ſuorum peccatorum conceduntur. Gregorius IX. *Ex Tranſumpto Oſcenſi* die 10. Januarii MDCLXXIV.

„ In feſtis B. Mariæ Virginis, & Primo. In feſtivitate Nativitatis ejuſdem Virginis Mariæ Confratribus prædictis vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Ordinis Eccleſiam, & Altare, vel Cappellam Confraternitatis a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas devote viſitaverint annuatim, & manus porrexerint adjutrices (*ex Indulto Gregorii XIII. quinquies* &c.) illa Indulgentia, & remiſſio peccatorum conceditur, quam Eccleſiam Beatæ Mariæ in Portiuncula, dictam de Angelis, extra muros Aſſiſinaten. primo (hoc eſt a veſperis primis ejuſdem diei) & ſecundo diebus menſis Auguſti annuatim viſitantes quomodolibet conſequuntur. Boniſac. IX. *Dum Præcelſa* 3. Cal. Septembr. anno undecimo. Eodemque die prædicti Confratres vere pœnitentes, & confeſſi, ſeu ſtatutis a jure temporibus firmum confitendi propoſitum habentes, qui Ordinis Eccleſiam, & Altare, ſive Cappellam Confraternitatis a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas diei hujuſmodi devote viſitaverint: & inibi pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, & hæreſum extirpatione, necnon pace inter Principes Chriaſtianos conſervanda ad Deum preces effuderint; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem conſequuntur. Pius IV. *Salvatoris* Anno Incarnationis Dominicæ MDLXIII. 10. Cal. Martii anno quinto. Eadem pariter die Gregorius XIII. *Reddituri* ut ſupra, iiſdem vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam Ordinis, ac Confraternitatis Altare a primis veſperis uſque ad occaſum Solis devote viſitaverint: & pias inibi preces ad Deum pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, Infidelium converſione, & hæreſum extirpatione, ac aliis, prout unicuique ſuggeret devotio, fuderint; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem elargitur. Similiter in eadem Nativitate, ac etiam in Annunciatione ejuſdem Beatæ Mariæ Collegium 24. Cardinalium ut ſupra, prædictis Confratribus pariter ut ſupra, annuatim pro ſingulis feſtivitatibus, ſeu diebus prædictis, quibus id fecerint: centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxat.

„ Secundo. In Dominica infra Octavam Aſſumtionis Beatæ Mariæ Virginis prædicti Confratres vere pœnitentes, & confeſſi, ac devote viſitantes Ordinis Eccleſiam, & Capellam Con-

„ fraternitatis ut ſupra , a primis veſpe-
„ ris uſque ad occaſum Solis ſubſequentis
„ diei , & manus porrigentes adjutrices
„ (*ex Indulto Gregorii XIII. quin-*
„ *quies &c.*) lucrantur omnes , & ſingu-
„ las Indulgentias etiam Plenarias per fel.
„ rec. Innocent. IV., & alios Romanos
„ Pontifices prædeceſſores viſitantibus
„ Eccleſias domorum dicti Ordinis , &
„ manus porrigentibus adjutrices (*ex In-*
„ *dulto Gregorii XIII. quinquies &c.*)
„ conceſſas . Julius II. *Etſi Cuncti* 9. Ju-
„ lii MDVI. anno tertio.

„ Tertio . In feſto Aſſumtionis , Nati-
„ vitatis , Annunciationis , & Purificatio-
„ nis Beatæ Mariæ , necnon per octavas
„ Nativitatis , & Aſſumptionis ejuſdem
„ Beatæ Mariæ prædictis Confratribus ve-
„ re pœnitentibus , & confeſſis , atque
„ manus porrigentibus adjutrices (*ex In-*
„ *dulto Gregorii XIII. quinquies &c.*)
„ necnon Ordinis Eccleſias , & Capellam,
„ aut Altare Confraternitatis annuatim
„ devote viſitantibus mille anni , & toti-
„ dem quadragenæ miſericorditer rela-
„ xantur . Innocentius IV. *Quoniam* ut
„ ſupra .

„ Quarto . In omnibus feſtivitatibus
„ Beatæ Mariæ Matris Domini Noſtri Je-
„ ſu Chriſti , & per Octavas ipſarum præ-
„ fatis Confratribus vere pœnitentibus ,
„ & confeſſis , qui ad Eccleſias Ordinis
„ venerint , & Cappellam , vel Altare
„ Confraternitatis viſitaverint; ſeptuaginta
„ anni, & totidem quadragenæ Indulgen-
„ tiæ : eiſdemque pariter viſitantibus ,
„ ut ſupra, in omnibus prædictis feſtis Do-
„ minæ Noſtræ Sanctæ Mariæ , dando ali-
„ quid in adjutorium pro fabrica dicta-
„ rum Eccleſiarum , ſive Cappellæ , vel
„ Altaris Confraternitatis (*ex Indulto*
„ *Gregorii XIII. quinquies &c.*) per
„ quamlibet illarum feſtivitatum , cen-
„ tum anni , & centum quadragenæ In-
„ dulgentiæ ſuorum peccatorum conce-
„ duntur . Gregorius IX. ut ſupra .

„ Quinto . Singulis anni feſtis ejuſdem
„ Beatæ Mariæ Virginis Greg. XIII.
„ *Ad ea* die 15. Junii MDLXXV. Pont.
„ anno quarto omnibus, & ſingulis utriuſq;
„ ſexus Confratribus prædictis vere pœ-
„ nitentibus , & confeſſis , qui Altare ut
„ ſupra devote viſitaverint , & ibi orave-
„ rint ; Plenariam omnium peccatorum
„ ſuorum Indulgentiam , & remiſſionem
„ miſericorditer in Domino concedit , &
„ relaxat .

„ In feſtis Apoſtolorum , & Primo . In
„ feſtivitate Sancti Jacobi Majoris Colle-
„ gium 24. Cardinalium : videlicet qui-
„ libet ipſorum per ſe-eiſdem Confratri-
„ bus vere pœnitentibus , & confeſſis ,
„ atque viſitantibus ut ſupra annuatim die
„ prædicto , quo id fecerint; centum dies
„ de injunctis eis pœnitentiis miſericor-
„ diter in Domino relaxat .

„ Secundo . In feſto Apoſtolorum Pe-
„ tri & Pauli , & in ſolemnitatibus Apo-
„ ſtolorum , & Evangeliſtarum iiſdem
„ Confratribus vere pœnitentibus , &
„ confeſſis , atque manus porrigentibus
„ adjutrices (*ex Indulto Gregorii XIII.*
„ *quinquies &c.*) necnon Ordinis Eccle-
„ ſias , & Cappellam , vel Altare Confra-
„ ternitatis annuatim devote viſitantibus
„ mille anni , & totidem quadragenæ mi-
„ ſericorditer relaxantur. Innocentius IV.
„ *Quoniam* ut ſupra .

„ Tertio . In feſtis omnium Apoſtolo-
„ rum per quamlibet illarum feſtivitatum
„ præfatis Confratribus viſitantibus Ordi-
„ nis Eccleſias , & Cappellam , vel Altare
„ Confraternitatis, dando aliquid in adju-
„ torium pro fabrica dictarum Eccleſia-
„ rum (*ex Indulto Gregorii XIII. quin-*
„ *quies &c.*) centum anni , & centum
„ quadragenæ Indulgentiæ ſuorum pec-
„ catorum : eiſdemque pariter vere pœ-
„ nitentibus , & confeſſis ad dictas Ec-
„ cleſias Ordinis venientibus , & Cappel-
„ lam , vel Altare Confraternitatis ut ſu-
„ pra viſitantibus in omnibus feſtivitati-
„ bus Apoſtolorum , & Evangeliſtarum
„ ſeptuaginta anni , & totidem quadra-
„ genæ Indulgentiæ conceduntur . Gre-
„ gorius IX. ut ſupra .

„ In feſtis Sanctorum Ordinis , & pri-
„ mo. In feſto B. Auguſtini Doctoris Ec-
„ cleſiæ , & per octavam ejus prædictis
„ Confratribus vere pœnitentibus, & con-
„ feſſis venientibus ad dictas Ordinis Ec-
„ cleſias, & Cappellam, vel Altare ut ſupra
„ viſitantibus ſeptuaginta anni, & totidem
„ quadragenæ Indulgentiæ conceduntur.
„ Gregor. IX. ut ſupra. Eodemque feſto
„ prædictis vere pœnitentibus, & confeſ-
„ ſis, qui ad Eccleſiam Ordinis, & ad Cap-
„ pellam , vel Altare Confraternitatis

„ cau-

Digitized by Google

„ cauſa devotionis acceſſerint; annuatim „ centum dies de injuncta pœnitentia „ miſericorditer relaxantur. Alex. IV. „ *Vitæ perennis* 5. Idus Junii. Pont. anno „ quinto. In omnibus pariter feſtivitatibus „ ejuſdem B. Auguſtini prædictis Confratribus vere pœnitentibus, & confeſſis, „ qui præfatas Ordinis Eccleſias, & Cappellam, vel Altare Confraternitatis ut „ ſupra devote viſitaverint annuatim, & „ manus porrexerint adjutrices (*ex Indulto Gregorii XIII. quinquies &c.*) „ mille anni, & totidem quadragenæ miſericorditer relaxantur. Innoc. IV. *Quoniam* ut ſupra.

„ Secundo. In diebus feſtivitatum „ ejuſdem S. Auguſtini, & S. Monicæ „ Greg. XIII. *Ad augendam* ut ſupra, „ prædictis Confratribus, qui pœnitentes, & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti Eccleſias Ordinis, & „ prædictam ConfraternitatisCappellam, „ ac Sancti Auguſtini, & Sanctæ Monicæ „ hujuſmodi ſita Altaria a primis veſperis „ uſque ad occaſum Solis, ſingulis annis „ devote viſitaverint: & ibi pro pace inter Chriſtianos Principes conſervanda, „ ac hæreſum extirpatione, Sanctæque „ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad „ Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in „ Domino perpetuo concedit. Necnon „ idem Greg. XIII. *Etſi cunctæ* Idib. Decemb. MDLXXX. prædictis ſimiliter „ vere pœnitentibus, & confeſſis, qui „ Cappellam SanctæMonicæ in feſtivitate „ ejuſdem Sanctæ Monicæ a primis veſperis ut ſupra ſingulis annis devote viſitaverint: & inibi pro Sedis Apoſtolicæ „ exaltatione, hæreſumque extirpatione „ pias ad Deum preces effuderint, & „ Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint; „ etiam Plenariam omnium peccatorum „ ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem „ elargitur.

„ Tertio. In diebus item feſtivitatum „ ipſius D. Auguſtini, ac Sanctæ Monicæ „ ejuſdem Auguſtini Matris, & S. Nicolai Confeſſoris de Tolentino nuncupat. „ ſtatuitur, & ordinatur: quod omnes, „ & ſinguli utriuſque ſexus Confratres „ prædicti vere pœnitentes, & confeſſi, „ qui Ordinis Eccleſiam, & Cappellam, „ vel Altare Confraternitatis a primis „ veſperis vigiliarum, & per totam diem „ feſtivitatum earundem incluſive devote viſitaverint annuatim, & manus ad „ ejuſdem Eccleſiæ, ſive Cappellæ, vel Altaris Confraternitatis reparationem, „ reſtaurationem, & augmentum porrexerint adjutrices (*ex Indulto Greg. XIII. quinquies &c.*) pro qualibet die feſtivitatum hujuſmodi, omnium, & ſingulorum ſuorum criminum, & delictorum, ac peccatorum, etiamſi de illis „ tunc memores non extiterint, dummodo ſi memoriam illorum haberent, „ illa confitendi propoſitum habuerint, „ & ſi recordati aliquando confeſſi fuerint; Pleniſſimam auctoritate Apoſtolica remiſſionem miſericorditer conſequuntur. Sixtus IV. *Dum attente* anno Incarnationis Dominicæ MCCCC „ LXXIX. 11. Calen. Aprilis Pont. anno nono.

„ Quarto. Conceditur etiam prædictis Confratribus vere pœnitentibus, „ & confeſſis, qui in Dominica feſtum „ S. Nicolai de Tolentino immediate ſequente a primis veſperis uſque per totum diem ipſius Dominicæ Cappellam „ ejuſdem S. Nicolai, & Altare Confraternitatis devote viſitaverint annuatim, illa Indulgentia, & remiſſio peccatorum, quam viſitantes Eccleſiam „ Beatæ Mariæ in Portiuncula, alias dictam de Angelis, ut ſupra annuatim „ quomodolibet conſequuntur. Bonifac. IX. *Licet* 15. Calen. Martii Pont. „ anno undecimo.

„ In aliis diebus anni, & Primo In feſtis S. Joannis Baptiſtæ, & omnium Sanctorum prædictis per quamlibet illarum „ feſtivitatum viſitantibus Ordinis Eccleſias, & Cappellam, vel Altare Confraternitatis, centum anni, & centum quadragenæ Indulgentiæ ſuorum peccatorum, dando aliquid in adjutorium pro „ fabrica dictarum Eccleſiarum, ſive Cappellæ, vel Altaris Confraternitatis (*ex Indulto Gregorii XIII. quinquies &c.*) „ conceduntur. Gregorius IX. ut ſupra. „ Eiſdemque vere pœnitentibus, & confeſſis, in Nativitate Sancti Joannis Baptiſtæ, necnon per ejuſdem Octavam, & „ celebritate prædicta Omnium Sancto-

„ rum,

„ rum, qui devote viſitaverint Eccleſias
„ Ordinis, & Cappellam, vel Altare Con-
„ fraternitatis ut ſupra annuatim, & ma-
„ nus porrexerint adjutrices (*ex Indulto*
„ *Gregorii XIII. quinquies &c.*) mille
„ anni, & totidem quadragenæ miſeri-
„ corditer relaxantur. Innocentius IV.
„ *Quoniam &c.*

„ Secundo. A feria ſexta poſt Domi-
„ nicam tertiam Quadrageſimæ uſque ad
„ octavam Reſurrectionis Dominicæ præ-
„ dictis vere pœnitentibus, & confeſſis,
„ qui fide, ac reverentia præviis ad gra-
„ tiam implorandum cum eleemoſynis
„ acceſſerint (*ex Indulto Greg. XIII.*
„ *quinquies &c.*) diebus ſingulis, quibus
„ Ordinis Eccleſiam, & Cappellam, vel
„ Altare Confraternitatis ut ſupra viſita-
„ verint; annorum decem & ſeptem, &
„ quadragenarum totidem Indulgentia
„ conceditur. Ex literis authenticis Ray-
„ naldi Archiep. Thebani, ac in Urbe Vi-
„ carii Generalis Clementis Papæ V. anno
„ MCCCIX. die 30. Martii ejuſdem Cle-
„ mentis Pont. anno quarto.

„ Tertio. A Dominica Septuageſimæ
„ incluſive uſque ad octavam Paſchæ,
„ prædictis vere pœnitentibus, & confeſ-
„ ſis, qui devote viſitaverint Ordinis Ec-
„ cleſias, & Cappellam, vel Altare Con-
„ fraternitatis ut ſupra annuatim, & ma-
„ nus porrexerint adjutrices (*ex Indulto*
„ *Greg. XIII. quinquies &c.*) mille anni,
„ & totidem quadragenæ miſericorditer
„ relaxantur. Innoc. IV. *Quoniam* ut
„ ſupra.

„ Quarto. Leo X. *Cum ſicut accepi-*
„ *mus* die 6. Januarii MDXV. Pontificatus
„ anno ſecundo omnibus, & ſingulis Corri-
„ giatorum Confratribus in toto Chriſtia-
„ norum orbe conſtitutis, qui vel quæ
„ orationem ſerotinam conſuetam in Or-
„ dine Eremitarum Sancti Auguſtini ſin-
„ gulis diebus in communi, vel ex ſe ora-
„ tionem pro ſtatu S. R. E., & pro Sum-
„ mo Pontifice dici conſuetam, vel eam
„ quæ incipit: *Salve Regina* devote dixe-
„ rint; ſeptem annos de vera Indulgen-
„ tia, & totidem quadragenas concedit,
„ & indulget.

„ Quinto. Diebus Stationum in Miſſali
„ Romano præſcriptis, prædicti Cinctu-
„ ratorum Confratres, qui contriti, &
„ confeſſi in Eccleſiis Ordinis ſingulis die-
„ bus pro tempore quadrageſimali viſita-
„ verint tria Altaria: ſcilicet Altare Con-
„ fraternitatis, & alia duo a Prioribus
„ ejuſdem Ordinis deputanda: & quin-
„ que *Pater noſter*, totidemque *Ave*
„ *Maria* ob reverentiam Dominicæ Paſ-
„ ſionis, & Glorioſæ Dei Genitricis Ma-
„ riæ genibus flexis cum oratione, quæ
„ pro Summo Pontifice fieri conſuevit
„ videlicet: *Deus omnium fidelium Pa-*
„ *ſtor &c.* dixerint; eandem Indulgen-
„ tiam conſequuntur, quam habituri eſ-
„ ſent, ſi Romanis Stationibus intereſſent.
„ Qui vero dictam orationem dicere
„ neſciverint, loco illius dicant *Salve Re-*
„ *gina* pro felici conſervatione Status Ec-
„ cleſiæ Romanæ, & Summorum Ponti-
„ ficum, qui pro tempore fuerint: ubi
„ vero tot Altaria non eſſent, ter dictas
„ orationes, & *Pater* cum *Ave Maria* re-
„ plicent ante Altare Confraternitatis.
„ Sixtus IV. *Per Signaturam*. Inno-
„ centius deinde VIII. in Bulla: *Cum alias*
„ die 7. Dec. MCCCCLXXXIX. Pon-
„ tificatus anno ſexto prædictas Indulgen-
„ tias Stationum Almæ Urbis pro tempo-
„ re quadrageſimali ut ſupra conceſſas
„ confirmavit, & ad Stationes totius an-
„ ni (ad normam Miſſalis Romani, ut
„ ſupra) extendit. Et nihilominus ſi con-
„ tingat aliquem ex legitima cauſa a locis,
„ ubi ſunt Eccleſiæ præfati Ordinis, ſive
„ Altare Confraternitatis, abeſſe, in qua-
„ cunque Eccleſia, & loco etiam unum
„ tantum Altare habente, ſi ante dictum
„ Altare eas orationes, quæ ante tria Al-
„ taria fieri jubentur, ter dixerit; præfa-
„ tas totius anni Indulgentias perinde
„ conſequatur, ac ſi eas coram tribus Al-
„ taribus ut ſupra deputatis dixerit,
„ indulſit.

„ Sexto. In Hebdomada Majori, præ-
„ fati Corrigiatorum Confratres vere pœ-
„ nitentes, & confeſſi, qui Ordinis Eccle-
„ ſiam, & Cappellam, vel Altare Confra-
„ ternitatis ut ſupra, a primis veſperis
„ diei Martis dictæ Majoris Hebdomadæ
„ uſque per totum diem Mercurii imme-
„ diate ſequentem devote viſitaverint
„ annuatim, & ad earundem conſerva-
„ tionem manus porrexerint adjutrices
„ (*ex Indulto Greg. XIII. quinquies &c.*)
„ illam perpetuis temporibus Indulgen-
„ tiam, & peccatorum remiſſionem lu-

„ cran-

„ crantur, quam viſitantes Eccleſiam S. Marci de Venetiis Caſtellanen. Diœceſis, in feſto Aſcenſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, annuatim quomodolibet conſequuntur. Bonifacius IX. *Sinceræ Devotionis* 4. Calen. Martii Pontificatus anno nono. Eodem pariter die Mercurii, necnon die Jovis, & die Veneris Hebdomadæ Sanctæ, præfati Confratres vere pœnitentes, & confeſſi, qui devote viſitaverint Eccleſias Ordinis, & Cappellam, aut Altare Confraternitatis, ut ſupra annuatim, & manus porrexerint adjutrices (*ex Indulto Gregorii XIII. quinquies &c.*) a pœna, & a culpa miſericorditer relaxantur. Innocentius IV. *Quoniam* ut ſupra: quam conceſſionem Sixtus IV. *Inter Præcipuas* ut infra, Indulgentiam Plenariam nominat.

„ Septimo. In omnibus Sabbatis Quadrageſimæ prædictis Confratribus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſias Ordinis, & Cappellam, vel Altare Confraternitatis, ut ſupra qualibet die Sabbati ſingularum hebdomadarum Quadrageſimæ devote viſitaverint annuatim; omnium peccatorum ſuorum remiſſio, & venia conceditur. Sixtus IV. *Cum ineffabilia* anno Incarnationis dominicæ MCCCCLXXIX. 13. Calen. Julii Pontificatus anno octavo. Præterea ſingulis diebus Sabbati totius anni iiſdem vere pœnitentibus, & confeſſis, atque Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam Ordinis, & Cappellam, vel Altare Confraternitatis, ut ſupra viſitaverint devote: & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint; Plenaria omnium peccatorum ſuorum Indulgentia, & remiſſio miſericorditer in Domino conceditur. Gregor. XIII. *Ineffabilia* die 25. Januarii MDLXXXII. Pont. anno decimo.

„ Octavo. Iiſdem Confratribus ſemel in vita, ut Confeſſorem idoneum Regularem dicti Ordinis, juxta Concilii Tridentini decreta ab Ordinario approbatum, quem ipſi Corrigiati, & eorum quilibet duxerit eligendum: qui ipſos Confratres, & eorum quemlibet ab eorum exceſſibus, & delictis abſolvere (exceptis caſibus in Bulla Cœnæ contentis, & caſibus Epiſcopis locorum reſervatis, ac aliis ad formam Conſtitutionis: *Quæcunque* Clementis VIII.) & eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere, ac Plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem elargiri poſſit, Apoſtolica auctoritate conceditur, & indulgetur. Quam etiam in articulo mortis vere pœnitentes, & confeſſi conſequi poſſunt. Julius II. *Cum fructus uberes* ut ſupra.

„ Nono. Plenariam quoque Indulgentiam in articulo mortis lucrari poſſunt prædicti Confratres, ſi vere pœnitentes, & confeſſi Nomen Jeſu ore, vel corde invocaverint. Gregor. XIII. *Etſi cunctæ* ut ſupra, & *Reddituri* pariter ut ſupra.

„ In Proceſſionibus & Primo. Gregor. XIII. *Ad ea*, ut ſupra omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Confratribus prædictis vere pœnitentibus, & confeſſis, qui quarta Dominica cujuslibet menſis ceſſante legitimo impedimento dictæ Proceſſioni interfuerint; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem: ac eiſdem Confratribus Miſſæ ſolenni quarta Dominica cujuslibet menſis ad Altare Confraternitatis, ac etiam privatæ Miſſæ in Oratorio, ſive Altari ejuſdem Confraternitatis, dicta quarta Dominica celebrari ſolitis intereſſentibus: ac inibi pro Rom. Pont. conſervatione, & exaltatione Sedis Apoſtolicæ, & unione Principum Chriſtianorum, hæreſumque extirpatione pias ad Deum preces effundentibus centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino concedit, & relaxat. Eandem Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem in Proceſſione præfatæ quartæ Dominicæ elargitur idem Gregor. XIII. in Brevi: *Reddituri* ut ſupra, vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, & ut præfertur orantibus. Plenariam pariter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem idem Gregor. XIII. *Ad augendam* ut ſupra, præfatis omnibus utriuſque ſe-

„ xus

„ xus dictæ Confraternitatis Confratribus, quando pœnitentes, & confeſſi, & Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento refecti Proceſſionem ſemel in menſe celebrabunt; miſericorditer in Domino perpetuo concedit.

„ Secundo. Gregor. XIII. *Etſi cunctæ* ut ſupra, eiſdem aſſociantibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur: aut qui infirmitate impediti id facere nequiverint, campanæ ad id ſigno dato genuflexi, ſi commode potuerint, ter Orationem Dominicam pro eodem Infirmo recitaverint; centum dies. Deinde ipſis utriuſque ſexus Confratribus, qui Proceſſioni in feſtivitate Sanctæ Monicæ fieri ſolitæ interfuerint; etiam centum dies. Præterea idem Pontifex in alio: *Reddituri* ut ſupra, Confratribus præfatis, qui ad Proceſſiones faciendas convenerint; etiam ſexaginta dies de eis injunctis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxat.

„ In exercitio piorum operum, & Primo. Omnibus utriuſque ſexus Confratribus, qui dederint ſecundum propriam eorum devotionem aliquam eleemoſynam pro reparatione, & ædificatione domorum, & ſuſtentatione Fratrum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ſive Cappellæ, vel Altaris, aut Oratorii Confraternitatis (*ex Indulto Gregorii XIII. quinquies &c.*) conceditur facultas, quod poſſint eligere Confeſſorem idoneum Presbyterum ſæcularem, vel cujuſvis Ordinis Religioſum ab Ordinario utcunque ut ſupra approbatum: qui eorum confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis per eos exceſſibus, criminibus, delictis quantuncunque gravibus, & omiſſionibus horarum canonicarum, & a cenſuris, & pœnis quavis cauſa, vel occaſione latis (exceptis caſibus reſervatis ad formam Conſtitutionis: *Quæcunque* Clementis VIII. ut ſupra) toties quoties opus fuerit, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint; ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo Plenariam remiſſionem omnium peccatorum Ipſis in ſinceritate fidei, unitate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia, & devotione Romanorum Pontificuni perſiſtentibus impendere, ac pœnitentiam ſalutarem injungere valeant: & ſi forſan contingat perſonas præfatas ſine Confeſſione decedere; dummodo aliqua ſigna contritionis ante obitum eorum in eis apparuerint, vel morte repentina ab hac luce ſubtracti fuerint; etiam Plenariam abſolutionem, & remiſſionem hujuſmodi conſequuntur. Quod ſi dederint eandem ut ſupra eleemoſynam pro defuncto, ſeu (*ex Indulto Gregorii XIII. &c.*) vere pœnitentes, & confeſſi eandem Indulgentiam conſequuntur; ita quod Plenaria Indulgentia hujuſmodi pro pleniſſima relaxatione pœnarum, quibus in Purgatorio igne ſunt expoſitæ animæ defunctorum, ſuffragetur: prædictique Confratres benefactores Confraternitatis, tam vivi, quam defuncti fiunt participes in perpetuum in peregrinationibus, & ſtationibus Terræ Sanctæ, & Liminum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Jacobi in Compoſtella, & in omnibus ſuffragiis, precibus, eleemoſynis, jejuniis, orationibus, diſciplinis, & cæteris omnibus ſpiritualibus bonis, quæ fient, & fieri poterunt per Fratres dicti Ordinis, & in tota Sacroſancta militante Eccleſia, & in omnibus membris ejuſdem. Sixt. IV. *Inter præcipuas* Anno Incarnat. Dominicæ MCCCCLXXVII. 7. Cal. Dec. Pontificatus anno ſeptimo.

„ Secundo. Prædictis Confratribus exiſtentibus Procuratoribus dicti Ordinis, ſive Confraternitatis centum anni: & facientibus eleemoſynam eidem Ordini, ſive Confraternitati (*ex Indulto Gregorii XIII. quinqaies &c.*) quadraginta anni conceduntur Indulgentiæ. Martin. IV. *ex Tranſumpto Oſcenſi* ut ſupra. Præterea Gregorius XIII. *Etſi cunctæ* etiam ut ſupra eiſdem Confratribus, quoties Divinis Officiis in Cappella, aut Oratorio Confraternitatis celebrandis, aut Congregationibus, vel Orationibus per eoſdem Confratres, & Sorores fieri ſolitis interfuerint, vel ex alio caſu præſtiterint auxilium, conſilium, vel favorem; centum dies: & in alio: *Reddituri* etiam ut ſupra, iiſdem qui ad Divina Officia recitanda, mortuos ſepeliendos convenerint, aut infirmos, & carceratos viſitaverint; ſexagin-

„ ta

tū dies de eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxat.

„ Tertio, & ultimo. Præfati Confratres, & Conſorores gaudent non ſolum omnibus Indulgentiis, quæ directe conceſſæ fuerunt toti Ordini Eremitarum S.Auguſtini ex præfatis Conſtitutionibus Apoſtolicis; verum & quibuſcunque aliis, quas eidem Ordini conceſſerunt per communicationem cum Ordinibus Prædicatorum, & Minorum Sixt.IV. in Mari Magno: *Dum fructus uberes* 7.Id. Februar. MCCCCLXXIV.; Prædicatorum, atque Carmelitarum, & Servorum Jul.II. *Etſi* die 17. Junii MDVIII.; cum Mendicantibus omnibus idem Julius: *Religionem Veſtram* die 30. Junii MDVIII.; cum aliis Ordinibus, & Congregationibus idem Julius: *Nihil eſt* die 24. Septem. MDVIII.; cum iiſdem Ordinibus omnibus univerſaliſſime Alexandr. VI. *Sacræ Religionis* die 8. Martii MCCCCXCVII. Leo X. *In rerum* die 10. Junii MDXIII. & Gregorius XIII. *Ad augendam* ut ſupra; tum etiam Clemens VII. *Romanus Pontifex* die ultima Octobris MDXXX. per communicationem cum prædicto Ordine Eremit., & cum Ordinibus omnibus, eorumque Confraternitatibus in ampliſſima forma ſub his verbis: Ipſoſque Fratres, Moniales, Sorores, Perſonas, Monaſteria, domos, Eccleſias, & alia loca Religionis hujuſmodi, omnibus, & ſingulis privilegiis, exemtionibus, indultis, & gratiis quibuſvis dicti, & aliorum Ordinum etiam Mendicantium, etiam de Obſervantia nuncupatorum, ac Ordinis Prædicatorum, Carmelitarum, B. M. Servorum, ac Minimorum, & aliorum quorumcunque Ordinum Fratribus, & perſonis, ac Congregationibus, Confraternitatibus, illarumque Eccleſiis, Oratoriis, domibus, & aliis piis locis, illorumqe Prioribus, Fratribus, & Sororibus, Converſis, & Oblatis, Corrigiatis, Mantellatis, & de Pœnitentia nuncupat. & aliis utriuſque ſexus perſonis per eoſdem Prædeceſſores, ac etiam per Nos quomodolibet etiam vivæ vocis Oraculo in genere conceſſis, & in poſterum forſan concedendis &c. uti, frui, gaudere poſſe, & debere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi tibi, & Ordini tuo, ac Fratribus, Monaſteriis, Eccleſiis, & locis ejuſdem Ordinis tui conceſſa fuiſſent; ſcientia, auctoritate, & tenore præfatis etiam decernimus. Et cum eodem Ordine Eremitarum S. Auguſtini tantum Julius II. die 2 Julii MDXII. in Brevi: *Præ cæteris*, his verbis: Declarantes inſuper tres ſuperiores ejuſdem Ordinis gradus, videlicet Fratres, Moniales, & Mantellatos, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, & indultis, quæ in Mari Magno, ſeu aliis conceſſionibus tam per Nos, quam per alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros Ordini antedicto conceſſis continentur, & expreſſa ſunt, integre perfrui debeant, & poſſint; ſed quarti gradus utriuſque ſexus perſonæ, quibus zonam dari conſuetum eſt, Indulgentiis tantum gaudeant. Hoc iiſdem fere verbis habet Leo X. die 10. Maii MDXIII. *Præ cæteris*: quarum vigore Literarum Apoſtolicarum omiſſis iis, quæ dictis Indulgentiis ſunt conſimiles, aliiſque pluribus, ſelectæ ſunt infraſcriptæ Indulgentiæ.

„ Prædictis Confratribus, & Conſororibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ſeu firmum confitendi propoſitum habentibus, qui Cappellam, ſeu Altare Confraternitatis ſingulis diebus Dominicis cujuslibet Quadrageſimæ: ac in Reſurrectionis, & Aſcenſionis D.N.J.C. ac Pentecoſtes, & Sanctiſſimæ Trinitatis, ac Nativitatis ejuſdem D. N. J. C. feſtivitatum diebus a primis veſperis ſingularum Dominicarum, ſeu dierum hujuſmodi uſque ad occaſum Solis cujuslibet ipſarum devote viſitaverint: & ibidem ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam recitaverint; Plenaria, & vera omnium peccatorum ſuorum Indulgentia, & remiſſio: aliis vero ſingulis Dominicis diebus cujuslibet reſpective anni modo præfato viſitantibus triginta anni, & totidem quadragenæ de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxantur. Leo X. *Et ſi cunctæ* MDXVIII. Cal. Julii Pontificatus anno ſexto. *Oracula vivæ vocis*.

„ Vigore Conſtitutionis Julii II. *Religionem Veſtram*, necnon Clemen. VII.

„ *Romanus Pontifex* : quibus conceditur communicatio privilegiorum cum aliis Ordinibus, etiam vivæ vocis Oraculo, tam conceſſorum, quam inpoſterum concedendorum.

„ Primo. Prædicti Confratres viſitantes Altare Confraternitatis, & ſex alia Altaria deputanda in Eccleſiis Ordinis conſequuntur eaſdem Indulgentias, quas habere, & conſequi valerent, & poſſent, ſi ſeptem Eccleſias Privilegiatas inviſerent, & adirent, quæ intra, & extra Urbis Romæ mœnia conſtructæ reperiuntur. Pius V. *ex literis Orig.* Joan. Pauli tit. Sancti Pancratii S. R. E. Cardinalis ab Eccleſia nuncupati ſub dat. Romæ anno MDLXXI. die 25. Novembris Pontificatus ejuſdem Pii V. anno ſexto.

„ Secundo. In omnibus diebus Communionis, quæ ſolet fieri in Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini: ſcilicet in prima Dominica Adventus, in die Nativitatis Domini Noſtri JESU Chriſti, in die Epiphaniæ, in Purificatione B. M. Virginis, in prima, & quarta Dominica Quadrageſimæ, in Annunciatione B. M. Virginis, feria quinta in Cœna Domini, in Dominica Reſurrectionis Domini, in Aſcenſione ejuſdem, in die Sancto Pentecoſtes, in feſto Corporis Chriſti, in Nativitate Sancti Joannis Baptiſtæ, in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, in Aſſumtione B. M. Virginis, in feſto Sancti Auguſtini, in Nativitate ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis, in feſto Sancti Michaelis Archangeli, & in ſolemnitate Omnium Sanctorum, Prædicti utriuſque ſexus Corrigiatorum Confratres pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, ſi poſt ipſam Communionem genibus flexis recitaverint Orationem: *Deus omnium fidelium* &c. aut Orationem Dominicam, ſi prædictam neſcierint, pro conſervatione ſtatus Sanctæ Matris Eccleſiæ, ac Romani Pontificis pro tempore exiſtentis; ex gratia, & conceſſione Sedis Apoſtolicæ Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam diebus prædictis conſequentur.

„ Omnes ſupradictæ Indulgentiæ fuerunt approbatæ, confirmatæ, & innovatæ a diverſis Pontificibus reſpective: necnon S. R. E. Cardinalibus, Archiepiſcopis, Prælatis, ac Miniſtris pro manutentione commendatæ: inter quos præcipue ſunt ſequentes.

„ Alexander IV. in Bulla: *Odore ſuavi.* Idib. Julii Pontificatus anno primo. Idem, & Nicolaus III. *Ex Transſumpto Oſcenſi* ut ſupra. Cœleſtinus V. ex Bulla: *Ex parte dilectorum* Nonis Decembris anno primo. Urbanus VI. in Bulla: *Solet annuere* 11. Cal. Maii anno undecimo. Sixtus IV. in Bulla: *Dum fructus uberes* ut ſupra: item in Bulla: *Inter præcipuas* etiam ut ſupra: qui omnia, & ſingula privilegia, immunitates, exemtiones, conceſſiones, ac peccatorum plenarias remiſſiones, quocunque nomine nuncupata, & ſub quibuſcunque tenoribus eidem Ordini Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, illiuſque Fratribus, & domibus quomodolibet conceſſa, ſive a Sede Apoſtolica, ſive a ſuis Prædeceſſoribus, & ea quæ a quibuſvis Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, & a Regibus, & Principibus, ſeu aliis Chriſtifidelibus indulta ſunt, confirmavit. Julius II. in Bulla aurea: *Dum fructus uberes* ut ſupra: item in Brevi: *Et ſi ad bene* die 17. Junii MDVIII. anno quinto: & in Brevi: *Exigit* die 21. Julii MDXI. anno octavo: & in alio: *Nihil eſt* die 24. Septembris MDVIII. anno quinto. Leo X. *In rerum Chriſtianarum* 10. Junii MDXIII. anno primo: & in Bulla: *Solet annuere* ut ſupra: & in Brevi: *Licet ſponte* die 6. Maii MDXIV. anno ſecundo. Clemens VII. *Rom. Pontifex* pariter ut ſupra. Gregorius XV. in ampliſſima forma in Bulla: *Injuncti Nobis* 3. Non. Junii MDCXXI. anno primo, poſt revocationem factam a Paulo V. *Cum certas*. Quæ quidem Bulla Gregorii XV. a Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Reliquiarum fuit diligenter examinata: eademque cenſuit nihil obſtare, quominus Confratres Archiconfraternitatis Cincturatorum, eique aggregatarum Confraternitatum uti, & frui poſſint, ac debeant omnibus, & ſingulis Indulgentiis in eadem Bulla confirmatis, & innovatis; non obſtante præfata Pauli V.

„ revo-

„ revocatione: ut ex decreto ejuſdem „ Sacræ Congregationis ſub die 17. Aprilis MDCLXXIII.

Indulgentiæ pro cunctis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus viſitantibus Eccleſias Ordinis, vel exercentibus opera pia.

„ Alexander IV. omnibus venientibus „ ad prædicationem Fratrum Eremitarum S. Auguſtini centum, & octoginta „ dies concedit Indulgentiæ: *ex Tranſumpto Oſcenſi* ut ſupra. Martinus IV. „ & Joannes XXII. omnibus viſitantibus „ dicti Ordinis Monaſteria in omnibus feſtivitatibus Sanctorum, & Sanctarum „ dicti Ordinis: præcipue B. Auguſtini, „ & Beatæ Monicæ Matris ejus, & per „ Octavas ipſarum, & Translationibus, & „ Converſione Sancti Auguſtini; pro qualibet ipſarum feſtivitatum concedit „ quadraginta annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ. Nicolaus III. „ ſupradictas Indulgentias, & in aliis „ anni diebus pro qualibet die concedit „ centum dies Indulgentiæ: & adhuc remittit omnibus morientibus in habitu „ S. Auguſtini, ſi elegerint ſepeliri in „ dicto habitu, quartam partem ſuorum „ peccatorum. Hoc idem Clemens IV. „ concedit de habitu: *ex Tranſumpto* ut „ ſupra. Nicolaus IV. *Licet is*. 8. Idus „ Febr.an. primo,omnibus vere pœnitentib. & confeſſis,qui Eccleſ. ejuſd.Ord. in „ feſtivitatibus Aſſumtionis B. M. Virginis, & S.Auguſtini Confeſſoris uſque ad „ octo dies ſequentes annis ſingulis cum „ devotione debita venerabiliter viſitaverint;centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxat. Urbanus V. omnibus Benefactoribus Ordinis concedit ſuffragia, orationes, & „ bona facta per Fratres dicti Ordinis, & „ quæ fiunt per totam univerſalem Eccleſiam in perpetuum: in quibus vult, „ ut ſint participes tam vivi quam defuncti.

„ §. 2. Nobis propterea præfatus Joſephus Epiſcopus dilectorum filiorum „ Nicolai Olivæ Prioris Generalis, ac „ totius Ordinis Fratrum Eremitarum „ S. Auguſtini nomine humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune „ providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos „ igitur piis eorundem Joſephi Epiſcopi, „ ac Nicolai Prioris Generalis,& Fratrum „ dicti Ordinis votis hac in re, quantum „ cum Domino poſſumus, favorabiliter „ annuere volentes; & eorum ſingulares „ perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque „ Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & „ pœnis a jure, vel ab homine, quavis „ occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus „ quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad „ effectum præſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitorum, qui Indulgentias in Summarium hujuſmodi „ redactas promulgari poſſe cenſuerunt, „ conſilio, Summarium præinſertum, „ omniaque, & ſingula in eo contenta, „ Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis „ robur adjicimus: & quatenus opus ſit „ omnes, & ſingulas Indulgentias, & „ peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes in eodem Summario expreſſas de novo eadem Auctoritate harum ſerie perpetuo concedimus: „ necnon præinſertum Summarium duntaxat, abrogatis reliquis omnibus Summariis Indulgentiarum Archiconfraternitati, & Confraternitatibus Cincturatorum hujuſmodi conceſſarum antehac editis, de cœtero publicari, atque ſervari debere decernimus, & declaramus.

„ §. 3. Præterea omnibus, & ſingulis „ utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui dictam Archiconfraternitatem, vel aliquam ex Confraternitatibus illi jam aggregatis, & inpoſterum quandocunque „ aggregandis de cœtero ingredientur; „ die primo eorum ingreſſus,ſi vere pœnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, „ Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem „ miſericorditer in Domino concedimus: „ utque omnes, & ſingulæ Indulgentiæ „ præfatæ animabus Chriſtifidelium, quæ

„ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicari poſſint, indulgemus.

„ §.4. Et quia præcipua, principaliſque ſolemnitas Archiconfraternitatis, & Confraternitatum præfatarum ex conceſſione dicti Gregorii XIII. Prædeceſſoris per quaſdam ſuas literas, quarum initium: *Cupientes &c.* die 20. Novembris MDLXXVI. expeditas (ut aſſeritur) facta cum Proceſſione quotannis prima Dominica Adventus communiter celebrari conſuevit: ipſarumque Archiconfraternitatis, & Confraternitatum Confratribus, & Conſororibus, qui Proceſſioni hujuſmodi interſunt, & injuncta pietatis opera adimplent, Plenaria Indulgentia conceſſa reperitur; Nos ſpecialem eiſdem Confratribus, & Conſororibus, quibus dicta dies Dominica minus commoda eſſe dicitur, gratiam facere volentes; Solemnitatem, ac Proceſſionem, & Indulgentiam Plenariam hujuſmodi a dicta prima Dominica Adventus ad Dominicam primam poſt feſtum Sancti Auguſtini, (ſervata tamen in reliquis earundem Gregorii XIII. Prædeceſſoris literarum forma, & diſpoſitione, ac ſine ullo ſpecialium Indultorum Apoſtolicorum, per quæ nonnullis ex dictis Confraternitatibus dies proprii pro ejuſmodi ſolemnitate celebranda aſſignati ſint, præjudicio) auctoritate, & tenore prædictis transferimus.

„ §.5. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

„ §.6. Non obſtantibus quatenus opus ſit Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis adinſtar, aliiſque Conſtitutionibus, &

„ Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

„ §. 7. Volumus autem, ut earundem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 17. Martii MDCLXXV. Pontificatus noſtri anno quinto.

Annotandum eſt hic facultatem erigendi Confraternitates *Cincturatorum* ſpectare ad Priorem Generalem totius Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, ubique terrarum; ad Vicarios vero Generales Diſcalceatorum ejuſdem Ordinis tantum in propriis Eccleſiis. Cum vero prædicti Vicarii Generales ſibi competere jus aggregandi ejuſmodi Confraternitates Archiconfraternitati Cincturatorum in Eccleſia S. Jacobi Bononien. inſtitutæ contenderent, non obtenta ſuper hoc a Priore Generali ejuſdem Ordinis facultate; poſt cauſam in Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita diu diſcuſſam, ab eadem emanavit Decretum tenoris ſequentis = *In Cauſa Auguſtinianorum vertente inter Patrem Generalem totius Ordinis S. Auguſtini ex una, & Patres Vicarios Generales Diſcalceatorum Congregationum Italiæ, Galliarum, Hiſpaniarum, & Luſitaniæ altera ex partibus &c. Sacra Congregatio Eminentiſsimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, partibus auditis, referente Eminentiſsimo Creſcentio, cenſuit: non licere Diſcalceatis jus aggregandi ad Confraternitatem Cincturatorum Sanctæ Mariæ de Conſolatione poſiam in Eccleſia Sancti Jacobi Bononiæ; poſſe tamen erigere Confraternitates Corrigiatorum in propriis eorum Eccleſiis tantum (ſervata tamen forma Conſtitutionis Sanctæ memoriæ Clementis VIII. incipientis: Quæcunque &c. ſub die 7. Decembr. MDCIV. & De-*

Digitized by Google

& Decretorum ejuſdem Sacræ Congregationis) ideoque erectionem factam in Eccleſia Diſcalceatorum in Civitate Ulyſſiponæ eſſe nullam. Romæ 30. *Septembris MDCLXXVIII. Card. Gaſpar Carpineus* = Quod Decretum fuit confirmatum Brevi Innocentii XI. incipiente: *Alias emanavit*, edito die 22. Junii anno MDCLXXIX.

§. V.

Breve Innocentii XI. quo confirmatur Summarium Indulgentiarum Confraternitatum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ Exponi Nobis nuper fecit Dilectus filius Joſephus Monier Procurator Generalis Ordinis Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum, quod, cum nonnullæ Indulgentiæ, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitatibus utriuſque ſexus Chriſtifidelium ſub titulo, ſeu invocatione ejuſdem Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum, a Superioribus dicti Ordinis ex indulto Sedis Apoſtolicæ erectis, & erigendis Apoſtolica auctoritate conceſſæ reperirentur; illarum Summarium confectum, ac a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Indulgentiis, ac Sacris Reliquiis præpoſitorum recognitum, & approbatum fuit, tenoris, qui ſequitur, videlicet.

§. 1. Summarium Indulgentiarum a Summis Pontificibus Confraternitatibus ab Ordine SS. Trinitatis Redemtionis Captivorum erectis, & inſtitutis conceſſarum.

„ Qui ordo non ſine divina revelatione a glorioſis Sanctis Joanne de Matha, & Felice de Valois fundatus fuit. „ Eaſdem Confraternitates quamplurimi Reges, Principes, Nobiles, & innumeri utriuſque ſexus Chriſtifideles ingreſſi ſunt: qui ad tam frequentes, & numeroſas Redemtiones a dicto Ordine ab initio illius fundationis uſque ad præſens factas, liberalibus eleemoſynis cooperati ſunt. Indulgentiæ vero ſunt infraſcriptæ: omiſſis revocatis a Beato Pio V. quæ manus adjutrices requirebant; poſtea a Paulo V. qui, revocatis antiquis, novas conceſſit; & poſtremo a Clemente X. qui omnes generaliter, exceptis in hoc præſenti folio contentis, nonnullis confirmatis, & aliis, prout in Brevi ſub dat. 3. Junii MDCIXXIII. de novo conceſſis, revocavit.

Indulgentiæ a Paulo V. dictis Confratribus, & Sororibus conceſſæ.

„ Primo. Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Criſtifidelibus, vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, prima die, qua in dicta Confraternitate adſcribentur, ac Habitum, ſeu Scapularium manu cujuſdam Superioris dicti Ordinis benedictum ſuſceperint, abſque voti emiſſione; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem conceſſit.

„ Secundo. Eiſdem Confratribus, & Sororibus nunc, & pro tempore exiſtentibus, Scapularium ſupradictum deferentibus, ſi vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, Sanctiſſimum Nomen JESU ore, ſi potuerint, ſin minus, corde in cujuslibet eorum mortis articulo devote invocaverint; Plenariam.

„ Tertio. Eiſdem Confratribus, & Sororibus, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti Eccleſias, ſeu Cappellam, vel Oratorium Ordinis, aut Confraternitatis die feſto Sanctiſſimæ Trinitatis devote viſitaverint: & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum præces fuderint; Plenariam.

„ Quar-

„ Quarto. Eiſdem Confratribus, & „ Sororibus, qui ad partes infidelium „ Captivos redimendi gratia ſe tranſtulerint, ac prius vere pœnitentes, & „ confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint; Plenariam.

„ Quinto. Ipſiſmet Captivis redemtis, qui intra menſem a die eorum reductionis computandum, vere pœnitentes, & confeſſi SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint; Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſit.

„ Sexto. Eiſdem Confratribus, & „ Sororibus, qui ſupradictum Habitum, „ ſive Scapularium benedictum, Redemtionis ſigno munitum, pio cordis affectu detulerint: ac ſemel in dies ſexies Orationem Dominicam cum verſiculo *Gloria Patri*, ac etiam ſexies Salutationem Angelicam, cum eodem verſiculo *Gloria Patri*, pro Chriſtianorum Principum concordia hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione recitaverint; ſeptem annos, & totidem quadragenas.

„ Septimo. Eiſdem Confratribus, & „ Sororibus, qui ſupradictas Eccleſias, „ vel Cappellas, aut Oratoria Ordinis, vel Confraternitatis hujuſmodi, in Nativitatis, & Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, in Aſſumtionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ feſtis diebus, ac Sanctæ Agnetis ſecundo (quo die revelatione divina prædictus Ordo Redemtionis Captivorum fuit inſtitutus) viſitaverint: ac prædictas Orationes pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione recitaverint; ſeptem annos, & totidem quadragenas.

„ Octavo. Eiſdem Confratribus, & „ & Sororibus, qui vere pœnitentes, & „ confeſſi Proceſſioni Scapularii nuncupatæ de licentia Ordinarii in una Dominica cujuslibet menſis, a Superioribus dicti Ordinis deſignanda, interfuerint; ſeptem annos, & totidem quadragenas.

„ Nono. Eiſdem Confratribus, & „ Sororibus, qui opera pia, tam ſpiritualia, quam temporalia in remiſſionem peccatorum ſuorum, ac pro Redemtione Captivorum a ſervitute Turcarum, & aliorum infidelium, exercuerint; ſeptem annos, & totidem quadragenas.

„ Decimo. Eiſdem Confratribus, & Sororibus, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, quotidie per annum ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, & in fine ſemel verſiculum *Gloria Patri*, cum verſiculis, reſponſoriis, & orationibus a prædictis Superioribus aſſignatis recitaverint: & pro Captivis apud Turcas detentis, ne Nomen Domini Jeſu Chriſti abnegent, ſed conſtantes in fide perſiſtant, & quanto citius liberentur, oraverint; ſemel quotannis, & quo anni die maluerint, ſeptem annos.

„ Undecimo. Eiſdem Confratribus, & „ Sororibus, qui confeſſi, vel ſaltem firmum propoſitum confitendi habentes, Captivos redemtos proceſſionaliter receperint, & ad Eccleſiam, Cappellam, vel Oratorium dicti Ordinis, vel Confraternitatis comitati fuerint; ſeptem annos, & totidem quadragenas.

„ Duodecimo. Eiſdem Confratribus & „ Sororibus, qui cum lumine, ſi potuerint, vel abſque lumine Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, cum ad infirmos defertur, comitati fuerint; & pro his oraverint; quinque annos, & totidem quadragenas.

„ Decimotertio. Eiſdem Confratribus, „ & Sororibus, quoties defunctorum corpora tam Confratrum, & Sororum, quam aliorum, dum ad ſepulturam deferuntur, comitati fuerint, & pro his oraverint; centum dies.

„ Decimoquarto. Eiſdem Confratribus, „ & Sororibus, qui Miſſis, & aliis Divinis Officiis in Eccleſiis, vel Cappellis, aut Oratoriis prædictæ Confraternitatis celebrari ſolitis, vel Congregationibus publicis, aut privatis ejuſdem interfuerint: vel pauperes hoſpitio ſuſceperint: aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint; toties pro quolibet prædictorum operum centum dies.

„ Su-

„ Supradictæ Indulgentiæ conceſſæ „ fuerunt a felic. record. Paulo V. anno „ MDCVIII. die 6. Auguſti per Breve, „ quod incipit : *Cœleſtes Eccleſiæ Theſauros*. Idem Pontifex anno MDCXX. „ die 6. Novembr. per Breve, quod incipit : *Pias Chriſtifidelium Confraternitates*, ſequentem Indulgentiam Plenariam conceſſit.

„ Decimoquinto. Confratribus, & Sororibus Confraternitatis SS. Trinitatis, & „ Sanctæ Mariæ de Remedio in Eccleſiis „ dicti Ordinis, qui vere pœnitentes, & „ confeſſi, ac Sacra Communione refecti, Proceſſioni in una Dominica cujuslibet menſis in dicti Eccleſiis Ordinis „ fieri ſolitæ interfuerint : & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces „ fuderint; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem.

„ Et quia ad conſequendas Indulgentias, de quibus num. decimo ordinat Summus Pontifex, ut poſt tres Orationes „ Dominicas, & poſt tres Salutationes „ Angelicas, cum verſiculo *Gloria Patri*, „ etiam verſiculi, & nonnulla reſponſoria „ dicantur a Superioribus dicti Ordinis „ aſſignata, poterit dici unum *Salve Regina*.

Indulgentiæ a fel. record. Clemente Papa X. conceſſæ.

„ Confratribus, & Sororibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra „ Communione refectis, qui aliquam ex „ Eccleſiis dicti Ordinis, aut Confraternitatis, vel Oratorium ejuſdem in quibuslibet infraſcriptis diebus devote viſitaverint : & ibi pro Chriſtianorum „ Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pro Captivorum libertate, & eorum in fide perſeverantia pias ad Deum „ preces effuderint : ſcilicet in Nativitatis, & Purificationis, Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, in Sanctorum Michaelis Archangeli, Clementis Papæ & „ Martyris, Inventionis Sanctæ Crucis, „ Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ feſtis „ diebus; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem.

„ Similiter in SS. Joannis de Matha, & „ Felicis de Valois Patrum noſtrorum „ diebus feſtis Eccleſias Ordinis viſitantibus Indulgentiam Plenariam, & omnium peccatorum remiſſionem.

„ Idem Clemens Papa X. Confratribus, & Sororibus Eccleſias Ordinis, aut „ Confraternitatis, vel Cappellas, aut „ Oratoria ejuſdem viſitantibus, Indulgentias Stationum Urbis in Miſſali Romano expreſſarum in diebus earundem „ Stationum conceſſit.

„ Denique Indulgentiæ Plenariæ in „ S. Michaelis Archangeli, S. Clementis „ Papæ & Martyris, Inventionis S. Crucis, ac Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ „ feſtis diebus pridem conceſſæ, modo „ ad alios quatuor : videlicet diem Cinerum, ſecundam Dominicam Octobris, „ S. Catharinæ Virginis & Martyris, & „ Sanctæ Agnetis ſecundo, dies translatæ fuerunt : prout ex Brevi Sanctiſſimi „ Domini Noſtri Innocentii Papæ XI. ſub „ die 14. Decembris MDCLXXVIII. „ expedito conſtat.

Confratrum, & Sororum obligationes.

„ Confratres & Sorores noſtri Habitum, ſeu Scapularium parvulum „ ex lana alba, Cruce rubra, & cœrulea „ munitum, ab aliquo ejuſdem Ordinis „ Superiore benedictum ſumere, & ſuper ſe geſtare debent. Quando vero „ Scapularium ſciſſum erit, ejuſque amiſſa forma, renovatur, eique nova Crux „ apponitur, & de novo benedicitur, „ prout quando novum ſumitur.

„ Ad prædictas Indulgentias conſequendas non tenentur Confratres, & „ Sorores prædicti ad emiſſionem voti, „ carnis abſtinentiam, & jejuniorum obſervantiam ultra ea, quæ ab Eccleſia „ mandantur.

„ Ut eædem Indulgentiæ lucrifiant, „ orationes recitare, & opera a Pontificibus præſcripta exercere neceſſe eſt. „ Diverſæ Indulgentiæ pro diverſis orationibus, & operibus conceduntur. Itaque Confratres, & Sorores quotidie „ quaſdam Indulgentias lucrari facile poterunt; ſi tamen preces recitare, vel

„ ope-

„ opera prædicta exercere omiſerint, non „ peccabunt.

„ Quinque dies benedictionis, & abſolutionis generalis (licet a culpa proprie „ non abſolvatur, juxta declarationem „ fel. record. Clementis VIII.) ſunt feria „ quarta Cinerum, feria quinta Majoris „ Hebdomadæ, S. Catharinæ Virginis & „ Martyris, Sanctiſſimæ Trinitatis, & „ S. Agnetis ſecundo dies feſti. In quibus „ bona & ſuffragia Religionis communi- „ cantur ſolis Confratribus, & Sororibus „ Confraternitatis, qui vere pœnitentes, „ & confeſſi, ac Sacra Communione re- „ fecti, genuflexi hujuſmodi functioni in „ Eccleſiis Ordinis peragendæ interfue- „ rint. Quia vero Confratres, & Sorores „ ſchedulis impreſſis, vel manuſcriptis „ invitari non ſolent, ſuo tempore, & „ debita præparatione convenire procu- „ rent, ut tot bonorum participes fiant. „ Clemens VIII. Conſtit. 85., formam „ vero benedictionis generalis præſcripſit „ Clemens Papa X. prout in Brevi 11. Fe- „ bruarii MDCLXXIII.

„ §. 2. *Die 28. Novemb. MDCLIX. Sa- „ cra Congregatio Summarium hoc a ſe „ recognitum approbavit* = A. Card. Ho- „ modeus. Loco ✠ ſigilli. Michael An- „ gelus Riccius Sacræ Congregationis Se- „ cretarius.

„ §. 3. Cum autem, ſicut eadem ex- „ poſitio ſubjungebat, firmiora ſint, & „ ſerventur exactius illa, quæ Apoſtolicæ „ Sedis prædictæ munimine corroboran- „ tur; Nobis propterea dictus Joſephus „ Procurator Generalis, dilecti etiam „ filii moderni Miniſtri Generalis Ordi- „ nis prædicti nomine humiliter ſuppli- „ cari fecit, ut in præmiſſis opportune „ providere, & ut infra indulgere de be- „ nignitate Apoſtolica dignaremur.

„ §. 4. Nos igitur ipſos Miniſtrum Genera- „ lem, & Joſephum Procuratorem Genera- „ lem ſpecialibus favoribus, & gratiis pro- „ ſequi volentes; & eorum ſingulares per- „ ſonas a quibuſvis excommunicationis, „ ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Ec- „ cleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœ- „ nis a jure, vel ab homine, quavis occa- „ ſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomo- „ dolibet innodatæ exiſtant, ad effectum „ præſentium duntaxat conſequendum, „ harum ſerie abſolventes, & abſolutas „ fore cenſentes; hujuſmodi ſupplicatio- „ nibus inclinati, præinſertum Summa- „ rium Indulgentiarum a memorata Car- „ dinalium Congregatione recognitum, „ & approbatum, ut petitur, auctoritate „ Apoſtolica tenore præſentium appro- „ bamus pariter, & confirmamus, illi- „ que inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis „ robur adiicimus.

„ §. 5. Decernentes, eaſdem præſen- „ tes Literas ſemper firmas, validas, & „ efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque ple- „ narios & integros effectus ſortiri, & ob- „ tinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro „ tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffraga- „ ri: ſicque in præmiſſis per quoſcunque „ Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam „ cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, „ judicari, & definiri debere: ac irritum „ & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam „ quavis auctoritate ſcienter, vel igno- „ ranter contigerit attentari.

„ §. 6. Non obſtantibus Conſtitutioni- „ bus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæ- „ teriſque contrariis quibuſcunque.

„ §. 7. Volumus autem, ut præſentium „ Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, „ etiam impreſſis, manu alicujus Notarii „ publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ „ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ „ munitis, eadem prorſus fides tam in ju- „ dicio, quam extra illud ubique locorum „ habeatur, quæ haberetur ipſis præſen- „ tibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud S. Petrum, ſub „ Annulo Piſcatoris, die 10. Februarii „ MDCLXXX. Pontificatus Noſtri an- „ no quarto.

Annotandum eſt, ſupradictarum Confraternitatum erectionem ubivis locorum fieri poſſe a Miniſtro Generali, & Procuratore Generali Ordinis Obſervantium Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum: ut habetur ex Brevi Pauli V. incipiente: *Cæleſtes Eccleſiæ theſauros*, edito die 6. Auguſti anno MDCVIII. ibi = *Dilecto filio Moderno, & pro tempore exiſtenti Miniſtro Generali, ſeu ejus Generali etiam Procuratori in Romana Curia commoranti, ut hujuſmodi Confraternitates ſub invocatione Redemtionis Captivorum, ubivis locorum erigere, & inſtituere valeant: illiſque omnes ſupradictas Indulgentias* (*ſervata tamen*

men forma Conſtit.Clem.Papæ VIII.Prædeceſſoris Noſtri ſuper dictarum Confraternitatum erectionibus, & aggregationibus editæ) communicare libere & licite poſſit, & valeat; Apoſtolica auctoritate tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus &c. = Quam facultatem extendiſſe Clementem X. ad Miniſtrum Generalem, & Procuratorem Generalem Excalceatorum ejuſdem Ordinis Cong.Hiſpaniæ in Curia Romana exiſtentem, conſtat ex ejus Brevi incipiente: *Alias Nos* edito die 3. Junii anno MDCLXXIII. quo, confirmatis quibuſdam Indulgentiis conceſſis a Paulo V. iiſdem Confraternitatibus, ſubditur = *Omnes & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes, quas per literas præinſertas confirmavimus, ac de novo conceſſimus reſpective, omnibus, & ſingulis Confraternitatibus ſub invocatione ejuſdem Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum per Miniſtros Generales, & in Romana Curia Procuratores Generales dictæ Congregationis Fratrum Diſcalceatorum Hiſpaniæ hactenus cæteroquin canonice erectis, & in futurum quandocunque erigendis, illarumque Confratribus, & Consororibus (ſervata tamen præinſertarum literarum forma, & diſpoſitione) auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & perpetuo conceſſas eſſe, & fore decernimus, & declaramus.*

§. VI.

Breve Innocentii XI. quo confirmatur Summarium Indulgentiarum Confraternitatum Beatæ Mariæ de Mercede Redemtionis Captivorum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

» Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joſephus Linas Procurator Generalis Ordinis Fratrum » Beatæ Mariæ de Mercede Redemtionis Captivorum, quod alias Summarium Indulgentiarum Confraternitatibus ſub titulo ejuſdem Beatæ Mariæ de Mercede Redemtionis Captivorum » in Eccleſiis dicti Ordinis canonice erectis, & erigendis a Sede Apoſtolica conceſſarum confectum, ac a Congregatione Venerablium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitorum recognitum, & approbatum fuit, tenoris qui ſequitur, » videlicet.

§. I. Indulgentiæ conceſſæ Confraternitatibus Beatæ Mariæ de Mercede Redemtionis Captivorum in Eccleſiis Ordinis Beatæ Mariæ erectis, & erigendis.

» Primo. Omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere » pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra » Communione refectis, qui aliquam ex » Confraternitatibus dicti Ordinis ingrediuntur; die primo eorum ingreſſus » Indulgentiam Plenariam, & omnium » peccatorum remiſſionem.

» Secundo. Eiſdem Confratribus, & » Consororibus in cujuslibet mortis articulo, ſi vere pœnitentes, & confeſſi, » ac Sacra Communione refecti, quatenus id commode facere potuerint: vel » ſaltem contriti Nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint; etiam Plenariam omnium peccatorum remiſſionem.

» Tertio. Eiſdem Confratribus, & » Consororibus vere pœnitentibus, & » confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis dicti Ordinis, vel Oratorium earundem Confraternitatum Dominica proximiori » Calendis Auguſti a primis veſperis » uſque ad occaſum Solis Dominicæ hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint; Plenariam etiam omnium peccatorum remiſſionem.

» Quarto. Eiſdem Confratribus, & Consororibus ſimiliter vere pœnitentibus, & » confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui primæ Proceſſioni tempore » publicationis Miſſionis Religioſorum » dicti Ordinis ad Redemtionem Capti- » vo-

„ vorum fieri ſolitæ devote interfuerint:
„ & pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatio-
„ ne, Principum Chriſtianorum unione,
„ concordia, & pace, hæreſum extirpa-
„ tione, infidelium converſione, ac Ro-
„ mani Pontificis ſalute, pias ad Deum
„ preces effuderint; Plenariam etiam om-
„ nium peccatorum remiſſionem.

„ Quinto. Eiſdem Confratribus, &
„ Conſororibus ſimiliter vere pœnitenti-
„ bus, & confeſſis, ac Sacra Communio-
„ ne refectis, qui Proceſſioni Scapularii,
„ ſemel quolibet menſe faciendæ, devo-
„ te interfuerint, & ut præfertur, orave-
„ rint; Plenariam etiam omnium pecca-
„ torum remiſſionem.

„ Sexto. Confratribus, & Conſorori-
„ bus ſupradictis vere pœnitentibus, &
„ confeſſis, ac Sacra Communione refe-
„ ctis, qui ſecundæ Proceſſioni in gratia-
„ rum actionem fieri ſolitæ devote inter-
„ fuerint, & ut ſupra oraverint; Plena-
„ riam etiam omnium peccatorum ſuo-
„ rum remiſſionem.

„ Septimo. Eiſdem Confratribus, &
„ Conſororibus, vere pœnitentibus, &
„ confeſſis, ac Sacra Communione refe-
„ ctis, qui ad partes infidelium, Capti-
„ vos redimendi gratia, ſe tranſtulerint,
„ atque ut ſupra oraverint; Plenariam
„ etiam omnium peccatorum ſuorum In-
„ dulgentiam, & remiſſionem.

„ Octavo. Eiſdem Confratribus, & Con-
„ ſororibus, qui de dictis partibus infi-
„ delium poſt Captivorum Redemtio-
„ nem reverſi fuerint, vere pœnitenti-
„ bus, & confeſsis, ac Sacra Communio-
„ ne refectis, ſi ut ſupra oraverint; Ple-
„ nariam omnium peccatorum ſuorum
„ remiſsionem.

„ Nono. Ipſiſmet Captivis redemtis,
„ qui intra menſem, a die eorum Re-
„ demtionis inchoandum, vere pœni-
„ tentes, & confeſsi, ac eadem Sacra
„ Communione refecti, ut ſupra orave-
„ rint; Plenariam etiam omnium pecca-
„ torum ſuorum remiſsionem.

„ Decimo. Eiſdem Confratribus, &
„ Conſororibus, qui vere pœnitentes, &
„ confeſsi ſemel in quolibet menſe San-
„ ctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum
„ ſumſerint, & habitum dictæ Confra-
„ ternitatis detulerint; ſeptem annos, &
„ totidem quadragenas.

„ Undecimo. Eiſdem Confratribus,
„ & Conſororibus, qui vere pœnitentes,
„ & confeſſi in Domini Noſtri Jeſu Chri-
„ ſti feſtis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sa-
„ cramentum ſumſerint, & habitum ſu-
„ pradictum detulerint; ſeptem annos,
„ & totidem quadragenas.

„ Duodecimo. Eiſdem Confratribus,
„ & Conſororibus, qui vere pœnitentes,
„ & confeſſi in B. Mariæ Virginis feſtivi-
„ tatibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sa-
„ cramentum ſumſerint, & habitum ſu-
„ pradictum detulerint; ſeptem annos,
„ & totidem quadragenas.

„ Decimotertio. Eiſdem Confratribus,
„ & Conſororibus, qui vere pœnitentes,
„ & confeſſi, in Sanctorum Ordinis Bea-
„ tæ Mariæ de Mercede feſtis diebus
„ Sanctiſſimum Sacramentum Euchari-
„ ſtiæ ſumſerint, & ſupradictum habi-
„ tum detulerint; ſeptem annos, & toti-
„ dem quadragenas.

„ Decimoquarto. Eiſdem Confratri-
„ bus, & Conſororibus, qui ſingulis die-
„ bus per annum integrum ter Oratio-
„ nem Dominicam, & toties Salutatio-
„ nem Angelicam, vel Symbolum Apo-
„ ſtolorum, ad Captivis Chriſtianis pa-
„ tientiam, & fortitudinem impetran-
„ dam, ne Nomen Domini Noſtri Jeſu
„ Chriſti negent, ſed conſtanter in fide
„ perſiſtant, & quam citius liberentur,
„ recitaverint; ſeptem annos, & toti-
„ dem quadragenas.

„ Decimoquinto. Eiſdem Confratri-
„ bus, & Conſororibus, qui confeſſi, vel
„ ſaltem firmum propoſitum confitendi
„ habuerint, & habitum ſupradictum de-
„ tulerint: ac ſingulis diebus ſepties Ora-
„ tionem Dominicam, & toties Saluta-
„ tionem Angelicam ad gloriam, & ho-
„ norem Beatæ Mariæ Virginis Dei Ma-
„ tris recitaverint; ſeptem annos, & to-
„ tidem quadragenas.

„ Decimoſexto. Eiſdem Confratribus,
„ & Conſororibus vere pœnitentibus, &
„ confeſſis, qui ſupradictum habitum de-
„ tulerint, & Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacra-
„ mentum ad infirmos deferendum comi-
„ tati fuerint: aut ſi impediti illud comi-
„ tari non potuerint, campanæ ad hoc ſi-
„ gno dato, flexis genibus ſepties Ora-
„ tionem Dominicam, & toties Saluta-
„ tionem Angelicam pro dicto infirmo

„ re-

Digitized by Google

„ recitaverint; ſeptem annos, & totidem „ quadragenas.

„ Decimoſeptimo. Eiſdem Confratri„ bus, & Conſororibus, qui confeſſi, vel „ ſaltem firmum propoſitum confitendi „ habentes, ſupradictum habitum detu„ lerint: & pauperes Captivos redemtos „ hoſpitio ſuſceperint; ſeptem annos, & „ totidem quadragenas.

„ Decimo octavo. Eiſdem Confratri„ bus, & Conſororibus, qui confeſſi, vel „ firmum propoſitum confitendi haben„ tes ſimiliter ſupradictum habitum defe„ rentes, ſupradictos Captivos redemtos „ ad Eccleſias dicti Ordinis, vel ad Ora„ toria Confraternitatum locorum habi„ tationis dictorum Captivorum comi„ tati fuerint; ſeptem annos, & totidem „ quadragenas.

„ Decimonono. Eiſdem Confratribus, „ & Conſororibus, qui in vigiliis feſto„ rum Domini Noſtri Jeſu Chriſti jejuna„ verint; tres annos, & tres quadrage„ nas.

„ Vigeſimo. Eiſdem Confratribus, & „ Conſororibus, qui in vigiliis feſtivita„ tum Beatæ Mariæ Virginis Dei Matris „ jejunaverint; tres annos, & tres qua„ dragenas.

„ Vigeſimo primo. Eiſdem Confra„ tribus, & Conſororibus, qui in vigi„ liis Sanctorum Ordinis B. Mariæ Vir„ ginis de Mercede jejunaverint; tres an„ nos, & totidem quadragenas.

„ Vigeſimo ſecundo. Eiſdem Confra„ tribus, & Conſororibus, qui ſingulis „ ſextis feriis, & Sabbatis cujuslibet heb„ domadæ ad gloriam, & honorem Dei, „ ac B. Mariæ Virginis jejunaverint; tres „ annos, & totidem quadragenas.

„ Vigeſimo tertio. Eiſdem Confratri„ bus, & Conſororibus, qui ſepeliendis „ mortuis officioſe interfuerint; tres an„ nos, & totidem quadragenas.

„ Vigeſimo quarto. Eiſdem Confra„ tribus, & Conſororibus, qui Miſſis, & „ & aliis divinis Officiis in Eccleſiis, ſeu „ Cappelis dicti Ordinis, vel ejuſdem „ Confraternitatis, more Confratrum „ celebrandis devote interfuerint; tres „ annos, & totidem quadragenas.

„ Vigeſimo quinto. Eiſdem Confra„ tribus, & Conſororibus, qui Congre„ gationibus publicis, vel privatis pro „ quocunque opere pio faciendo devote „ interfuerint; tres annos, & totidem „ quadragenas.

„ Vigeſimo ſexto. Eiſdem Confratri„ bus, & Conſororibus, qui pauperes „ peregrinos, vel Fratres dicti Ordinis „ hoſpitio ſuſceperint; tres annos, & to„ tidem quadragenas.

„ Vigeſimo ſeptimo. Eiſdem Confra„ tribus, & Conſororibus, qui pacem in„ ter inimicos proprios, vel alienos com„ poſuerint; tres annos, & totidem qua„ dragenas.

Vigeſimo octavo. Eiſdem Confratri„ bus, & Conſororibus, qui devium ali„ quem ad viam ſalutis reduxerint; tres „ annos, & totidem quadragenas.

„ Vigeſimo nono. Eiſdem Confratri„ bus, & Conſororibus, qui ignorantes „ præcepta Dei, & ea, quæ ad ſalutem „ ſunt, docuerint; tres annos, & totidem „ quadragenas.

„ Trigeſimo. Eiſdem Confratribus, & „ Conſororibus, qui quinquies Oratio„ nem Dominicam, & toties Salutatio„ nem Angelicam pro animabus Confra„ trum defunctorum recitaverint; tres „ annos, & totidem quadragenas.

„ Trigeſimo primo. Eiſdem Confra„ tribus, & Conſororibus, qui pauperes „ Virgines de proprio in matrimonium „ collocaverint, & non de aliquo legato „ pio ad id relicto, vel relinquendo; „ tres annos, & totidem quadragenas.

„ Trigeſimo ſecundo. Eiſdem Confra„ tribus, & Conſororibus, Sua Sancti„ tas ſupradictas Indulgentias, & pecca„ torum remiſſiones, per modum ſuffra„ gii pro animabus defunctorum appli„ cari poſſe indulſit.

„ Die feſto Sancti Antonii Abbatis „ 17. Januarii, quo die a Sancta Sede „ fuit facta confirmatio dicti Ordinis: „ prima die Quadrageſimæ, ideſt feria „ quarta Cinerum: die feſto S. Petri „ Nolaſco Fundatoris dicti Ordinis: die „ feſto S. Laurentii Martyris 10. Augu„ ſti, quo fundatus fuit dictus Ordo ex „ revelatione Beatæ Mariæ Virginis anno „ MCCXVIII. Die feſto S. Catharinæ Vir„ ginis & Martyris 25. Novembris; ora„ tionum, jejuniorum, Miſſarum, alio„ rumque bonorum operum, quæ in di„ cto Ordine fiunt, communicatione par-

„ ticipes erunt ſoli Confratres, & Conſorores dictæ Confraternitatis, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, functioni quam vocant Benedictionem, & Generalem Abſolutionem (licet a culpa non fiat propria abſolutio, ut Clem. VIII. declaravit) in Eccleſiis dicti Ordinis faciendæ, non in aliis, præſentes repeⁿriantur: & quia dictus Ordo populum cum Scripturis manuſcriptis, vel impreſſis invitare non ſolet Confratres, & Conſorores, eo debito tempore conveniant cum debita præparatione, ut tanti boni particeps fiant. Clem. VIII. Conſtitutione 79. & 85. quæ conceſſio confirmata fuit a Sanctæ memoriæ Clemen. X. prout conſtat per Breve ſub datum Rom. apud Sanctam M. Majorem die 10. menſis Maii MDCLXXIII. Pontificatus ejuſdem anno quarto, quod incipit: *Ex injuncto Nobis &c.*

Indulgentiæ conceſſæ a Sanctiſſimo D.N. Clemente X. omnibus Chriſtifidelibus.

„ Clemens Papa X. omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, & Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis ſupradicti Ordinis a primis veſperis uſque ad occaſum Solis infraſcriptorum feſtorum devote viſitaverint: & ibi pro Sanctæ Fidei Catholicæ exaltatione, hæreſum extirpatione, ac inter Principes Chriſtianos concordia pias ad Deum preces effuderint; Indulgentiam Plenariam perpetuam in diebus feſtis ſequentibus conceſſit.

„ Die feſto Sancti Petri Nolaſco dicti Ordinis Fundatoris 31. Januarii; Indulgentiam Plenariam, & omnium peccatorum remiſſionem.

„ Die feſto S. Joſephi Beatæ M. Virginis Sponſi 19. Martii; Plenariam &c.

„ Die feſto Apparitionis Sancti Michaelis Archangeli 8. Maii, quo die reformatus fuit dictus Ordo anno MDCIII. Plenariam &c.

„ Die feſto B. Mariæ de Mercede Dominica proximiori Calendis Auguſti celebrari ſolito in memoriam apparitionis B. Mariæ Virginis Sancto Petro Nolaſco, & Sancto Raymundo de Pennafort, ac Regi Aragoniæ Jacobo I. hujus nominis: inſinuando fundationem dicti Ordinis, ſub ſua invocatione ad Redemtionem Captivorum Chriſtianorum; Plenariam &c.

„ Die feſto Sancti Raymundi Nonnati dicti Ordinis Profeſſoris, & S.R.E. Cardinalis Diac. 31. Auguſti; Plenariam &c. prout latius ex Brevi ſub dat. Romæ die 20. Decem. MDCLXXIII. anno quarto.

„ §. 2. *Hoc Summarium Indulgentiarum, Procuratore Generali Ordinis inſtante, fuit a Sac. Congregatione recognitum, & approbatum Rom. die 22. Nov. MDCLXXVIII.* A. Card. Homodeus. Loco ✠ Sigilli. Michael Angelus Riccius Secretarius.

„ §. 3. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præfatus Joſeph Procurator Generalis hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret; Nos ipſius Joſephi Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes; eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium Conſilio præinſertum Summarium Indulgentiarum authoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

„ §. 4. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari: ſicque in præmiſſis per quoſ-

„ cun-

„ cunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

„ §. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

„ §. 6. Volumus autem, ut præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus literis, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Decembris MDCLXXVIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

Annotandum eſt 1.° Confraternitatum ejuſmodi erectionem, earumque propriæ Archiconfraternitati cum Indulgentiarum communicatione aggregationem ſpectare ad Magiſtrum Generalem antiquæ Obſervantiæ, ad Vicarium Generalem Familiæ Reformatæ, necnon Procuratores Generales utriuſque Familiæ Ordinis B. Virginis de Mercede Redemtionis Captivorum: ut habetur ex Brevi Clementis IX. incipiente: *in Supereminentis*, edito die 7. Septembris MDCLXVIII. his verbis = *Ipſius Ordinis Magiſtro, & Familiæ reformatæ præfatæ Vicario, necnon ambarum Familiarum hujuſmodi Procuratoribus Generalibus, nunc & pro tempore exiſtentibus, ut utriuſque ſexus Confraternitates tam ſub præfatæ Beatæ Mariæ de Mercede, quam alia quacunque invocatione, & denominatione ubivis locorum erigere, & inſtituere; illaſque ſic erectas, & inſtitutas illius Archiconfraternitati (ſervata tamen forma Conſtitutionis felic. record. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri ſupra dictarum Confraternitatum erectionibus & aggregationibus editæ) aggregare poſſint & valeant; eadem authoritate, etiam perpetuo earundem tenore præſentium indulgemus.*

Annotandum eſt 2.° Ordinem prædictum in functione Benedictionis, & Generalis Abſolutionis in Eccleſiis certis diebus facienda (idem dic de Ordine SS. Trinitatis ob ejuſmodi privilegium intuitu inſtituti redimendi Captivos eidem a Sede Apoſtolica conceſſum) non poſſe modo adhibere formulam a Clem. VIII. Conſtit. incipiente: *Cum ad uberes*, edita die 9. Julii anno MDCII., præſcriptam hiſque terminis expreſſam. = *Concedimus vobis Fratribus facultatem, ex auctoritate nobis a Pontificibus Romanis indulta, ut conſequi poſſitis omnes & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, noſtræ hujuſmodi Sacræ Religioni conceſſas, juxta privilegiorum tenores ab eadem Sede Apoſtolica obtentorum: & inquantum veſtra expetit oratio, & ad nos pertinet juriſdictio; ſit vobis Omnipotens Deus indultor omnium criminum veſtrorum: deleat atque dimittat omnia peccata veſtra Dominus Noſter Jeſus Chriſtus: qui cum Patre, & Spiritu Sancto, vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum Amen* = Cum enim Indulgentias omnium Ordinum Regularium, eorumque Confraternitatum Paulus V. revocaverit, novaſque conceſſerit (ut fuſe dictum eſt *cap. 1. & 2. hujus ſecundæ partis*) alias Regularibus tantum, alias Confraternitatibus per Ordinum Superiores in erectionibus communicandas: quarum illæ modo Confratribus non conveniunt, hæ vero ſemel communicatæ perpetuæ ſunt: ita ut fruſtra quotannis renoventur; idcirco Clemens X. Brevi incipiente: *Ex injuncto*, citato in Summario: veterem formulam ex communicatione in precationem, & orationem commutavit his verbis exprimendam = *Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum humiliter deprecamur, ut gratiæ ſuæ lumine illabatur cordibus veſtris: vobiſque benigne concedat omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequi, quas Summi Pontifices Ordini Noſtro, cum ſpecifica facultate eas Confraternitatibus Noſtris communicandi, conceſſerunt juxta privilegiorum Apoſtolicorum tenorem, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Decretorum diſpoſitionem. Miſereatur veſtri Omnipotens Deus, & dimittat vobis peccata veſtra, liberet*

ret vos ab omni malo, confirmet, & conſervet in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam. Qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Annotandum eſt 3.° Innocentium XI. poſt approbatum ſupradictum Summarium, Brevi incipiente: *Commiſſæ Nobis* edito die 12. Febr. anno MDCLXXXVIII. conceſſiſſe ad decennium Confratribus, & Conſororibus Ordinis B. M. V. de Mercede Redemtionis Captivorum, qui Eccleſias dicti Ordinis, aut ſuarum reſpective Confraternitatum in diebus Stationum Eccleſiarum Almæ Urbis, prout in Miſſali Romano exprimuntur, devote viſitaverint, & ibi &c., ut omnes & ſingulas Indulgentias acquirerent, quas conſequerentur, ſi eaſdem Eccleſias Urbis ad id deputatas in diebus Stationum hujuſmodi perſonaliter viſitarent: eandemque conceſſionem poſtea confirmaſſe, & ampliaſſe in perpetuum Alexandrum VIII. Brevi, cujus initium eſt: *Alias per fel. rec. Innocentium Papam XI.* edito die 15. April. MDCXC. ibi = *Nos ad peramplius augendam eorundem Confratrum, & Conſororum Religionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauri pia charitate intenti; ac aliquod paternæ noſtræ erga Ordinem præfatum, cujus Nos dum Cardinalatus honore fungebamur, Protectores Apoſtolica authoritate eramus, benevolentiæ monumentum extare cupientes ..... conceſſionem Indulgentiarum, & peccatorum remiſſionum, ac pœnitentiarum relaxationum Confratribus, & Conſororibus ſupradictis ad decennium factam, ut præfertur, in perpetuum, (ſervata cæteroquin earundem Innocentii Prædeceſſoris literarum forma, & diſpoſitione) authoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus; & ampliamus &c.*

Annotandum eſt 4.° Benedictionem Generalem dandam ſupradictis Confratribus in feſto S. Catharinæ Virginis & Martyris, de qua fit mentio in Summario, a Sede Apoſtolica poſtea ad feriam quintam in Cœna Domini fuiſſe translatam: ut habetur ex Brevi Innocentii XII. incipiente: *Dudum*, edito die 28. Januarii anno MDCXCV.

§. VII.

Summarium Indulgentiarum, gratiarum, & privilegiorum in perpetuum conceſſorum a Summis Pontificibus Archiconfraternitati Sacræ Chordæ S. Franciſci, *& Confraternitatibus eidem aggregatis: necnon aliarum Indulgentiarum, quæ extenduntur ad omnes Chriſtifideles.*

„ 1. Felic. rec. Paulus V., revocatis omnibus aliis Archiconfraternitatis Indulgentiis, ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti dictam Societatem ingredientur, & ſuſceperint in memoriam S. Patris Franciſci *Chordam* benedictam a Superioribus Ordinis Minorum Conventualium; primo die eorum ingreſſus Indulgentiam Plenariam conceſſit.

„ 2. Indulgentiam etiam Plenariam Confratribus, & Conſororibus ejuſdem Societatis tam deſcriptis, quam deſcribendis; qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti Eccleſiam, aut Oratorium Societatis in feſto principali ejuſdem Archiconfraternitatis a primis veſperis uſque ad occaſum Solis devote viſitaverint: ibique pro concordia Principum Chriſtianorum, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione preces ad Deum fuderint.

„ 3. Inſuper conceſſit Indulgentiam Plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum eiſdem Confratribus, & Conſororibus, qui in articulo mortis, vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti; vel quatenus id facere non potuerint, ſaltem vere contriti Sanctiſſimum Nomen Jeſu corde, ſi ore nequiverint, devote invocaverint.

„ 4. Eiſdem pariter Confratribus, „ & Con-

„ & Conſororibus , qui interfuerint „ Proceſſioni fieri ſolitæ ab eadem Con- „ fraternitate ſingulis menſibus ; tres „ annos, & totidem quadragenas Indul- „ gentiæ,

„ 5. Illis etiam ejuſdem Confraterni- „ tatis, qui Officio B. Virginis Mariæ a „ Confratribus ſimul pro tempore reci- „ tando, vel cuilibet alteri Officio inter- „ fuerint; centum dies.

„ 6. Eiſdem Chordigeris, qui Sanctiſ- „ ſimum Sacramentum, quando ad in- „ firmos deferetur, comitati fuerint; „ quinque annos, & totidem quadragenas „ Indulgentiæ.

„ 7. Conceſſit præterea ſeptem annos, „ & totidem quadragenas Indulgentiæ „ omnibus vere pœnitentibus, & confeſ- „ ſis, qui aliquam Eccleſiam Ordinis Mi- „ norum Conventualium a primis veſpe- „ ris uſque ad occaſum Solis in feſtivita- „ tibus S. Antonii Patavini 13. Junii, „ S. Bonaventuræ 14. Julii, S. Ludovici „ Epiſcopi 19. Auguſti, S. Bernardini „ 20. Maii, & S. Claræ 12. Auguſti viſi- „ taverint, & ibi pias ad Deum preces ef- „ fuderint.

„ 8. Similiter eiſdem Confratribus, & „ Conſororibus centum dies de injunctis, „ vel alias quomodolibet debitis pœni- „ tentiis in forma Eccleſiæ conſueta rela- „ xavit, quotieſcunque alicujus Fidelis „ defuncti corpus ad ſepulturam aſſo- „ ciaverint : aut alicui pauperi in ejus „ neceſſitate ſubvenerint : aut pacem „ cum inimicis compoſuerint.

„ 9. Item conceſſit, quod omnes ſu- „ pradictæ Indulgentiæ applicari poſſint „ per modum ſuffragii animabus Fidelium „ Defunctorum.

„ 10. Tandem dedit facultatem Patri „ Generali Minorum Conventualium pro „ tempore exiſtenti erigendi, & inſti- „ tuendi in qualibet Eccleſia ſui Ordinis „ Societates Laicorum utriuſque ſexus „ ſub dicta invocatione *Chordigerorum* „ *S. Franciſci* (ſervata tamen forma „ Conſtitutionum Sixti V. ſub die 19. „ Novembris anno MDLXXXV. & Cle- „ mentis VIII. ſub die 7. Decembris an- „ no MDCVI.) declarando, quod om- „ nes Societates erectæ, & erigendæ, „ poſtquam fuerint erectæ, intelligantur „ aggregatæ Archiconfraternitati S.Fran- „ ciſci Aſſiſien. juxta dictam Conſtitutio- „ nem Sixti V. ut conſtat ex Brevi Pau- „ li V. emanato ſub die 2. Martii MDCVI.

„ 11. Idem Paulus V. alio Brevi ſub „ 15. Junii MDCX., confirmatis Indul- „ gentiis, & gratiis ab ipſo conceſſis in „ ſupradicto Brevi Archiconfraternitati „ *Sacræ Chordæ*, concedit Indulgen- „ tiam Plenariam omnibus Confratribus, „ & Conſororibus dictæ Archiconfrater- „ nitatis, qui vere pœnitentes, & con- „ feſſi, ac Sacra Communione refecti „ devote Eccleſiam Archiconfraternitatis „ viſitaverint die 2. Auguſti a primis „ veſperis uſque ad occaſum Solis: & ibi „ pias, ac devotas ad Deum preces effu- „ derint pro Chriſtianorum Principum „ concordia, hæreſum extirpatione, „ & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione.

„ 12. Eandem conceſſionem extendit „ ad omnes alias Confraternitates *Chor-* „ *digerorum*, quæ juxta Clement. VIII. „ Conſtitutionem fuerunt erectæ, & ag- „ gregatæ ſupradictæ Archiconfraternitati „ uſque ad diem dictæ conceſſionis citra „ aliam communicationem ; ita tamen, „ ut Confraternitatibus canonice erigen- „ dis, & aggregandis debeant hæc & „ aliæ Indulgentiæ Archiconfraternitati „ conceſſæ communicari juxta ſupradi- „ ctam Conſtitutionem Clementis VIII.

„ 13. Gregorius XV. ſuo Brevi 17. Se- „ ptembris MDCXXII. concedit Con- „ fratribus, & Conſororibus dictæ Ar- „ chiconfraternitatis *Sacræ Chordæ*, „ quod gaudere poſſint omnibus Indul- „ gentiis, remiſſionibus peccatorum, pœ- „ nitentiarum relaxationibus, quæ tan- „ quam Regularibus conceduntur Fratri- „ bus Minoribus Conventualibus.

„ 14. Confratribus, & Conſorori- „ bus, qui propter paupertatem, diſtan- „ tiam, infirmitatem, aut aliud legiti- „ mum impedimentum non poſſunt quo- „ tidie viſitare Eccleſias, quas tenentur „ Confratres prædicti viſitare ad aquiren- „ das eaſdem Indulgentias; conceſſit, ut „ recitando quinquies *Pater* & *Ave* cum „ *Gloria Patri* in honorem quinque Vul- „ nerum Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & „ S. Franciſci, eaſdem conſequantur In- „ dulgentias, perinde ac dictas Eccleſias „ perſonaliter viſitarent.

„ 15. Ultimo dictis Confratribus, &

„ Con-

„ Confororibus concedit, ut omnes Indulgentiæ ab ipſo ſupra expreſſæ, peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes, etiam illæ, quas acquirunt viſitantes Eccleſias Conventuum Ordinis Minorum Conventualium die 2. Auguſti, videlicet in feſto S. Mariæ Angelorum, alias *de Portiuncula* nuncupatæ; poſſint applicari per modum ſuffragii animabus in Purgatorio exiſtentibus.

„ 16. Declarat, quod omnes *Chordigerorum* Confraternitates uſque tunc erectæ, inſtitutæ, & aggregatæ dictæ Archiconfraternitati juxta Conſtitutionem Clementis VIII. poſſint gaudere his ſuis gratiis citra aliam communicationem, conceſſionem, vel indultum: & quod in futurum legitime erigendis, inſtituendis, & aggregandis juxta dictam Clementis VIII. Conſtitutionem poſſint ab Archiconfraternitate communicari, ſicuti Indulgentiæ a Paulo V. conceſſæ; ſervata tamen forma ſupradictæ Conſtitutionis.

„ 17. Clemens X. ſuo Brevi 3. Octobris MDCLXX. omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus conceſſit Indulgentiam Plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum in perpetuum, ſi vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti unam ex Eccleſiis Minorum Conventualium a primis veſperis uſque ad occaſum Solis die 2. Auguſti viſitaverint: ibique devote oraverint pro Principum Chriſtianorum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione. Quam poſtea Alexander VIII. conceſſit applicabilem per modum ſuffragii animabus Purgatorii, Brevi edito die 10. Januarii MDCXC.

„ 18. Sanctæ memoriæ Innocentius XI. Indulgentiam Plenariam perpetuam, & remiſſionem omnium peccatorum conceſſit *Chordigeris*, qui Proceſſioni interfuerint fieri ſolitæ a Confraternitate in una ex Dominicis cujuslibet menſis; ſi vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti preces ad Deum effuderint pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione: ut habetur ex Brevi edito die 16. Auguſti MDCLXXX.

„ 19. Et in alio eodem tempore emanato Plenariam ſimiliter Indulgentiam perpetuam, & peccatorum remiſſionem omnibus, & ſingulis Ordinis Minorum Conventualium S.Franciſci, Cappuccinorum, & Obſervantium tam Fratribus, quam Monialibus, & omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti diebus feſtis SS. Franciſci, Antonii Patavini, Bonaventuræ, Ludovici Epiſcopi & Confeſſoris, ac Bernardini unam ex Eccleſiis prædictorum Ordinum viſitaverint: & in feſto S.Claræ unam ex Eccleſiis Monialium dicti Ordinis a primis veſperis uſque ad occaſum Solis, ac ibi devote oraverint ut ſupra.

Sequuntur Indulgentiæ Regularibus conceſſæ a Paulo V. ſub die 23. Maii MDCVI. quibus poterunt gaudere Chordigeri juxta ſupradictam Gregorii XV. conceſſionem.

„ 20. Regularibus qui propriam Eccleſiam devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione preces ad Deum effuderint; concedit eaſdem Indulgentias quas viſitantes Eccleſias Urbis, & extra eam diebus Stationum conſequuntur. Et *Chordigeri* viſitantes ſuam Cappellam in Eccleſia Ordinis, ubi Confraternitas eſt erecta, & orantes ut ſupra, eaſdem aſſequentur Indulgentias.

„ 21. Omnibus Regularibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante Altare eorum Eccleſiæ in quolibet die recitaverint; quinque annos & totidem quadragenas Indulgentiæ. Et hanc Indulgentiam aſſequentur *Chordigeri* ſi ante eorum Altare, aut Cappellam oraverint ut ſupra.

22. „ Quod ſi dicti Confratres propter paupertatem, diſtantiam, infirmitatem, vel aliud legitimum impedimentum viſitare nequeunt dictam Cappellam, recitantes quinquies *Pater* & *Ave* cum *Gloria Patri* in honorem quinque

„ Vul-

» Vulnerum Domini Noſtri Jeſu Chriſti,
» & S.Patris Franciſci Indulgentiam aſſe-
» quentur, perinde ac eis perſonaliter vi-
» ſitarent: ex conceſſione Greg. XV. Bre-
» vi ſupracitato, *n.* 13. *&* 14. Adverten-
» dum tamen eſt, quod hæc quinque *Pa-*
» *ter* & *Ave* diſtincta ſunt ab aliis ſex, quæ
» qualibet die recitare debent Confratres,
» ut gaudeant Indulgentiis, & privilegiis
» generaliter conceſſis ejuſmodi Confra-
» ternitatibus.

» 23. Omnibus Regularibus, qui per
» integrum menſem ſpatio mediæ horæ
» Orationem mentalem fecerint, & confeſſi
» ac Sacra Communione ultima Domini-
» ca menſis hujuſmodi refecti fuerint; ſe-
» xaginta annos, & totidem quadragenas:
» quas Indulgentias aſſequentur pariter
» *Chordigeri* Orationi mentali, Confeſ-
» ſioni, & Sacræ Communioni vacantes
» ut ſupra.

» 24. Eiſdem Regularibus, qui ſaltem
» duarum horarum ſpatio, diverſo tem-
» pore, confeſſi, & Sacra Communione
» refecti, aut poſt Miſſam celebratam
» Orationi quadraginta horarum ab eo-
» rum Superioribus ordinatæ in viſita-
» tionibus generalibus pro bono viſita-
» tionis progreſſu interfuerint: & ibi
» pro Chriſtianorum Principum concor-
» dia, hæreſum extirpatione, Summi
» Pontificis ſalute, Sanctæ Matris Eccle-
» ſiæ exaltatione, necnon diſciplinæ &
» obſervantiæ regularis augmento, pias
» ad Deum preces effuderint; Plenariam
» Indulgentiam, ac remiſſionem omnium
» peccatorum: quæ pariter *Chordigeris*
» adaptabitur.

» *Die* 14. *Januarii MDCLXXXI.*
» *Sacra Congregatio Summarium hoc*
» *Indulgentiarum a ſe recognitum,*
» *cenſuit imprimi poſſe, atque ubique*
» *promulgari.* = A Card. Homodeus.
» Loco ✠ Sigilli. Michael Angelus Ric-
» cius Sac. Congr. Secretarius.

Annotandum eſt 1.° Archiconfraternitatem Chriſtifidelium utriuſque ſexus, qui *Chordam* per Fratres Ordinis S. Franciſci geri ſolitam ex devotione deferunt ſub invocatione ejuſdem S. Franciſci, Sixti V. authoritate fuiſſe inſtitutam in Altari Majori Eccleſiæ Fratrum Ordinis Minorum Conventualium Aſſiſien., conceſſa facultate Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum Conventualium erigendi, & inſtituendi in qualibet Eccleſia tum Conventualium, tum Cappuccinorum, tum Obſervantium Confraternitates ejuſmodi, eaſque prædictæ Archiconfraternitati aggregandi: ut habetur ex Brevi laudati Pontificis incipiente: *Ex ſupernæ*, edito die 19. Novembris anno MDLXXXV. = *Motu proprio non ad alicujus Nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de Noſtra mera liberalitate, & certa ſcientia in Eccleſia domus, & ad Altare hujuſmodi, unam Archiconfraternitatem utriuſque ſexus Chriſtifidelium, qui Chordam per ejuſdem Ordinis Fratres geri ſolitam ex illorum devotione deferant, ac illa cingantur ſub invocatione ejuſdem S. Franciſci; Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuo erigimus, & inſtituimus &c. Dilecto filio Fratri Clementi Bontadoſio nunc & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Generali Magiſtro Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, quaſcunque Confraternitates utriuſque ſexus Chriſtifidelium Chordigerorum hujuſmodi in quibuſcunque Eccleſiis, domorum tam Minorum Conventualium, quam Cappuccinorum, & de Obſervantia nuncupatorum Fratrum prædictorum, in quibuſcunque Mundi partibus, & locis pro tempore erigendis, & inſtituendis, erigendi, & inſtituendi: illaſque, poſtquam erectæ, & inſtitutæ, cum omnibus & ſingulis Indulgentiis &c. plenam, liberam, & omnimodam facultatem & authoritatem damus & concedimus* = Quam facultatem extendit Benedict. XIII. in Brevi incipiente: *Sacroſancti Apoſtolatus Miniſterium*, edito die 30. Septembris anno MDCCXXIV. ad earundem Confraternitatum erectionem etiam in Eccleſiis ſæcularibus.

Annotandum eſt 2.° poſt emanatum dictum Breve Miniſtrum Generalem, & Commiſſarium Generalem Fratrum Minorum Obſervantium obtinuiſſe pariter ab eodem Sixto indultum in propriis Eccleſiis, ubi non ſunt Fratres Minores Conventuales, dictas Confraternitates erigendi: ut conſtat ex Brevi Pauli V. incipiente: *Nuper*, edito die 25. Septembris anno MDCVII. ibi = *Cum ex conceſſione fel. record.*

Sixti Papæ V. Prædeceſſoris Noſtri dilectis filiis Miniſtro Generali, & Commiſſario Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia in Eccleſiis eorum Ordinis, in locis videlicet, in quibus Eccleſiæ vel Conventus Fratrum Conventualium non exiſterent, hujuſmodi Confraternitatem Chordigerorum erigendi, & inſtituendi facultas impartita fuerit &c. = Idque tandem extenſum fuit a Sede Apoſtolica ad Fratres Tertii Ordinis Sancti Franciſci in propriis Eccleſiis, in locis ubi non ſunt Minores Conventuales & Obſervantes. Cunctæ tamen ejuſmodi Confraternitates ſupradictæ Archiconfraternitati aggregandæ ſunt.

Annotandum eſt 3.° Omnes *Chordigerorum* Confraternitates, de quarum canonica erectione non apparet, nec novas communicationis Indulgentiarum literas juxta formam a Clemente VIII. Conſtitutione incipiente: *Quæcunque* ſtatutam obtinuerunt, validas eſſe propter Breve Innocentii XIII. cujus initium eſt: *Exponi Nobis*, editum die 12. Junii anno MDCCXXIII.

§. VIII.

Breve Innocentii XI., quo confirmatur Summarium Indulgentiarum, & facultatum Confraternitatum Servorum, *ſive* Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

„ EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius Generalis, & Procurator Generalis Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis, quod cum nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri quaſdam Indulgentias, ſeu peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes Confratribus, & Confororibus Confraternitatis ſub titulo Servorum, ſive Septem Dolorum ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis erectæ, & inſtitutæ ſub certis, modo, & forma tunc expreſſis conceſſerint: ac Priori Generali, eoque abſente, Vicario Generali dicti Ordinis ſimiles Confraternitates erigendi, & inſtituendi: illiſque Indulgentias, ſeu peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes hujuſmodi communicandi facultatem tribuerint; Summarium earundem Indulgentiarum, aliarumque gratiarum confectum, ac de mandato Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitæ, a quodam ipſius Congregationis Conſultore cum Originalibus literis Apoſtolicis conceſſionum hujuſmodi collatum, & recognitum fuit tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Indulgenze della Compagnia di Santa Maria de' Servi, detta de' Sette Dolori.

„ PRimo. La S.M. di Paolo V. rivocando tutte l' Indulgenze conceſſe da' ſuoi Predeceſſori, concede ad ogni Fedele Criſtiano dell'uno, e dell' altro ſeſſo, che pigliarà il ſolito Abito della Beata Vergine de' Servi, ed entrarà nella predetta Confraternita; nel primo giorno del ſuo ingreſſo, ſe veramente pentito, e confeſſato ſi communicarà, Indulgenza Plenaria.

„ Secondo. Alli Confratelli, e Sorelle di detta Confraternita, che nel giorno della Feſta principale di detta Confraternita dalli primi veſpri fino al tramontar del Sole veramente pentiti, confeſſati, e comunicati divotamente viſitaranno la Chieſa, dove è eretta detta Confraternita: ed ivi pregaranno Iddio con divote Orazioni per la concordia de' Principi Criſtiani, eſtirpazione dell' ereſie, ed eſaltazione di S. M. Chieſa; Indulgenza Plenaria.

„ Terzo. In articolo di morte alli detti Confratelli, e Conſorelle, che pentiti, confeſſati, e comunicati: o non potendo ciò fare, almeno veramente pentiti invocaranno il Nome di Gesù con la bocca ſe potranno, o col cuore;

„ In-

„ Indulgenza Plenaria, e remiſſione di „ tutti i peccati.

„ Quarto. Inoltre alli Fratelli, e Conſorelle parimente pentiti, confeſſati, „ e comunicati, che ſimilmente viſitaranno la Chieſa, Cappella, ovvero Oratorio della detta Confraternita nelle „ Feſte della Natività, Annunciazione, „ Purificazione, ed Aſſunzione della Beata Vergine da' primi veſpri ſino „ al tramontar del Sole di dette Feſte, e pregaranno Iddio come ſopra; ſette anni, e ſette quarantene.

„ Quinto. A quelli, che interverranno „ alla Proceſſione da farſi per detta Confraternita in una Domenica del meſe „ con licenza dell'Ordinario, ſe ſaranno „ pentiti, confeſſati, e comunicati come „ ſopra; tre anni, e tante quarantene.

„ Seſto. A quelli, che ogni Venerdì in „ memoria, ed onore della Paſſione di „ Gesù Criſto Signor Noſtro recitaranno „ cinque *Pater noſter*, e cinque *Ave Maria*, pregando Iddio per l'eſaltazione di „ S. Madre Chieſa, ſe nel medeſimo giorno ſi ſaranno confeſſati, e comunicati; ſette anni, e tante quarantene.

„ Settimo. A quelli, che accompagnaranno il Santiſſimo Sagramento dell'Eucariſtia agl' infermi, pregando Iddio „ per la loro ſalute; ogni volta cinque „ anni, e tante quarantene.

„ Ottavo. A quelli, che inſieme recitaranno l'Offizio della Beatiſſima Vergine nella Chieſa, ovvero Oratorio di „ detta Confraternita; cento giorni d'Indulgenza.

„ Nono. A' predetti Confratelli, e Conſorelle, che ſaranno preſenti, ed interverranno ciaſcun Sabbato doppo veſpro „ al canto della *Salve Regina*, o Litanie „ di Maria Vergine: ovvero nell'iſteſſo „ giorno diranno ſette *Pater noſter*, e „ ſette *Ave Maria* in onore de' ſette Dolori di Maria Vergine: ovvero interverranno alle Meſſe, ed altri divini „ Offizj da celebrarſi, e recitarſi da' detti „ Confratelli nella Chieſa, o Oratorio „ di detta Compagnia: o interverranno „ alle Congregazioni publiche, o private di detta Confraternita in qualſivoglia luogo ſi faranno: ovvero accompagnaranno o i corpi de' loro defonti „ Confratelli, o di qualunque altro alla „ ſepoltura: ovvero faranno qualunque „ altra opera pia, o caritatevole; ogni „ volta ſeſſanta giorni d' Indulgenza.

„ Decimo. Con facoltà al Padre Generale dell'Ordine de' Servi *pro tempore* „ di poter erigere, ed iſtituire dette „ Compagnie de' Laici dell' uno, e dell' „ altro ſeſſo nelle Chieſe dell' Ordine, „ dove ſia Convento almeno di ſei, o cinque Frati profeſſi Sacerdoti del ſuo Ordine con licenza, e conſenſo dell'Ordinario del luogo: e di communicare loro „ tutte le ſopradette Indulgenze, e grazie ſpirituali; ſervata la forma della „ Coſtituzione di Clemente VIII. *Quæcunque &c.* Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris 14. Februarii MDCVII.

„ Undecimo. L'iſteſſo Pontefice concede Indulgenza Plenaria, e remiſſione di tutti i peccati alli Fratelli, e Sorelle delle dette Confraternite canonicamente erette nelle Chieſe dell'Ordine, che interverranno divotamente alla „ Proceſſione ſolenne ſolita farſi dalle „ Confraternite ogni terza Domenica del „ meſe nelle Chieſe ſudette, veramente „ pentiti, confeſſati, e comunicati pregando per la concordia de' Principi Criſtiani, eſtirpazione dell'ereſie, ed eſaltazione di S. Madre Chieſa. Datum „ Romæ die 10. Martii MDCXI.

„ Duodecimo. Perche non in tutti i „ luoghi è ſolito farſi detta Proceſſione „ nella terza Domenica del meſe; l'iſteſſo Sommo Pontefice concede Indulgenza Plenaria alli Fratelli, e Sorelle di „ detta Compagnia, che interverranno „ divotamente alla detta Proceſſione in „ qualſivoglia Domenica del meſe, che „ ſi farà nelle Chieſe dell' Ordine, conforme alla conſuetudine delle Città, e „ luoghi, ſe veramente pentiti, confeſſati, e communicati pregaranno Iddio „ come ſopra. Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die 7. Junii MDCXI.

„ Decimoterzo. L'iſteſſo Sommo Pontefice da facoltà al Generale *pro tempore*, ed in aſſenza di lui al Vicario „ Generale dell'Ordine de'Servi d'erigere, ed iſtituire nelle Chieſe del ſuo „ Ordine Confraternite, conforme alla „ forma preſcritta di ſopra, e communicare loro le dette Indulgenze; ancor-

„ che non v' abitino almeno cinque Frati „ Sacerdoti Profeſſi: ed in oltre concede, „ che i Fratelli, e Sorelle delle Compa- „ gnie ſudette innanzi li 14. Febraro „ 1607. iſtituite in Chieſa, dove „ non foſſero almeno cinque Sacerdoti „ Profeſſi, godino tuttavia l' Indulgenze „ della Compagnia, facendo l' opere „ preſcritte. Datum Romæ apud Beatum „ Marcum ſub Annulo Piſcatoris 28. Ju- „ lii MDCVII.

„ Decimoquarto. La ſan.mem.d'Urba- „ no VIII. concede al Priore Generale „ dell'Ordine de'Servi facoltà anco d'eri- „ gere la ſudettaCompagnia nelle Chieſe „ de'ſecolari (con il conſenſo però eſpreſ- „ ſo dell'Ordinario del luogo, o Rettore „ di dette Chieſe, e conforme alla preſ- „ critta forma di Paolo V. ne' Brevi ſo- „ pradetti) e di communicare tutte l'In- „ dulgenze da detto Paolo V. conceſſe „ alle medeſime Confraternite: ed in ol- „ tre di poter il Priore Generale una ſol „ volta deſtinare nelle dette Chieſe ſeco- „ lari li ſette Altari, che divotamente „ viſitati dalli Confratelli, e Conſorelle „ di queſta Confraternita da erigerſi in „ virtù di tal facoltà conceduta da Urba- „ no VIII., ed oſſervando eſſi l' altre „ coſe preſcritte, per guadagnare le det- „ te Indulgenze, e grazie ſpirituali, que- „ ſti le conſeguiſchino: come nel Breve „ dato 18. Settembre MDCXXVIII.

„ §. 1. Cum autem, ſicut eadem ex- „ poſitio ſubjungebat, Vicarius Genera- „ lis, & Procurator Generalis præfati „ præmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, Apo- „ ſtolicæ confirmationis noſtræ patroci- „ nio communiri ſummopere deſiderent; „ Nos ſpecialem ipſi Vicario Generali, & „ Procuratori Generali gratiam facere „ volentes;& eorum ſingulares Perſonas a „ quibuſvis excommunicationis, ſuſpen- „ ſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſia- „ ſticis ſententiis, ſeu pœnis a jure, vel „ ab homine, quavis occaſione, vel cauſa „ latis, ſi quibus quomodolibet innoda- „ tæ exiſtant, ad effectum præſentium „ duntaxat conſequendum, harum ſerie „ abſolventes, & abſolutas fore cenſen- „ tes; ſupplicationibus eorum nomine „ Nobis ſuper hoc humiliter porrectis in- „ clinati, Summarium præinſertum cum „ omnibus, & ſingulis in eo contentis „ auctoritate Apoſtolica, tenore præſen- „ tium confirmamus, & approbamus, il- „ liſque inviolabiliter Apoſtolicæ firmita- „ tis robur adijcimus, ac omnes & ſingu- „ los juris, & facti defectus, ſi qui deſu- „ per quomodolibet intervenerint, ſup- „ plemus; ſalva tamen ſemper in præmiſ- „ ſis auctoritate memoratæ Congregatio- „ nis Cardinalium.

„ §. 2. Decernentes ipſas præſentes „ literas ſemper firmas, validas, & effi- „ caces exiſtere, & fore, ſuoſque plena- „ rios, & integros effectus ſortiri, & ob- „ tinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro „ tempore quandocunque ſpectabit, ple- „ niſſime ſuffragari: ſicque in præmiſſis, „ per quoſcunque Judices Ordinarios & „ Delegatos,etiam cauſarum Palatii Apo- „ ſtolici Auditores judicari, & definiri „ debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus „ ſuper his a quoquam quavis auctoritate „ ſcienter, vel ignoranter contigerit at- „ tentari.

„ §. 3. Non obſtantibus Conſtitutio- „ nibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, „ cæteriſque contrariis quibuſcunque.

„ §. 4. Volumus autem, ut earundem „ præſentium literarum tranſumptis, ſeu „ exemplis,etiam impreſſis,manu alicujus „ Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo „ Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate con- „ ſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubi- „ que locorum,tam in judicio,quam extra „ illud habeatur,quæ ipſis præſentibus ha- „ beretur, ſi forent exhibitæ, veloſtenſæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam „ Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 14. „ Octobris MDCLXXXII. Pontificatus „ Noſtri Anno ſeptimo.

Annotandum eſt hic tam Confratres, quam Conſorores prædictarum Confraternitatum præter Indulgentias a Paulo V. conceſſas, & contentas in Summario de mandato Sacræ Congregationis Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ recognito,& ab Innocentio XI.confirmato, aliis gaudere poſſe Indulgentiis ob conceſſionem ejuſdem Pontificis Brevi incipiente: *Commiſſæ Nobis* edito die 1. Sept. an. MDCLXXXI.ibi = *Omnibus, & ſingulis Confratribus, & Conſororibus Confraternitatum ſubtitulo Septem Dolorum ejuſdem B.M.V. tam hactenus in Eccleſiis dicti Ordinis erectarum, quam deinceps quan-*

quandocunque erigendarum, vere pœnitentibus, ac confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui ſuæ reſpective Confraternitatis Eccleſiam, ſeu Cappellam, vel Oratorium Dominica Paſſionis a primis veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem Dominicæ, annis ſingulis devote viſitaverint: ibique pias conſiderationes Septem Dolorum B. Virginis, & præcipue Paſſionis D. N. Jeſu Chriſti fecerint: ac pro Chriſtianorm Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, ac remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Iiſdem vero Confratribus, & Conſororibus per annum exercentibus ſe hujuſmodi conſiderationibus, meditationibus, ac precibus, præſertim Oratione Dominica, & Salutatione Angelica cum Cantico: Stabat Mater Doloroſa &c. *in Eccleſiis prædictis recitari, aliiſque ſpiritualibus exercitiis ibidem fieri ſolitis, ac, ut præfertur, orantibus, quoties id egerint; toties centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præterea Confratribus, & Conſororibus prædictis Eccleſiam, ſeu Cappellam, vel Oratorium ſuæ reſpective Confraternitatis diebus Stationum Almæ Urbis noſtro Romano Miſſali deſcriptis devote pariter viſitantibus, & orantibus, ut ſupra, quod omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes conſequantur, quas conſequerentur, ſi Eccleſias tam intra, quam extra eandem Urbem poſitas ad id deſtinatas diebus Stationum hujuſmodi perſonaliter, ac devote viſitaſſent. Utque iidem Confratres, & Conſorores tam prædictas, quam alias quaſcunque Indulgentias, ac peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes dictis Confraternitatibus a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ac a Nobis quomodolibet conceſſas Fidelium Defunctorum Animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum Suffragii applicare poſſint; ſimiliter concedimus, & indulgemus: præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.*

§. IX.

Indulgentiæ Confratrum Minimorum S. Franciſci de Paula.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ §. 1 CUM, ſicut accepimus, in Paro-
„ chiali Eccleſia S. Franciſci de
„ Paula in Montibus nuncupata de Urbe,
„ una pia, & devota utriuſque ſexus
„ Chriſtifidelium Confraternitas ſub in-
„ vocatione ejuſdem *S. Franciſci de Pau-*
„ *la*, non tamen de hominibus unius ſpe-
„ cialis artis, canonice inſtituta exiſtat:
„ cujus Confratres, & Conſorores qua n-
„ plurima pietatis & charitatis opera ex-
„ ercere conſueverunt; Nos ut Confra-
„ ternitas prædicta majora in dies ſuſci-
„ piat incrementa, de Omnipotentis Dei
„ miſericordia, ac BB. Petri & Pauli
„ Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi,
„ omnibus utriuſque ſexus Chriſtifideli-
„ bus, qui dictam Confraternitatem in
„ poſterum ingredientur; die primo eo-
„ rum ingreſſus, ſi vere poenitentes, &
„ confeſſi SS. Euchariſtiæ Sacramentum
„ ſumſerint, Plenariam: necnon tam
„ deſcriptis, quam primo tempore de-
„ ſcribendis in eadem Confraternitate,
„ Confratribus, & Conſororibus in cujus-
„ libet eorum mortis articulo, ſi vere
„ poenitentes, & confeſſi, ac Sacra Com-
„ munione refecti: vel quatenus id fa-
„ cere nequiverint, ſaltem contriti No-
„ men Jeſu ore ſi potuerint; ſin minus
„ corde devote invocaverint; etiam Ple-
„ nariam: ac inſuper eiſdem Confratri-
„ bus, & Conſororibus vere quoque poe-
„ nitentibus, & confeſſis, ac Sacra Commu-
„ nione refectis, qui prædictæ Confrater-
„ nitatis Eccleſiam, vel Cappellam, ſeu
„ Oratorium die feſto principali ipſius
„ Confraternitatis a primis veſperis uſ-
„ que

„ que ad occaſum Solis feſti hujuſmodi
„ ſingulis annis devote viſitaverint : &
„ ibi pro Chriſtianorum Principum con-
„ cordia , hæreſum extirpatione , ac
„ Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias
„ ad Deum preces effuderint ; Plenariam
„ ſimiliter omnium peccatorum ſuorum
„ Indulgentiam & remiſſionem , miſeri-
„ corditer in Domino concedimus . Præ-
„ terea eiſdem Confratribus vere pariter
„ pœnitentibus, & confeſſis , ac Sacra
„ Communione refectis , necnon Con-
„ ſororibus Eccleſiam , vel Cappellam ,
„ ſeu Oratorium hujuſmodi in quatuor
„ aliis diebus anni feſtivis, vel feriatis per
„ Confratres dictæ Confraternitatis ſemel
„ tantum eligendis , & ab Ordinario loci
„ approbandis, ut præfertur, viſitantibus,
„ & orantibus , quo die prædictorum id
„ egerint ; ſeptem annos & totidem qua-
„ dragenas;quoties vero Miſſis,& aliis Di-
„ vinis Officiis in dicta Eccleſia, vel Cap-
„ pella , ſeu Oratorio pro tempore cele-
„ brandis , & recitandis , aut aliis Divinis
„ Officiis , & Congregationibus publicis
„ & privatis ipſius Confraternitatis , ubi-
„ vis faciendis interfuerint : aut paupe-
„ res hoſpitio ſuſceperint : vel pacem in-
„ ter inimicos compoſuerint , ſeu com-
„ poni fecerint , vel procuraverint : aut
„ etiam qui corpora defunctorum tam
„ Confratrum quam Conſororum hujuſ-
„ modi , quam aliorum ad Sepulturam
„ aſſociaverint : aut quaſcunque Proceſ-
„ ſiones de licentia ejuſdem Ordinarii fa-
„ ciendas , Sanctiſſimumque Euchariſtiæ
„ Sacramentum tam in Proceſſionibus ,
„ quam cum ad infirmos , aut alias ubi-
„ cunque , & quomodocunque pro tem-
„ pore deferendum comitati fuerint : aut
„ ſi campanæ ad id ſigno dato,ſemel Ora-
„ tionem Dominicam, & Salutationem
„ Angelicam dixerint : aut etiam quin-
„ quies Orationem , & Salutationem
„ eaſdem pro animabus defunctorum
„ Confratrum , & Conſororum prædi-
„ ctorum recitaverint : aut devium ali-
„ quem ad viam ſalutis reduxerint : &
„ ignorantes præcepta Dei , & ea , quæ
„ ad ſalutem ſunt , docuerint : aut quod-
„ cunque aliud pietatis , & charitatis
„ opus exercuerint ; toties pro quolibet
„ prædictorum operum ſexaginta dies
„ de injunctis eis , aut alias quomodoli-
„ bet debitis pœnitentiis in forma Eccle-
„ ſiæ conſueta relaxamus . Præſentibus
„ perpetuis futuris temporibus , citra an-
„ num Jubilæi valituris .

„ §. 2. Volumus autem quod ſi alias
„ dictis Confratribus , & Conſororibus
„ præmiſſa peragentibus aliqua alia In-
„ dulgentia perpetuo , vel ad tempus
„ elapſum duratura conceſſa fuerit , præ-
„ ſentes nullæ ſint : utque etiam ſi dicta
„ Confraternitas alicui Confraternitati
„ aggregata jam ſit , aut in poſterum
„ aggregetur , vel quavis alia ratione
„ uniatur , aut etiam quomodolibet in-
„ ſtituatur ; priores & quævis aliæ literæ
„ Apoſtolicæ illi nullatenus ſuffragentur,
„ ſed ex tunc eo ipſo prorſus nullæ ſint.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Ma-
„ jorem ſub Annulo Piſcatoris die 8. Oct.
„ MDCL. Pontific. noſtri anno ſeptimo.

Annotandum eſt , prædictam Confraternitatem fuiſſe a Benedicto XIII. in Archiconfraternitatem erectam Brevi incipiente : *Exponi Nobis* edito die 15. Julii anno MDCCXXVII. conceſſa facultate ejuſdem Officialibus & Confratribus pro tempore exiſtentibus aggregandi alias quaſcunque Confraternitates ejuſdem Inſtituti extra Urbem ubicunque locorum erectas:eiſque omnes & ſingulas Indulgentias , & peccatorum remiſſiones ab Innocentio X. conceſſas in ſupra allato Brevi communicandi . Verum cum ea facultate dicti Officiales , & Confratres uſi non fuiſſent , P. Generalis Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula , ſtudio ampliandi cultum ſui Sancti Fundatoris ubilibet locorum intentus , & potiſſimum Fidelium votis ubi nulli ad ſunt Minimorum Conventus , porrectis precibus Sacræ Congregationi Indulgentiis Sacriſque Reliquiis præpoſitæ , ut facultas aggregandi ejuſmodi Confraternitates ſibi ſuiſque Succeſſoribus concederetur , ſub die 20. Januar. anno MDCCXXXIII. ab eadem hoc reſponſum obtinuit = *Supplicandum Sanctiſſimo pro gratia* = & Clemens XII. Breve edidit ſub die 12. Maii anno MDCCXXXIII. ubi habetur = *Nos qui dictum Ordinem in viſceribus gerimus charitatis , piis moderni Correctoris Generalis votis hac in re , quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere , eumque ſpecialis favore gratiæ pro-*

proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis &c. ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium conſilio tam præfato quam pro tempore exiſtenti Correctori Generali Ordinis Fratrum S. Franciſci de Paula, ut ejuſmodi utriuſque ſexus Confraternitates ejuſdem denominationis & Inſtituti, accedente conſenſu Ordinariorum, erigere, eaſque jam erectas Archiconfraternitati in Alma Urbe noſtra inſtitutæ aggregare: omneſque & ſingulas Indulgentias, & gratias a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris conceſſas illis communicare libere & licite valeat (ſervata tamen Conſtitutionis fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris pariter Noſtri ſuper erectione, & aggregatione hujuſmodi Confraternitatum editæ forma & diſpoſitione) facultatem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & impartimur.

§. X.

Bulla Benedicti XIII. qua erigitur primaria Congregatio vulgo La Buona Morte *in Eccleſia Domus Profeſſæ Societatis Jeſu cum Indulgentiis per modum Suffragii applicandis.*

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

„ Redemtoris noſtri Jeſu Chriſti pro „ ſalute humani Generis in ara „ Crucis immolati vices, licet immeriti „ gerentes in terris, dum attendimus ad „ uberes fructus, quos ubique terrarum „ in Militanti Eccleſia Venerabilis Societas Jeſu verbo, doctrina, & exemplis in dies copioſius affert, ad illam „ peculiarem curam proſpicimus, qua „ Chriſtifideles pretioſo tanti Holocauſti „ Sanguine redemtos, ex hujuſmodi memoria ad pia, & ſalutaria opera ferventer excitat; Apoſtolici muneris noſtri „ eſſe reputamus, ſpiritualium largitionum abundantiam deſuper effundere, „ ut ipſorum fidelium ſanctis hujuſmodi „ operibus vacantium Religio, & devotio continuum ſuſcipiat incrementum, „ hiſque votiva ſalus proveniat animarum.

„ §. 1. Exhibita ſiquidem Nobis nuper „ pro parte dilecti Filii Michaelis Angeli „ Tamburini moderni Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu petitio continebat, „ quod a ſeptuaginta annis, & ultra in „ in Eccleſia Domus Profeſſæ ejuſdem „ Societatis Jeſu de Urbe feria ſexta „ (alias non impedita) cujuslibet hebdomadæ, inibi veſpere Sanctiſſimum „ Euchariſtiæ Sacramentum publicæ venerationi exponitur; duo ex Presbyteris „ Regularibus dictæ Societatis ad infraſcripta ſpecialiter deputati piæ Fidelium contemplationi acerbiſſima mortis Domini Noſtri Jeſu Chriſti in Cruce pendentis, ejuſque Genitricis Beatæ Mariæ Virginis ad Crucem adſtantis dolorum, & lacrymarum monumenta variis colloquiis, precumque recitationibus devote reſpective repræſentant, ac verbum Dei ſalubres ad „ bene moriendum meditationes excitando in virtute etiam reſpective edocent: unde nonnulli Chriſtifideles piorum, & ſalutarium operum hujuſmodi „ Inſtituto moti ſe invicem in dicta Eccleſia congregari cœperant, & circa „ præmiſſa vacantes ab inde citra Chriſtifidelium Congregatio ſub titulo, & „ denominatione Domini Noſtri Jeſu „ Chriſti in Cruce moribundi, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ ejus Genitricis „ doloroſæ *della Buona Morte* nuncupari „ cœpit, & nuncupatur ad præſens: eidemque Congregationi quædam propterea Indulgentia etiam per modum „ ſuffragii applicanda cum nonnullis relaxationibus a fel. record. Alexandro Papa VII. Prædeceſſore noſtro ſub certis „ modo, & forma tunc expreſſis ſucceſſive conceſſa fuit: prout in literis Apoſtolicis ejuſem Alexandri Prædeceſſoris „ in

,, in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris
,, deſuper ſub dat. Romæ apud San-
,, ctam Mariam Majorem die 21. menſis
,, Auguſti anni Domini MDCLV. Pon-
,, tificatus præfati Alexandri Prædeceſſo-
,, ris anno primo expeditis plenius conti-
,, netur.

,, §. 2. Cum autem, ſicut eadem pe-
,, titio ſubjungebat, in diverſis mundi
,, partibus, & præſertim inſignibus Eu-
,, ropæ Civitatibus dictæ Societatis Do-
,, mus profeſſæ, Collegia, & Reſidentiæ
,, reſpective fundata exiſtant: & in eo-
,, rum reſpective Eccleſiis (ut plurimum
,, diebus Dominicis ſimiliter non impe-
,, ditis) dum in eis Sanctiſſimum Eucha-
,, riſtiæ Sacramentum publicæ veneratio-
,, ni exponitur, uno ex Presbyteris Re-
,, gularibus dictæ Societatis præmiſſa, ut
,, præfertur, repræſentante, edocente;
,, Inſtitutum hujuſmodi ad Dei gloriam,
,, ac publicam ſalutem, & ſpiritualem
,, conſolationem, cum multiplici fructu
,, exinde proveniente jugiter exercea-
,, tur: ac operæ pretium ſit, ut in primo
,, dicta Eccleſia eorundem Fidelium Pri-
,, maria Congregatio, ſub titulo, ac de-
,, nominatione præfatis, ad laudabile eo-
,, rum in piis operibus, & officiis hujuſ-
,, modi ſtudium noſtris beneficiis, & In-
,, dulgentiarum præmiis conſervandum,
,, & augendum ſtabiliatur, & inſtitua-
,, tur.

,, §. 3. Quare pro parte dicti Michae-
,, lis Angeli Nobis fuit humiliter ſuppli-
,, catum, quatenus ei in præmiſſis an-
,, nuere de benignitate Apoſtolica di-
,, gnaremur. Nos igitur ſalutiferum opus
,, hujuſmodi plurimum in Domino com-
,, mendantes, ac præmiſſis, quantum No-
,, bis ex alto conceditur, conſulere, ip-
,, ſumque Michaelem Angelum ſpeciali-
,, bus favoribus, & gratiis proſequi vo-
,, lentes; & a quibuſvis excommunica-
,, tionis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſ-
,, que Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris,
,, & pœnis a jure, vel ab homine quavis
,, occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quo-
,, modolibet innodatus exiſtit, ad effe-
,, ctum præſentium tantum conſequen-
,, dum harum ſerie abſolventes, & abſo-
,, lutum fore cenſentes; necnon Alexan-
,, dri Prædeceſſoris literarum præfata-
,, rum tenores præſentibus pro expreſſis
,, habentes; hujuſmodi ſupplicationibus
,, inclinati, in primodicta Eccleſia unam
,, utriuſque ſexus Chriſtifidelium Prima-
,, riam Congregationem ſub invocatione
,, Domini Noſtri Jeſu Chriſti in Cruce
,, moribundi, ac Beatiſſimæ Virginis
,, Mariæ ejus Genitricis doloroſæ vulgo
,, *della Buona Morte* nuncupatam, quæ
,, per præfatum Michaelem Angelum, &
,, pro tempore exiſtentem Præpoſitum
,, Generalem dictæ Societatis, ſeu illo
,, defuncto, donec alius ad officium Præ-
,, poſiti Generalis hujuſmodi canonice
,, aſſumatur, per Vicarium etiam Gene-
,, ralem ejuſdem Societatis dirigi debeat;
,, Apoſtolica auctoritate tenore præſen-
,, tium perpetuo, ſine tamen ipſius So-
,, cietatis præjudicio, erigimus, & inſti-
,, tuimus.

,, §. 4. Ut autem primaria Congrega-
,, tio hujuſmodi pro gratiarum, & mune-
,, rum cœleſtium largitione devotionis,
,, ac pietatis jugiter proficiat incremen-
,, tis; de Omnipotentis Dei miſericor-
,, dia, ac Beatorum Petri & Pauli Apo-
,, ſtolorum ejus auctoritate confiſi, omni-
,, bus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti-
,, fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis,
,, qui deinceps in Sodales ejuſdem pri-
,, mariæ Congregationis recipientur; die
,, prima illorum receptionis hujuſmodi,
,, ſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramen-
,, tum in primodicta Eccleſia, aut ubi-
,, cunque potuerint, ac in mortis articu-
,, lo eo die ſumſerint.

,, §. 5. Ac ipſis, & pro tempore exi-
,, ſtentibus dictæ Primariæ Congregatio-
,, nis Sodalibus ubilibet degentibus ſimi-
,, liter vere pœnitentibus, & confeſſis,
,, ac Sacra Communione, ſi id commode
,, fieri poterit, refectis; vel ſaltem con-
,, tritis in eorum mortis articulo pium
,, Nomen Jeſu corde, ſi ore nequiverint,
,, devote invocantibus, aut aliquid pœ-
,, nitentiæ ſignum facientibus.

,, §. 6. Inſuper eiſdem Sodalibus, qui
,, etiam vere pœnitentes, & confeſſi
,, ſemel quolibet menſe in una ex ſextis
,, feriis hebdomadæ, ſeu in una ex die-
,, bus Dominicis cujuslibet menſis per eos
,, ad ſui libitum reſpective eligenda,
,, prout expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti
,, veſpere in qualibet ex dictis ſextis fe-
,, riis, ſeu diebus Dominicis fiet.

,, §. 7. Nec-

» §. 7. Necnon in Nativitatis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Epiphaniæ, & Pentecoſtes, Sanctiſſimæ Trinitatis, ac Corporis Chriſti: necnon in Purificationis, Annunciationis, Aſſumtionis, Conceptionis, & Nativitatis B. M. Virginis: ac Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, & ſingulorum Sanctorum Apoſtolorum, videlicet, Petri, Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi, Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, Judæ, & Matthiæ, necnon S. Joſephi, & Commemorationis omnium Sanctorum Feſtis diebus præfatum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in primo dicta Eccleſia ſumſerint: ac Inibi pias ad Deum preces, prout unicuique ſuggeret devotio, pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, hæreticorum, & infidelium converſione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, ac Noſtra, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis proſperitate devote effuderint; quo die ſingulorum feſtorum dierum hujuſmodi id pro tempore fecerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum veniam, & remiſſionem, Apoſtolica auctoritate miſericorditer in Domino earundem tenore præſentium etiam perpetuo concedimus, & elargimur.

„ §. 8. Iis vero, qui expoſitioni Sanctiſſimi Sacramenti veſpere, in qualibet ex dictis ſextis feriis, ſeu in qualibet ex dictis diebus Dominicis, ut præfertur, faciendæ devote interfuerint, & ut præfertur, oraverint, aut corpus ſuum flagellaverint, ſeu ut vulgo dicitur, diſciplinam fecerint; ſeptem annos, & totidem quadragenas.

„ §. 9. Illis autem, qui de eorundem Sodalium numero exiſtentium, vel aliorum Chriſtifidelium defunctorum corpora ad ſepulturam Eccleſiaſticam aſſociaverint: aut infirmi, vel impediti audito ſigno campanæ genuflexi, ſi per infirmitatem licebit, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro ſalute animæ defuncti, vel corporis infirmi recitaverint: quique Congregationibus tam publicis, quam privatis, ac Divinis Officiis, ſpiritualibuſque colloquiis, exhortationibus, & aliis piis Officiis, etiam in Sodalis, ſeu aliorum Chriſtifidelium defunctorum ſuffragium per præfatam Primariam Congregationem ordinandis, & ab ipſo Michaele Angelo, ſeu pro tempore exiſtente Præpoſito, ſeu Vicario Generali approbandis, ac diebus feriatis Miſſæ Sacrificio interfuerint: aut veſpertino tempore, antequam cubent, conſcientiam ſuam diligenter examinaverint: ſeu pauperes infirmos, tam Sodales, quam alios in Hoſpitalibus, vel privatis domibus, necnon carceratos viſitaverint; quoties horum quodvis fecerint, unum annum de eis injunctis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis Apoſtolica auctoritate, & tenore ſimilibus, etiam miſericorditer in Domino relaxamus.

„ §. 10. Inſuper ne præfati Sodales, ſi aliquando eos ab ipſa Urbe abeſſe, vel alibi commorari contingat, hujuſmodi Indulgentiarum, & aliarum gratiarum ſpiritualium effectu, & fructu fruſtrati remaneant, eiſdem Sodalibus extra Urbem locorum pro tempore commorantibus, ut in locis, ubi eos pro tempore reſidere, ſeu morari contigerit, opera prædicta, quæ ipſi Sodales in Urbe præſentes pro ſingularum Indulgentiarum, remiſſionum, & relaxationum hujuſmodi conſecutione obſervare deberent; apud Eccleſias eorundem locorum, aut alibi, prius poterunt, obſervando, & exequendo; omnes eaſdem Indulgentias, remiſſiones, & relaxationes habeant, & illæ eis pariter ſuffragentur.

„ §. 11. Necnon tam in Urbe præſentes, quam alibi ubivis locorum commorantes Sodales Primariæ Congregationis hujuſmodi, qui ſingulis Quadrageſimalibus, & aliis anni temporibus a diebus Stationum Eccleſiarum dictæ Urbis, & extra illius muros, quæ a Chriſtifidelibus pro conſequendis Indulgentiis, & remiſſionibus viſitari ſolent, dictæ Societatis, ſi ibi fuerit, alioquin aliam Eccleſiam, ſeu Cappellam, in locis, ubi eos pro tempore reſidere, ſeu morari contigerit, ut præfertur, devote viſitaverint: & ibi ſepties Orationem Dominicam, & ſepties Salutationem Angelicam recitaverint;

„ tot, & eaſdem Indulgentias conſequan-
„ tur, quas conſequerentur, ſi iiſdem
„ temporibus, & diebus ſingulas Eccle-
„ ſias dictæ Urbis, & extra illius muros
„ hujuſmodi pro iiſdem Stationibus, &
„ Indulgentiis conſequendis deputatas
„ perſonaliter viſitarent, ac omnia, &
„ ſingula, quæ pro hujuſmodi gratiarum
„ executione quomodolibet requirun-
„ tur, plene adimplerent.

„ §. 12. Præterea eidem Michaeli
„ Angelo, ac pro tempore exiſtenti di-
„ ctæ Societatis Præpoſito, ſeu Vicario
„ Generali, ut in quibuſvis aliis dictæ
„ Societatis Domorum profeſſarum, &
„ Reſidentiarum extra Urbem prædi-
„ ctam per univerſum Orbem nunc; &
„ pro tempore exiſtentibus Eccleſiis, pro
„ eorundem piorum operum incremento,
„ quaſcunque alias aliorum utriuſque ſe-
„ xus Chriſtifidelium Congregationes ſub
„ titulo, & denominatione præfatis, quæ
„ ab ipſa Primaria Congregatione, tan-
„ quam membra a capite dependeant,
„ auctoritate noſtra, ſine tamen Societa-
„ tis, aut Domorum profeſſarum, Colle-
„ giorum, & Reſidentiarum Eccleſiarum
„ hujuſmodi præjudicio erigere, & inſti-
„ tuere, illaſque eidem Primariæ Con-
„ gregationi aggregare: ac eis ſic erectis,
„ inſtitutis, & aggregatis, earumque So-
„ dalibus prædictis, ac omnes, & quaſ-
„ cunque alias Indulgentias, peccatorum
„ remiſſiones, relaxationes, gratias, &
„ facultates tam ſpirituales, quam tem-
„ porales a Nobis, dictaque Sede Prima-
„ riæ Congregationi hujuſmodi de cæte-
„ ro concedendas; itaut Sodales aliarum
„ Congregationum hujuſmodi obſervan-
„ tes, & exequentes ea, quæ ipſius Pri-
„ mariæ Congregationis Sodales pro In-
„ dulgentiis, & remiſſionibus, & relaxa-
„ tionibus hujuſmodi conſequendis obſer-
„ vare, & exequi debent, eaſdem Indul-
„ gentias, peccatorum remiſſiones, &
„ relaxationes pariter conſequantur (fa-
„ cultate aggregandi, & gratias hujuſmo-
„ di aliis concedendi duntaxat excepta)
„ communicare.

„ §. 13. Necnon tam Primariam, quam
„ omnes, & ſingulas ei aggregandas Con-
„ gregationes hujuſmodi per ſe, vel alium,
„ ſeu alios ejuſdem Societatis Presbyte-
„ ros Regulares idoneos, ad id ab eo de-
„ putandos viſitare.

„ §. 14. Et pro earum felici ſtatu, re-
„ gimine, & directione quæcunque Sta-
„ tuta, conſtitutiones, & decreta, lici-
„ ta tamen & honeſta, Sacriſque Canoni-
„ bus, ac Conſtitutionibus, & Ordinatio-
„ nibus Apoſtolicis, & Concilii Triden-
„ tini Decretis non contraria, necnon ab
„ ipſo Michaele Angelo, & pro tempore
„ exiſtente dictæ Societatis Præpoſito,
„ ſeu Vicario Generali, ſi per alium, vel
„ alios deputandos hujuſmodi fiant, exa-
„ minanda, & approbanda edere: ac poſt-
„ quam edita fuerint, quoties pro eorum,
„ & temporum qualitate, aut alias expe-
„ diens ei videbitur, immutare, corrige-
„ re, moderari, & reformare, aut alia
„ ex integro condere libere, & licite va-
„ leat; eiſdem auctoritate Apoſtolica,
„ & tenore ſimiliter perpetuo concedi-
„ mus, & indulgemus.

„ §. 15. Decernentes ſtatuta, conſti-
„ tutiones, & decreta hujuſmodi, poſt-
„ quam edita, immutata, correcta, mo-
„ derata, reformata, & condita fuerint,
„ ab omnibus Sodalibus prædictis inviola-
„ biliter obſervari debere: ac præſentes
„ literas ſub quibuſcunque ſimilium, vel
„ diſſimilium Indulgentiarum, & alia-
„ rum gratiarum revocationibus, ſuſpen-
„ ſionibus, limitationibus, derogationi-
„ bus, & aliis contrariis diſpoſitionibus,
„ etiam in favorem Baſilicæ Principis Apo-
„ ſtolorum de Urbe, ſeu Cruciatæ San-
„ ctæ, aut alias per Nos, & alios Roma-
„ nos Pontifices Succeſſores Noſtros, aut
„ dictam Sedem, etiam Motu proprio,
„ & conſiſtorialiter, & ex certa ſcientia,
„ & de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine,
„ ſeu ad quorumvis etiam Imperatorum,
„ Regum, Reginarum, Ducum, & alio-
„ rum Principum inſtantiam pro tempo-
„ re quomodolibet factis, minime com-
„ prehendi, ſed ſemper ab illis excipi:
„ & quoties illæ emanabunt, toties in
„ priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas,
„ & plenarie reintegratas, ac de novo
„ conceſſas eſſe, & cenſeri, necnon omni-
„ bus, quoslibet concernunt, ſuffragari de-
„ bere: irritum quoque, & inane, ſi ſe-
„ cus ſuper his a quoquam quavis auctori-
„ tate ſcienter, vel ignoranter contigerit
„ attentari.

„ §. 16. Non obſtantibus præmiſſis, ac
„ Noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ Re-
„ gulis

„ gulis de Indulgentiis, etiam adinſtar „ non concedendis, & clauſulis in illis „ ponendis, aliiſque Conſtitutionibus, „ & Ordinationibus Apoſtolicis. Quibus „ omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum „ ſufficienti derogatione de illis, eorum- „ que totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, „ expreſſa, & individua, ac de verbo ad „ verbum, non autem per clauſulas ge- „ nerales idem importantes mentio, aut „ quævis alia expreſſio habenda, ſeu quæ- „ libet alia exquiſita, & inſolita forma „ ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, „ & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo „ ad verbum nihil penitus omiſſo, & for- „ ma in illis tradita obſervata inſerti fo- „ rent, præſentibus etiam pro expreſſis „ habentes, illis alias in ſuo robore per- „ manſuris hac vice duntaxat latiſſime, „ & pleniſſime, ac ſpecialiter, & expreſ- „ ſe harum ſerie derogamus, cæteriſque „ contrariis quibuſcunque. Præſentibus „ perpetuis futuris temporibus duraturis.

„ §. 17. Volumus autem quod præfa- „ ti Sodales dictæ Primariæ Congregatio- „ nis omnes, & ſingulas Indulgentias, „ peccatorum remiſſiones, & relaxationes „ hujuſmodi ab ipſis, ut præfertur, conſe- „ quendas, etiam per modum ſuffragii „ pro animabus Chriſtifidelium defuncto- „ rum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab „ hac luce migraverint, applicari poſſint.

„ §. 18. Præterea etiam volumus, „ quod earundem præſentium tranſum- „ ptis etiam impreſſis, Procuratoris Ge- „ neralis ipſius Societatis, vel Notarii „ publici manu, & Perſonæ alicujus in „ Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, vel „ pro tempore exiſtentis Præpoſiti, aut „ Vicarii Generalis ejuſdem Societatis „ ſigillo munitis, eadem prorſus fides „ ubique locorum in judicio, & extra „ adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem „ præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel „ oſtenſæ.

„ §. 19. Nulli ergo omnino hominum „ liceat hanc paginam noſtræ abſolutio- „ nis, erectionis, inſtitutionis, conceſ- „ ſionis, elargitionis, relaxationis, in- „ dulti, Decreti, derogationis, & volun- „ tatis infringere, vel ei auſu temerario „ contraire. Si quis autem hoc attentare „ præſumſerit, indignationem Omnipo- „ tentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apo- „ ſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

„ Datum Romæ apud S. Petrum Anno „ Incarnat. Dominicæ MDCCXXIX. „ Nono Calendas Octobris Pontificatus „ Noſtri Anno Sexto.

§. XI.

Breve Clementis XI. quo conceduntur Indulgentiæ geſtantibus Scapulare Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ Cæleſtium munerum theſauros, „ quorum diſpenſationem humili- „ tati noſtræ commiſit Divina dignatio, „ fideli, prudentique liberalitate liben- „ ter erogamus, ſicut pia Religioſorum „ Virorum in ſortem Domini aſſumto- „ rum vota poſtulant, & nos ad incitan- „ dam, fovendamque fidelium pietatem, „ necnon augendum potiſſimum erga „ Glorioſiſſimam Virginem Dei Genitri- „ cem Mariam cultum, ac devotionem „ profuturum in Domino arbitramur.

„ §. 1. Alias ſiquidem fel. rec. Cle- „ mens Papa X. Prædeceſſor Noſter Cle- „ ricis Regularibus Congregationis Thea- „ tinorum nuncupatorum Scapularia par- „ va cærulei coloris benedicendi, illaque „ Chriſtifidelibus pio devotionis erga „ myſterium Conceptionis Beatæ Mariæ „ Virginis Immaculatæ affectu ea geſtare „ cupientibus, quemadmodum in Hiſpa- „ nia jamdudum fieri conſueverat, diſtri- „ buendi licentiam, & facultatem ſub „ certis modo, & forma tunc expreſſis „ auctoritate Apoſtolica tribuit, & im- „ pertitus fuit: & alias prout in ipſius „ Clementis Prædeceſſoris Literis deſuper „ in ſimili forma Brevis die 30. Januarii „ MDCLXXI. expeditis, quarum teno- „ rem præſentibus pro plene, & ſufficien- „ ter expreſſo, & inſerto haberi volumus, „ uberius continetur.

 „ §. 2. Nunc

„ §. 2. Nunc autem Nos laudabilem Chriſtifidelium erga myſterium ſupradictum devotionem magis magiſque in dies augeri, & propagari cupientes, ſupplicationibus totius Congregationis eorundem Clericorum Regularium Theatinorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, quibus Scapularia benedicta hujuſmodi inpoſterum, ut præfertur, diſtribuentur; die, quo illa primum ſuſceperint, ſi vere pœnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, Plenariam: necnon eiſdem in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi etiam vere pœnitentes & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti Nomen Jeſu ore ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint; itidem Plenariam: ac ipſis pariter vere pœnitentibus, ac confeſſis, ac eadem Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis dictæ Congregationis, vel Cappellam, ſive Oratorium, die Feſto ejuſdem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, a primis veſperis uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper præfatis Chriſtifidelibus etiam vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, Eccleſiam, vel Cappellam, ſeu Oratorium hujuſmodi in aliis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis Feſtis diebus, ut ſupra viſitantibus, & ibidem orantibus, quo die prædictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

„ §. 3. Volumus autem ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 12. Maii MDCCX. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

§. XII.

Decretum de Indulgentiis a Benedicto XIII. conceſſis recitantibus Roſarium Beatæ Mariæ Virginis.

„ SAnctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa XIII. ſumma devotione motus, qua fervet erga Roſarium Beatæ Mariæ Virginis, ut adeo Eccleſiæ utilis, Deoque accepta devotio in cuncto Chriſtiano Populo magis magiſque augeatur, & propagetur; audito voto Sacræ Congregationis Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus Roſarium, vel ſaltem tertiam partem ejuſdem devote recitantibus; pro qualibet Oratione Dominica, & pro qualibet Salutatione Angelica Indulgentiam centum dierum conceſſit. Recitantibus vero quotidie per integrum annum idem Roſarium, vel pariter ſaltem ejus tertiam partem, ſi confeſſi, ac Sacra Communione refecti fuerint, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione oraverint; ſemel in anno, die ab unoquoque eligenda, inſuper conceſſit Indulgentiam Plenariam, etiam cum facultate applicandi defunctis.

„ Declaravit tamen Sanctitas Sua, ut ad effectum lucrandi prædictas Indulgentias requiratur, ut Roſarium fuerit de more benedictum a Fratribus Ordinis Prædicatorum. Datum die 13. Aprilis

„ lis MDCCXXVI. *L. Cardinalis Picus Præfectus. Raphael Coſinus de Hieronymis Secretarius.*

§. XIII.

Indulgentiæ conceſſæ Coronis Domini, *a Monachis Congregationis Camaldulenſis Ordinis S. Benedicti, & Eremitis Camaldulenſibus tradi conſuetis.*

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ De ſalute gregis Dominici divina diſpoſitione Nobis commiſſi ſollicite cogitantes, Chriſtifideles ſpiritualibus muneribus adjuvare non ceſſamus, ut eorum devotio ad Omnipotentis Dei cultum, & pietatis opera in dies magis augeatur.

„ §. 1. Cum itaque (ſicut accepimus) dilecti Filii Monachi Congregationis Camaldulenſis Ordinis S. Benedicti, & Eremitæ Camaldulenſes Coronas Domini Noſtri Jeſu Chriſti jampridem Fidelibus diſpenſare conſueverint; Nos laudabilem hujuſmodi uſum harum ſeſe approbantes, eaſdem Coronas Indulgentiis, atque aliis ſpiritualibus muneribus, quæ infra ſequuntur, ad ſpiritualem fidelium conſolationem, & animarum ſalutem duximus eſſe decorandas: Qui vere pœnitens, & confeſſus, ſeu firmum confitendi propoſitum habens, unam ex dictis Coronis ſibi a præfatis Monachis, vel Eremitis Camaldulenſibus, immediate, vel mediante alia perſona traditam recitaverit, quotieſcunque id fecerit; ducentorum annorum: necnon quicunque Coronam hujuſmodi ſecum deferens ſingulis ſecundis, quartis, & ſextis feriis, & feſtivis de præcepto Eccleſiæ ſervari ſolitis diebus recitaverit, dummodo confeſſus. & communicatus fuerit; centum quinquaginta annorum. Qui autem ſolitus fuerit eam recitare quater in hebdomada, ſemel in anno die per eum eligenda, ſi ea die confeſſus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerit, & dictam Coronam pariter recitaverit; Plenariam. Qui vero eandem Coronam ſingulis diebus per menſem integrum etiam recitaverit, & ſubinde vere pœnitens, & confeſſus, ac Sacra Communione refectus, pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, quoties id egerit; itidem Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem conſequatur. Quicunque ſolitus fuerit ſaltem ter in hebdomada dictam Coronam recitare, & in bello contra infideles, hæreticos, & S. R. E. hoſtes dimicaverit, ſi eo, vel antecedenti die eandem Coronam recitaverit, & in actu dimicationis mentem ad Deum elevaverit, & peccatorum ſuorum pœnitens humiliter veniam poſtulaverit, ſi in dicta pugna occubuerit; Plenariam Indulgentiam pariter conſequatur. Item quicunque infirmus unam ex dictis Coronis ſibi, ut præfertur, traditam apud ſe habens, eam prius hac intentione recitaverit, & in illa infirmitate delictorum ſuorum pœnitens, & confeſſus, in articulo mortis Sanctiſſimum Jeſu Nomen corde & ore ſi potuerit, ſin minus corde invocaverit; Plenariam Indulgentiam, & omnium peccatorum remiſſionem, ſi mors inde ſubſequatur: ſi vero mors non ſubſequatur, Indulgentiam ducentorum annorum lucretur. Qui ſecum deferens unam ex Coronis prædictis ſibi ſicut præmittitur traditam, Nomen Jeſu invocando examen ſuæ conſcientiæ fecerit, & ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam recitaverit, preces ad Deum pro tranquillo, & felici ſtatu S. R. E effundendo; viginti dies Indulgentiæ: quique dicto examine peracto actualiter confeſſus fuerit, & poſt Confeſſionem Deum O. M. pro augmento Fidei Catholicæ, hæreſum extirpatione, & S. Matris Eccleſiæ exaltatione oraverit; viginti annos Indulgentiæ lucretur. Et ſolitus ſe exer-

„ cere

„ cere in aliquo ex operibus, quæ fiunt in „ Religionibus, ſit particeps omnium, & „ ſingulorum operum, quæ fient in dictis „ Religionibus, ſi intentione hujuſmodi „ participationis illud opus exercuerit. „ Qui apud ſe habens unam ex prædictis „ Coronis ſibi traditam, ut præfertur, & „ legitime impeditus Miſſæ Sacrificio „ diebus feſtivis de præcepto Eccleſiæ „ non interfuerit; ſi quinquies Oratio- „ nem Dominicam, & toties Salutatio- „ nem Angelicam recitaverit, hujuſmodi „ defectum ſuppleat: & ſi dicto Miſſæ „ Sacrificio interfuerit, dictam Oratio- „ nem Dominicam, & Salutationem An- „ gelicam recitando, quamcunque men- „ tis vagationem ſimiliter ſuppleat, dum- „ modo dedita opera factum non ſit. „ Quiſquis ſecum deferens manu ex di- „ ctis Coronis ſibi ut ſupra traditam, „ Miſſæ, aut Prædicationi interſuerit: „ vel Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacra- „ mentum, dum ad infirmos, aut alias „ ſolemniter in Proceſſionibus defertur, „ aſſociaverit: vel aliquem a prava ad „ ſalutis viam reduxerit, ut puta ab hæ- „ reſi, blaſphemia, detractionibus: vel „ pacem cum inimicis compoſuerit: vel „ aliquod aliud, tam ſpirituale, quam „ temporale opus ad honorem Domini „ Noſtri Jeſu Chriſti, vel Glorio- „ ſiſſimæ Virginis Mariæ, aut alterius „ Sancti, pro omnique devotione, vel „ ad temporalem, aut ſpiritualem proxi- „ mi ſalutem operatus fuerit: & ter *Pa- „ ter Noſter*, & totidem *Ave Maria* re- „ citaverit; decem annorum Indulgen- „ tiam conſequatur. Qui diebus Statio- „ num Eccleſiarum Almæ Urbis, & extra „ illius muros abſens ab illa, confeſſus, & „ Sanctiſſima Communione refectus, ac „ ſecum Coronam ſibi ut præfertur tra- „ ditam habens, Eccleſiam ab ipſo pro „ ſua devotione eligendam viſitaverit: „ vel urgenti cauſa impeditus dictam Co- „ ronam, ac Septem Pſalmos Pœniten- „ tiales cum Litaniis, & ſeqq. ſuffragiis „ recitaverit; ducentorum annorum In- „ dulgentiam conſequatur: ac eandem „ etiam conſequantur ii, qui in Urbe ea- „ dem opera peregerint, ſi legitime im- „ pediti eaſdem Eccleſias viſitare nequi- „ verint. Denique quod omnes ſupradi- „ ctæ Indulgentiæ applicari poſſint ani- „ mabus Fidelium Defunctorum, quæ Deo „ in charitate conjunctæ ab hac luce mi- „ graverint, ſi ea intentione pro eis ore- „ tur, vel ſupradicta opera peragantur; „ auctoritate Apoſtolica tenore præſen- „ tium concedimus, & indulgemus. Præ- „ ſentibus, perpetuis futuris tempori- „ bus valituris.

„ §. 2. Volumus autem ut ſupradictæ „ Coronæ nemini poſſint vendi, nec com- „ modari: & ſi ſecus fiat, Indulgentiæ ſu- „ pradictæ ceſſent, nulliuſque ſint va- „ loris, & momenti. Sed circa eas De- „ cretum a fel. rec. Alexandro PP. VII. „ Prædeceſſore noſtro die 7. Februarii „ MDCLVII. editum omnino ſervetur. „ Utque earundem præſentium literarum „ tranſumptis, ſeu exemplis etiam im- „ preſſis, manu alicujus Notarii publici „ ſubcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccle- „ ſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, „ eadem prorſus fides in judicio, & ex- „ tra ubique habeatur, quæ ipſis præſen- „ tibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel „ oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Ma- „ riam Majorem ſub Annulo Piſcatoris „ die 20. Julii MDCLXXIV. Pontifica- „ tus noſtri anno quinto.

Annotandum eſt 1.° Coronam Domini ita vocari, quia trigintatria Patriloquia continet, ad recolendam trigintatrium annorum memoriam, quibus Unigenitus Dei Filius, noſtræ mortalitatis ſubſtantia ſibi in ſuppoſiti unitate ineffabili unione conjuncta, factus eſt nobis a Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemtio: eamque a Beato Michaele Eremita Camaldulenſi inſtitutam, primo a Leone X. deinde a Gregorio XIII. & Sixto V. Indulgentiarum muneribus fuiſſe decoratam; quas omnes de verbo ad verbum in ſupra allato Brevi inſertas confirmavit, imo de novo conceſſit, eaſque auxit Clemens X.

Annotandum eſt 2.° has Indulgentias fuiſſe a Benedicto XIII. confirmatas, ex voto Sacræ Congregationis Indulgentiis Sacriſque Reliquiis præpoſitæ, addita Plenaria pro recitantibus dictam Coronam ſingulis feriis ſextis; ut habetur ex ſequenti Decreto = *Die 6. Apr. MDCCXXVII. Sanctiſſimus confirmavit omnes Indulgentias in Brevi Sanctæ memoriæ Clementis X. dat. die 20. Julii MDCLXXIV. con-*

vententas : & inſuper conceſſit Indulgentiam Plenariam ſemel in anno pro iis, qui ſingulis feriis ſextis per integrum annum dictam Coronam recitaverint, in perpetuum. C. Archiepiſcopus Damiatæ.

§. XIV.

Breve Clementis XI. quo conceduntur Indulgentiæ Roſariis *ſeu* Coronis S. Birgittæ.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

„§. I. De ſalute gregis Dominici Divina diſpoſitione Nobis commiſſi ſollicite cogitantes, Chriſtifideles ſpiritualibus muneribus adjuvare non ceſſamus, ut eorum devotio ad Omnipotentis Dei cultum in dies magis augeatur. Cum itaque, ſicut dilectus Filius, modernus Procurator Generalis Ordinis Fratrum S. Birgittæ Nobis nuper exponi fecit, dilecti filii Fratres dicti Ordinis Coronas, quas vocant, ejuſdem S. Birgittæ, jampridem Fidelibus diſpenſare conſueverint; dictus vero Procurator Generalis ejuſmodi Coronas Indulgentiis ad ſpiritualem Fidelium conſolationem, & animarum ſalutem a Nobis decorari plurimum deſideret; Nos piis ipſius Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus ejuſdem nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitorum conſilio, omnes, & ſingulas Indulgentias eiſdem Coronis quomodolibet conceſſas (ſalvis tamen iis ejuſmodi Coronis a fel. rec. Leone Papa X. Prædeceſſore noſtro per quaſdam ſuas desuper ſub plumbo 6. Idus Julii MDXV. expeditas literas conceſſis) harum ſerie revocantes; omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui quotidie per integrum annum prædictam Coronam, dummodo ſit ſaltem quinque decadum, recitaverint: & ſubinde vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Plenariam ſemel in anno, die per unumquemque ex eis eligenda, omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam etiam animabus Chriſtifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicare poſſint, miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

„§. 2. Præterea declaramus, quod Superiores duntaxat Monaſteriorum, ſeu Religioſi prædicti Ordinis, qui ab illis ad id ſpecialiter deputati fuerint, Coronas hujuſmodi benedicendi facultatem habeant. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

„§. 3. Volumus autem, ut ſupradictæ Coronæ nemini poſſint vendi, nec commodari: & ſi ſecus fiat, Indulgentia ſupradicta ceſſet, nulliuſque ſit roboris, vel momenti. Utque earundem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 22. Septembris MDCCXIV. Pontificatus noſtri anno decimo quarto.

Brevi

§. XV.

Breve Benedicti XIII. quo conceduntur Indulgentiæ recitantibus Coronas Septem Dolorum Beatæ Virginis Mariæ.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ §. 1. REdemtoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti vices, licet immeriti, gerentes in terris, ſpiritualium munerum Theſauros, quorum diſpenſatores a Domino conſtituti ſumus, libenter erogamus; ſicut ad fovendam, & incitandam Fidelium devotionem ſalubriter expedire, in Domino arbitramur. Cum itaque, ſicut dilecti Filii moderni Prior Generalis, & Procurator Generalis Ordinis FF. Servorum B.M.V. Nobis nuper exponi fecerunt, in dicto Ordine juxta illius Inſtitutum, & laudabilem, ac antiquiſſimam conſuetudinem in recordationem ſeptem principalium Dolorum, quos Beatiſſima Virgo Maria Patrona, & Advocata noſtra in Unigeniti ſui Filii vita, & obitu paſſa fuit, Corona eorundem Septem præcipuorum Dolorum e ſeptem ſeptenariis Angelicarum Salutationum, ſeptemque Dominicis Orationibus, una cum tribus aliis *Ave Maria*, in honorem lacrymarum ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis compoſita, recitari conſueverit, eaque occaſione præfati etiam Dolores explicentur, & meditentur; Nos ad augendam Chriſtifidelium devotionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ Theſauris pia charitate intenti; ac Supplicationibus eorundem Prioris Generalis, & Procuratoris Generalis, Nobis, ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati: omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ſeu firmum confitendi propoſitum habentes, in ſingulis feriis ſextis cujuslibet Hebdomadæ, Quadrageſima, & Feſtivitate Septem Dolorum ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis, ejuſque tota Octava; necnon in Eccleſiis Ordinis prædicti, Coronam Septem Dolorum ejuſmodi devote recitaverint; ducentos dies pro qualibet Oratione Dominica, & totidem pro quavis Salutatione Angelica: in reliquis vero totius anni diebus, centum dies: iis autem, qui per ſe ipſos, aut cum Socio, vel Familiari, ejuſmodi Coronam integre itidem recitaverint; ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præterea prædictis Chriſtifidelibus, qui quotidie per integrum annum memoratam Coronam pariter recitaverint, & ſubinde vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti pro Chriſtianorum Principum Concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Plenariam ſemel in anno, die per unumquenque ex eis eligenda, lucrifaciendam, omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam etiam animabus Chriſtifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicare poſſint, miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

„ §. 2. Volumus autem, quod Superiores Conventuum, ſeu Religioſi prædicti Ordinis, qui ab illis ad id ſpecialiter deputati fuerint, Coronas hujuſmodi benedicendi facultatem habeant: & ut ſupradictæ Coronæ nemini poſſint vendi, nec commodari: & ſi ſecus fiat, Indulgentiæ ſupradictæ ceſſent, nulliuſque ſint roboris, vel momenti; ſed circa eas Decretum a fel. rec. Alexandro Papa VII. Prædeceſſore noſtro die 6. Februarii MDCLVII. editum omnino ſervetur. Utque earundem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii Publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhi-

„ be-

» beretur ipſis præſentibus, ſi forent » exhibitæ, vel oſtenſæ.

» Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, » die 26. Septembris MDCCXXIV. Pontificatus noſtri Anno primo.

Annotandum eſt recitantes Coronas *Septem Dolorum Beatæ Virginis Mariæ* aliis gaudere Indulgentiis ex conceſſione Clementis XII. ut habetur ex ejus Conſtitutione incipiente: *Unigeniti Filii Dei*, edita ſub die 12. Decembris anno MDCCXXXIV. ibi = *Inſuper, ut Chriſtianus Populus ad Dei cultum ſub ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis auſpiciis ferventius accendatur, quaſcunque Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes, Coronam, quæ in ſeptem principalium Dolorum, quos eadem Beata Maria Virgo in Unigeniti Filii ſui vita, & obitu paſſa fuit, recordationem, ex ſeptem ſeptenariis Angelicarum Salutationum, ſeptemque Dominicis Orationibus, necnon tribus aliis Salutationibus Angelicis in honorem Lacrymarum ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis, cum peculiari Dolorum hujuſmodi explicatione, & meditatione compoſita exiſtit, pie recitantibus ab eodem Benedicto Prædeceſſore per ſuas Literas Apoſtolicas etiam in forma Brevis ſub die 26. Menſis Septembris Pontificatus ſui Anno primo expeditas & incipientes: Redemtionis Domini &c. conceſſas, & impartitas, & in earum Summario Typis impreſſo contentas (illis tamen exceptis, quæ in Paragrapho Quinto ejuſdem Summarii continentur, quæque tantummodo per Nos revocatæ, & abrogatæ cenſeantur) dicta Apoſtolica auctoritate ſimiliter perpetuo confirmantes, & approbantes. Omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui etiam vere pœnitentes, & confeſſi, ſeu firmum confitendi propoſitum habentes præfatam Coronam ab aliquo ex Fratribus dicti Ordinis mediate, vel immediate receptam pie, & devote recitaverint, quoties id egerint, centum annos: illis vero, qui Coronam præfatam, ut præfertur, receptam ſecum ferentes, illam ſingulis ſecundis, quartis, & ſextis feriis, ac de præcepto Eccleſiæ Feſtis diebus etiam devote recitaverint: & ſubinde etiam vere pœnituerint, & confeſſi fuerint; centum quinquaginta annos: & eiſdem Chriſtifidelibus, qui conſcientiæ ſuæ examine rite peracto, etiam vere pœnitentes, & confeſſi præfatam Coronam etiam devote recitaverint: & pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, ac Catholicæ Religionis augmento pias ad Deum preces effuderint; ducentos annos: eiſdemque Chriſtifidelibus pariter vere pœnitentibus & confeſſis, ac Sacra Communione præfata etiam refectis, ac Coronam præfatam frequenter recitare, ſecumque deferre ſolitis, quoties ipſi Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio, aut ſacris Concionibus debita cum attentione interfuerint: aut ipſum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, aſſociaverint: ſive devium aliquem ab hæretica pravitate, aut blaſphemia, ſeu a detractionis culpa, aut alias ad viam ſalutis reduxerint: ſive pacem cum inimicis propriis, vel alienis compoſuerint: aut ſepties Orationem Dominicam, & totidem Salutationes Angelicas præfatas devote recitantes, aliquod aliud ſpiritualis, vel corporalis miſericordiæ opus in eorumdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Beatæ Mariæ Virginis, ſive alterius Sancti eorum Patroni honorem egerint; decem annos reſpective de injunctis eis, aut alias, ut præfertur, debitis pœnitentiis etiam in forma Eccleſiæ conſueta ſimiliter miſericorditer in Domino relaxamus. Necnon eiſdem utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui quater in qualibet hebdomada memoratam Coronam recitare ſoliti fuerint, die per unumquemque ex eis eligenda vere pœnitentes, & confeſſi præfatum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, & ipſam Coronam devote recitaverint; ſemel in anno: ac præfatis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui per integrum Menſem præfatam Coronam quotidie recitaverint: & deinde vere pœnitentes & confeſſi, dictaque Sacra Communione refecti pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, Chriſtianorum Principum pace, & concordia, ac hæreſum extirpatione pias ad Deum preces effuderint: & quoad Fratres, & Mo-*

Monialeſ, ſi ipſi integram Coronam præfatam recitare nequeuntes (in caſu tamen veræ impotentiæ tantum) aliquem Hymnum ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis recitaverint; reſpective Plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum Indulgentiam, et remiſſionem etiam perpetuo concedimus, et impartimur.

§. XVI.

Breve Innocentii XI. quo conceduntur Indulgentiæ Crucibus, Coronis, & Roſariis Terræ Sanctæ.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ UNigeniti Dei Filii, & Domini „ Noſtri Jeſu Chriſti, qui e Sinu „ Patris deſcendit in terram, & cadu„ cam humanæ carnis fragilitatem ineffa„ bili clementia induens pro humani ge„ neris redemtione ſe ipſum exinanivit „ factus obediens uſque ad mortem, vi„ ces, nullo licet meritorum noſtrorum „ ſuffragio, gerentes in terris, tanti & „ tam ſalubris Myſterii ſacra monumen„ ta, quæ in Civitate Hieruſalem, aliiſ„ que locis Terræ Sanctæ conſervantur, „ ſincera devotione recolimus: piamque „ fidelium erga illa venerationem ſpiri„ tualium gratiarum, quarum diſpenſa„ tio nobis a Domino credita eſt, largi„ tionibus fovere, atque incitare ſtude„ mus, & alias deſuper diſponimus: „ ſicut omnibus matura conſideratione „ perpenſis, ad Chriſtiani Populi ædifica„ tionem, Eccleſiæque utilitatem ſalubri„ ter expedire in Domino arbitramur.

„ §. 1. Cum itaque, ſicut Nobis nuper „ exponi fecit dilectus filius Petrus Ma„ rinus Sormanus Miniſter Generalis Or„ dinis S. Franciſci Fratrum Minorum de „ Obſervantia nuncupatorum, ſuper In„ dulgentiis, & peccatorum remiſſioni„ bus, quæ a pluribus Romanis Pontifi„ cibus Prædeceſſoribus Noſtris conceſſæ „ fuiſſe aſſeruntur iis, qui penes ſe habue„ rint Cruces, Coronas, Roſaria, vel „ grana ex lignis ejuſdem Terræ Sanctæ „ confecta, variæ exortæ fuerint dubita„ tiones: adeout ex illis aliquæ apocry„ phæ & ſuppoſititiæ exiſtimentur: ac „ propterea idem Petrus Marinus Mini„ ſter Generalis, ut omnes inpoſterum „ hac in re controverſiæ præcidantur, plu„ rimum cupiat opportune in præmiſſis a „ Nobis provideri; Nos piis ipſius Petri „ Marini Miniſtri Generalis votis, quan„ tum cum Domino poſſumus, favorabi„ liter annuere volentes, ipſumque a qui„ buſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus „ ejus nomine Nobis &c. inclinati; de „ Venerabilium Fratrum Noſtrorum San„ ctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ne„ gotiis propagandæ Fidei præpoſito„ rum, qui hujuſmodi rem juſſu noſtro „ mature diſcuſſerunt, conſilio, omnes „ & quaſcunque Indulgentias, ſeu pec„ catorum remiſſiones, ac pœnitentiarum „ relaxationes, quæ pro Crucibus, Co„ ronis, Roſariis & granis præfatis dictæ „ Sanctæ Terræ in perpetuum, ſeu ad „ tempus nondum elapſum Apoſtolica, „ vel alia quavis auctoritate quomodo„ cunque, ac quandocunque conceſſæ „ fuiſſe dicuntur, harum ſerie, quatenus „ opus ſit, perpetuo revocantes & annul„ lantes. Omnibus & ſingulis utriuſque „ ſexus Chriſtifidelibus, quandiu Cruces, „ Coronas, aut Roſaria duntaxat, quæ „ loca Terræ Sanctæ hujuſmodi, ſacraſ„ que reliquias ibi exiſtentes tetigerunt, „ penes ſe habuerint; in cujuſlibet eorum „ mortis articulo, ſi vere pœnitentes & „ confeſſi, Sacraque Communione refe„ cti, vel quatenus id facere nequiverint, „ ſaltem contriti Nomen Jeſu ore ſi po„ tuerint, ſin minus corde devote invo„ caverint, Plenariam. Præterea eiſdem, „ ſi ſemel ſaltem in hebdomada, aut Offi„ cium Divinum Ordinarium, aut Beatiſ„ ſimæ Virginis Mariæ, aut Defunctorum, „ aut ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, aut „ Graduales, aut Coronam Domini, vel „ ejuſdem Beatiſſimæ Virginis, aut ter„ tiam partem Roſarii recitare: aut Chri„ ſtianam Doctrinam docere: aut infir„ mos alicujus Hoſpitalis, vel detentos in „ carcere viſitare: ſeu pauperibus Chri„ ſti ſubvenire: vel Sacroſancto Miſſæ

„ Sa-

„ Sacrificio intereſſe: vel illud, ſi ſint Sa-
„ cerdotes, celebrare conſueverint: ac
„ vere ſimiliter pœnitentes, & confeſſi
„ Sacerdoti ab Ordinario approbato San-
„ ctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum
„ ſumſerint in aliquo ex diebus infraſcrip-
„ tis: nempe Nativitatis, Epiphaniæ
„ Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, feſti
„ Sanctiſſimæ Trinitatis, Corporis Chriſti:
„ Purificationis, Annunciationis, Aſſum-
„ tionis, & Nativitatis Beatæ Mariæ Vir-
„ ginis: Nativitatis Sancti Joannis Bap-
„ tiſtæ, Sanctorum Petri & Pauli, An-
„ dreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Phi-
„ lippi & Jacobi, Bartholomæi, Mat-
„ thæi, Simonis & Judæ, ac Matthiæ Apo-
„ ſtolorum & omnium Sanctorum: atque
„ eo die pias ad Deum preces effuderint
„ pro hæreſum & ſchiſmatum extirpatione,
„ pro fidei Catholicæ propagatione, Chri-
„ ſtianorum Principum concordia, atque
„ aliis Sanctæ Matris Eccleſiæ neceſſitati-
„ bus; in ſingulis diebus hujuſmodi Plena-
„ riam pariter omnium peccatorum ſuo-
„ rum Indulgentiam, & remiſſionem mi-
„ ſericorditer in Domino concedimus.
„ Præmiſſa autem peragentibus in aliis
„ quidem diebus feſtis Domini Noſtri
„ Jeſu Chriſti, vel Beatæ Mariæ Virginis;
„ ſeptem annos, & totidem quadrage-
„ nas: in quocunque die Dominico, ſeu
„ alio anni feſto; quinque annos, & toti-
„ dem quadragenas: in quolibet vero
„ alio anni die centum dies: ſimiliter iis,
„ qui detentos in carcere, vel infirmos
„ alicujus Hoſpitalis viſitaverint, eis ali-
„ quo pio opere ſubveniendo: aut Do-
„ ctrinam Chriſtianam in Eccleſia, vel
„ domi proprios filios, conſanguineos,
„ vel famulos docuerint, quoties hæc fe-
„ cerint; ducentos dies. Illis inſuper,
„ qui campanæ alicujus Eccleſiæ ad id da-
„ to ſigno, ſive matutino, ſive meridiano,
„ ſive veſpertino conſuetas preces: An-
„ gelus Domini &c. vel ſi eas ignorave-
„ rint, ſemel Orationem Dominicam, &
„ ſemel etiam Salutationem Angelicam:
„ aut pariter dato ſimili ſigno pro defun-
„ ctis Pſalmum Deprofundis, vel ſi illud
„ neſciverint, ſemel Orationem Domini-
„ cam, & ſemel Salutationem Angelicam
„ præfatas recitaverint: quive feria ſexta
„ cujuslibet hebdomadæ Paſſionem, &
„ Mortem Domini Noſtri Jeſu Chriſti de-
„ vote meditati fuerint, ac ter eo die
„ Orationem Dominicam, & toties Salu-
„ tationem Angelicam ſupradictas dixe-
„ rint: vel qui cum vero dolore de pec-
„ catis, & ſtabili emendationis propoſi-
„ to conſcientiam ſuam examinaverint,
„ ac ter Orationem Dominicam, & toties
„ Salutationem Angelicam præfatas, ſive
„ ter etiam illas in honorem Sanctiſſimæ,
„ & individuæ Trinitatis, aut quinquies
„ utramque in memoriam quinque Pla-
„ garum Domini Noſtri Jeſu Chriſti de-
„ vote recitaverint: aut demum, qui ſe-
„ mel ſaltem in hebdomada Coronam,
„ ſeu Roſarium, aut Officium Beatæ Ma-
„ riæ Virginis, ſeu Defunctorum, ſeu
„ Veſperas, & unum ſaltem Nocturnum
„ cum Laudibus, aut ſeptem Pſalmos Pœ-
„ nitentiales cum Litaniis, & Precibus
„ recitare conſueverint, quo die hæc fe-
„ cerint; ultra Indulgentias & peccato-
„ rum remiſſiones, & pœnitentiarum
„ relaxationes a fel. rec. Pio Papa V. Præ-
„ deceſſore noſtro iis, qui præmiſſa pe-
„ regerint, conceſſas, centum dies. Iis
„ quoque, qui ante Miſſæ celebrationem,
„ ſeu Sacram Communionem, ſeu recita-
„ tionem Officii Divini Ordinarii, vel Bea-
„ tæ Mariæ Virginis aliquam recitatio-
„ nem præparatoriam fecerint; quoties
„ id egerint: vel qui pro fidelibus in ex-
„ tremo vitæ agone conſtitutis devote
„ oraverint, aut pro illis ſemel ſaltem
„ Orationem Dominicam, aut Salutatio-
„ nem Angelicam dixerint, quo die id
„ fecerint; quinquaginta dies de injun-
„ ctis eis, aut alias quomodolibet debitis
„ pœnitentiis miſericorditer in Domino,
„ dicta auctoritate, tenore præſentium
„ relaxamus. Poſtremo eiſdem, ut om-
„ nes & ſingulas Indulgentias, & pecca-
„ torum remiſſiones præfatas animabus
„ Chriſtifidelium, quæ Deo in charitate
„ conjunctæ ab hac luce migraverint, per
„ modum ſuffragii applicare poſſint, ea-
„ dem auctoritate, harum ſerie concedi-
„ mus & indulgemus. In contrarium fa-
„ cientibus non obſtantibus quibuſcun-
„ que. Præſentibus perpetuis futuris tem-
„ poribus valituris.

„ §. 2. Volumus autem, ut earundem
„ præſentium literarum tranſumptis, ſeu
„ exemplis etiam impreſſis, manu alicu-
„ jus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo

„ perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 28. Januarii MDCLXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

§. XVII.

Breve Benedicti XIII., quo confirmatur Summarium Indulgentiarum conceſſarum Crucibus, Roſariis, Numiſmatibus, & Coronis benedictis ab Abbate Montis-Serrati Congregationis Valliſoletanæ Ordinis S. Benedicti.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ PIis Orthodoxorum Principum de Eccleſia Dei multis nominibus optime meritorum ſtudiis paterna charitate libenter obſecundamus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, bonorumque operum incrementum, & Chriſtifidelium devotionem ad pietatis opera incitandam & confovendam ſalubriter in Domino expedire arbitramur.

„ §. 1. Pro parte ſiquidem Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, & Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ Eliſabethæ earundem Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ Conjugum Nobis nuper expoſitum fuit, quod alias Summarium Indulgentiarum Crucibus, Numiſmatibus, Roſariis, & Coronis a pro tempore exiſtente Abbate Monaſterii Montis-Serrati Congregationis Valliſoletanæ Ordinis S. Benedicti in Cathalaunia benedictis conceſſarum, de mandato Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitorum, per ſex Conſultores ad id ſpecialiter deputatos confectum, & ab eadem Congregatione Cardinalium recognitum, & approbatum fuit, tenoris, qui ſequitur videlicet.

§. 2. *Sommario dell' Indulgenze date alle Croci, Roſarii, e Medaglie benedette dall' Abbate del Monaſtero della Madonna di Monſerrato in Spagna.*

„ LA Santità di Noſtro Signore Papa Benedetto XIII. doppo aver udito il voto della Sacra Congregazione dell' Indulgenze, e Reliquie, concede alle Croci, Roſarii, e Medaglie benedette dall' Abbate del Monaſtero della Madonna di Monſerrato le ſeguenti Indulgenze.

„ Primo. Chi ſarà ſolito dire una volta la ſettimana la Corona del Signore, ò della Madonna, ò il Roſario, ò la terza parte, ò l' Uffizio Divino, ò il piccolo della Madonna, ò de' Morti, ovvero i ſette Salmi Penitenziali, ò Graduali: ovvero averà per uſanza d' inſegnare la Dottrina Criſtiana: ò viſitare i carcerati, ò gl' infermi di qualche Spedale: ò di ſovvenire i poveri: ò d' intervenire alla Meſſa, ò dirla eſſendo Sacerdote; ſe veramente pentito, e confeſſatoſi da Confeſſore approvato dall' Ordinario, ſi communicarà in qualſivoglia degl' infraſcritti giorni: cioè Natale del Signore, Epifania, Reſurrezione, Aſcenzione, Pentecoſte, feſte della Santiſſima Trinità, e Corpus Domini: feſte della Purificazione, Concezione, Annunciazione, Aſſunzione, e Natività della Beatiſſima Vergine: nel dì primo Novembre feſta di tutti i Santi, e nel giorno feſtivo di S. Benedetto: e divotamente pregherà Dio per l' eſtirpazione dell' Ereſie, e degli Sciſmi, per l' aumento della Fede Cattolica, per la pace, e concordia de' Prencipi Criſtiani, e per altri biſogni di S. Chieſa; in eſſo giorno acquiſti la remiſſione di tutti i ſuoi peccati, e l' Indulgenza Plenaria.

„ Secondo. Chi ſarà le ſteſſe coſe nell' altre feſte del Signore, della Beatiſſima Vergine, nelle feſte de' Santi

„ Apo-

„ Apoſtoli, di S. Giuſeppe, e de' Santi „ Mauro, Placido, Scolaſtica, e Geltru- „ da dell'Ordine di S. Benedetto; in „ ciaſcuno di detti giorni conſeguirà ſette „ anni, e altrettante quarantene d'In- „ dulgenza.

„ Terzo. Chi farà ſolito dire una, ò „ più volte il giorno: Benedetta ſia la „ Puriſſima, & Immacolata Concezione; „ guadagni per una volta il giorno qua- „ ranta giorni d'Indulgenza.

„ Quarto. Ciaſcuno, che dirà il Ro- „ ſario, ò Corona della Madonna in ono- „ re della ſua Puriſſima, ed Immacolata „ Concezione, pregandola, che interce- „ da appreſſo il ſuo Divino Figliuolo, ac- „ ciò viva, e muoja ſenza peccato morta- „ le; conſegua ſett'anni d'Indulgenza.

„ Quinto. Chi farà ogni giorno ora- „ zione per l'eſtirpazione dell'Ereſia; „ conſegua ogni ſettimana vent'anni d'In- „ dulgenza.

„ Seſto. Ciaſcuno, che la ſera prima „ d'andar'a dormire farà l'eſame della „ ſua coſcienza, e dirà cinque volte il „ Pater Noſter, e l'Ave Maria con pro- „ poſito di confeſſarſi; conſegua un'an- „ no d'Indulgenza: ed eſſendo confeſſato, „ e communicato in quel giorno ne con- „ ſegua dieci anni.

„ Settimo. Ciaſcuno, che moſſo dalla „ divozione, che porta a S. Giuſeppe, „ S. Benedetto, S. Mauro, S. Scolaſtica, „ e S. Geltruda dirà il Salmo: Miſerere „ mei Deus &c. ò cinque volte il Pa- „ ter Noſter, & Ave Maria, chiedendo, „ che Dio Signor Noſtro, per la loro in- „ terceſſione, conſervi la ſua Chieſa, ed „ a lui dia buona morte; conſegua cento „ giorni d'Indulgenza.

„ Ottavo. Chi farà ſolito una volta „ almeno la ſettimana dire la Corona, ò „ il Roſario, ò l'Uffizio della Madonna, „ ò de' Morti, ò i Veſpri, ed un Nottur- „ no almeno con le Laudi, ò i ſette Salmi „ Penitenziali colle Litanie, e ſue Preci: „ ò per divozione del Santiſſimo Nome „ di Gesù, ò delle cinque Piaghe dirà „ cinque volte il Pater Noſter: ò per di- „ vozione del Nome della Madonna cin- „ que volte l'Ave Maria, ò l'Antifona: „ *Sub tuum Præſidium &c.* con qualſi- „ voglia orazione approvata della Ma- „ donna; guadagni in quel giorno, che „ ciò dirà, cento giorni d'Indulgenza.

„ Nono. Chi farà qualunque ſorte „ d'orazione preparatoria avanti di ce- „ lebrare la Meſſa, ò communicarſi, ò di „ recitare l'Uffizio del Signore, ò della „ B. V.; conſeguirà ogni volta cinquanta „ giorni d'Indulgenza.

„ Decimo. Chi viſitarà i carcerati, ò „ gl'infermi degli Spedali, ajutandoli „ con qualche opera pia: ovvero in Chie- „ ſa inſegnando la Dottrina Criſtiana, ò „ in caſa a proprj figliuoli, parenti, ò ſer- „ vitori; oltre l'Indulgenze per ciò con- „ cedute da altri Sommi Pontefici, gua- „ dagni ogni volta ducento giorni d'In- „ dulgenza.

„ Undecimo. Chi nel giorno di Ve- „ nerdì penſarà divotamente alla Paſſio- „ ne, e Morte di Gesù Criſto Signor No- „ ſtro, e dirà trè volte il Pater Noſter, „ e l'Ave Maria; in quel giorno guada- „ gni cento giorni d'Indulgenza.

„ Duodecimo. Chi accompagnerà di- „ votamente il Santiſſimo Sagramento, „ quando è portato per viatico agl'Infer- „ mi; oltre l'Indulgenze, che per ope- „ ra così pia hanno date altri Sommi Pon- „ tefici, acquiſti ſett'anni d'Indulgenza.

„ Decimoterzo. Chi per divozione „ della Paſſione di Gesù Criſto Signor „ Noſtro digiunerà li Venerdì dell'anno, „ ò per divozione della Madonna li Sab- „ bati; guadagnerà per ogn'uno delli „ ſudetti giorni Indulgenza di ſett'anni, „ e ſette quarantene: e quei, che confeſ- „ ſati, e communicati averanno eſercita- „ to per tutto l'anno la predetta divo- „ zione l'Indulgenza Plenaria; quale „ goderanno quelli, che morendo den- „ tro l'anno, averanno avuta intentione „ di compirla.

„ Decimoquarto. Chi dirà trè volte „ il Pater Noſter, e l'Ave Maria per li „ Fedeli, che ſono in tranſito; conſe- „ gua quaranta giorni d'Indulgenza.

„ Decimoquinto. Chi col ſuo buon „ eſempio, ò conſiglio ridurrà a peniten- „ za qualche Peccatore; conſegua il per- „ dono della terza parte delle pene do- „ vute a ſuoi peccati.

„ Decimoſeſto. Chi ſi confeſſerà, e „ communicarà nelli giorni di Giovedì „ Santo, e Paſqua: e pregherà S. D. M. „ per l'eſaltazione della S. Madre Chie-

„ ſa,

„ ſa, e conſervazione del Sommo Ponte-„ fice; conſegua l' Indulgenza, che Sua „ Santità concede in detti giorni nella „ Benedizione, che dà publicamente al „ Popolo.

„ Decimoſettimo. Chi udirà, ò dirà „ la Santa Meſſa ſe è Sacerdote: e pregarà „ rà per la proſperità de' Prencipi Cri-„ ſtiani, e per la tranquillità de' Stati lo-„ ro; guadagni l' Indulgenza di ſett'an-„ ni, e ſette quarantene.

„ Decimottavo. Chi pregherà per la „ conſervazione, e l' aumento della Re-„ ligione di S. Benedetto; ſarà partecipe „ di tutte quelle opere buone, che ſi fan-„ no in eſſa Religione.

„ Decimonono. Qualſivoglia, che per „ infermità, ò altro impedimento legi-„ timo non potrà ſentire, ò dir Meſſa, ò „ recitare l' Uffizio Divino, ò di Noſtra „ Signora, ò fare altri eſercizj di virtù „ preſcritti, per conſeguire le ſudette „ Indulgenze; le conſeguirà, dicendo „ in luogo di eſſi trè Pater Noſter, e trè „ Ave Marie, ed una Salve Regina, ed al „ fine di eſſa dirà: Benedetta ſia la San-„ tiſſima Trinità, e lodato ſia il Santiſſi-„ mo Sagramento, e la Puriſſima Con-„ cezione della Santiſſima Vergine Ma-„ ria conceputa ſenza peccato originale; „ con condizione però, che ſia confeſſa-„ to, e communicato, ò almeno ſia con-„ trito nel cuore, con proponimento di „ confeſſarſi.

„ Vigeſimo. Qualunque nell' artico-„ lo di morte, avendo ricevuti li Sagra-„ menti, ò non avendoli ricevuti per al-„ cun impedimento, ſarà contrito, di-„ cendo Gesù, e Maria col cuore, non „ potendo colla bocca; guadagni Indul-„ genza Plenaria di tutti i ſuoi peccati.

„ Vigeſimoprimo. Tutte l' Indulgen-„ ze dette di ſopra può ciaſcheduno gua-„ dagnarle per ſe, ò pure applicarle per „ l' Anime del Purgatorio.

„ Commanda Sua Santità, che nella „ diſtribuzione, ed uſo di queſte Meda-„ glie, e Corone &c. ſi oſſervi il Decre-„ to della felice memoria di Aleſſan-„ dro VII. ſtampato ſotto lì 6. Febraro „ 1657. cioè che le Medaglie, Coro-„ ne &c. benedette colle ſopradette In-„ dulgenze non paſſino la perſona di „ quelli, a' quali ſaranno concedute, ò „ à quali da queſti ſaranno diſtribuite per „ la prima volta: e che non poſſino pre-„ ſtarſi ad altri, ò darſi precariamente; „ altrimenti perdano l' Indulgenza, che „ hanno: e che perdendoſene una, non „ ſe ne poſſa ſoſtituire in ſuo luogo un'al-„ tra, non oſtante qualunque conceſſio-„ ne, o privilegio in contrario.

„ In oltre dichiara, che ſe qualche-„ duna delle ſudette Croci, Corone, Ro-„ ſari, o Medaglie ſi perdeſſe, non ſe ne „ poſſa ſoſtituire un' altra, che non ſia „ ſtata benedetta dall' Abbate di Monſer-„ rato.

„ Proibiſce di più, che per queſte „ Croci, Corone, Roſarj, o Medaglie „ non ſi poſſa prendere qualunque mini-„ ma coſa, ſotto pena della perdita di „ tutte l' Indulgenze, e d' altre pene Ca-„ noniche da darſi da' Veſcovi, o dall' In-„ quiſitori della Fede, a' Queſtori, o „ altri, che rendono venali le coſe Sa-„ gre.

„ Dichiara ancora la Santità di Noſtro „ Signore, che tutte le altre Indulgen-„ ze, e grazie, che ſi aſſeriſcono conce-„ dute a dette Medaglie, Croci, e Coro-„ ne, le quali non ſono contenute eſpreſ-„ ſamente nel preſente Sommario, ſiano „ nulle, e dalla Santità Sua eſpreſſamen-„ te revocate.

„ Dato lì 2. Gennaro 1727. L. Cardi-„ nal Pico Prefetto. Loco ✠ ſigilli. „ Raffaelle Coſimo Girolami Segretario.

„ §. 3. Cum autem, ſicut eadem expo-„ ſitio ſubjungebat, dicti Philippus Rex, „ & Eliſabetha Regina Summarium hu-„ juſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia „ Apoſtolicæ confirmationis noſtræ pa-„ trocinio communiri ſummopere deſi-„ derent; Nos laudabilia eorundem Phi-„ lippi Regis, & Eliſabethæ Reginæ erga „ res Sacras ſtudia plurimum in Domino „ commendantes, piiſque eorum precibus „ favorabiliter annuere paterna benigni-„ tate cupientes, de memoratorum Car-„ dinalium conſilio præinſertum Summa-„ rium Indulgentiarum auctoritate Apo-„ ſtolica tenore præſentium approbamus, „ & confirmamus, illique inviolabilis „ Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. „ Præterea nunc & pro tempore exiſtenti „ Præſidenti, ſeu Superiori prædicti Mo-„ naſterii, abſente, vel impedito illius

„ Ab-

„ Abbate Cruces, Roſaria, Numiſmata,
„ & Coronas hujuſmodi benedicendi facultatem, auctoritate, & tenore prædictis concedimus & impartimur: ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

„ §. 4. Decernentes ipſas præſentes Literas ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari. Sicque & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

„ §. 5. Volumus autem, ut præſentium Literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus Literis haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 21. Martii MDCCXXIX. Pontificatus noſtri anno quarto.

Annotandum eſt eaſdem fere Indulgentias, quas vidimus in Brevi Benedicti XIII. approbatas, ad preces R. P. D. Bennonis Lubel liberi, & exemti Monaſterii Brzeunovienſis Abbatis, Walſtadii Præpoſiti, Regni Bohemiæ Prælati infulati, ac per eandem Bohemiam, Moraviam, & Sileſiam Viſitatoris perpetui, ex voto Sacræ Congregationis Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ, conceſſiſſe SS. D. N. BENEDICTUM XIV. *Numiſmatibus* ſeu *Crucibus S. Benedicti* nuncupatis per Monachos Ordinis ejuſdem S. Benedicti Bohemiæ, Moraviæ & Sileſiæ benedictis: earumque Summarium ab eadem Sacra Congregatione fuiſſe approbatum ſub die 21. Apr. ann. MDCCXLII.

§. XVIII.

Breve Benedicti XIII., quo confirmantur nonnullæ Indulgentiæ pro Minoribus, aliiſque eis ſubjectis pium exercitium Viæ Crucis *peragentibus: ipſæque Indulgentiæ quibuſcunque aliis conceduntur.*

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

„ Inter plurima, & maxima ſigna immenſæ erga nos Dei bonitatis ubique occurrentia, ſummam, & admirabilem ejus in humanum genus charitatem declarat æterni ejuſdem Filii Jeſu Chriſti Paſſionis inexplicabile Sacramentum, quo erepti ſumus ex faucibus tenebrarum. Hinc Romani Pontifices anteceſſores noſtri eandem Paſſionem memoria recolentibus, Apoſtolicas Indulgentias, & gratias donare conſueverunt: quas ad pios Chriſtifideles in Dominicæ Paſſionis contemplatione ſeſe exercentes a Nobis extendi, & confirmari, ut Chriſtiana religio in hominum cordibus augeatur, plurimum in Domino expedire putamus.

„ §. 1. Eapropter dilectus Filius Frater Joſephus Maria ab Ebora Procurator Generalis Ordinis Minorum Beati Franciſci, qui de Obſervantia nuncupantur, petitionem nuper exhibendam Nobis curavit: qua continebatur, Fratres ejuſdem Ordinis pium exercitium, Viæ Crucis appellatum, quo tota Dominicæ Paſſionis ſeries pictis tabulis, ubi commode fieri poſſet, expreſſa, inque plures ſtationes diſtributa, eo modo, quo peregrini Civitatis Sanctæ Hieruſalem loca ipſa, ubi Chriſtus paſſus eſt, recolentes, & frequentantes in-

„ vi-

„ viſunt, contemplanda proponeretur, in varias Chriſtianorum provincias magno animarum fructu intuliſſe: ac piæ recordationis Anteceſſorem Noſtrum Innocentium Papam XII. hujuſmodi exercitium largitione cæleſtium munerum promoviſſe per literas Apoſtolicas in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris incipientes: *Ad ea, per quæ &c.* Romæ datas apud Sanctam Mariam Majorem die 24. Decembris anno MDCXCII. Pontificatus ſecundo: ubi inter alia omnibus, & ſingulis Fratribus, & Monialibus, atque aliis utriuſque ſexus perſonis Ordinum, & Congregationum Obedientiæ, ſeu directioni Miniſtri Generalis Fratrum Minorum de Obſervantia ſubjectis Chriſtifidelibus Confratribus, & Consororibus quarumcunque Confraternitatum, & Societatum, ſive ſub titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ; ſive ſub alia qualibet invocatione, in eorundem Fratrum, & Monialium Eccleſiis canonice erectarum, ſive erigendarum, orationi mentali, quæ dicitur viæ Crucis exercitium, quo ratione ſuæ Regulæ, & Conſtitutionum quotidie tenentur, operam dantibus; pro qualibet vice dierum centum: por duos quadrantes vero continuatos, vel ſaltem per quadrantem horæ ſingugulis diebus, perque totum menſem, orationi, & exercitio hujuſmodi vacantibus, dummodo vere poenitentes, & peccata ſua confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſiſſent: proque Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Marris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces fudiſſent; ſemel quolibet menſe Plenariam peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem (quam per modum ſuffragii Animabus Chriſtifidelium Deo in charitate conjunctis ex hac vita migrantibus applicare poſſent) Apoſtolica auctoritate perpetuis futuris temporibus miſericorditer conceſſit.

„ §. 2. Poſtmodum dictus Innocentius Anteceſſor per alias Apoſtolicas literas incipientes: *Sua Nobis*, ſub Plumbo Romæ datas apud Sanctam Mariam Majorem 7. Calendas Januarias anno Dominicæ Incarnat. MDCXCV. Pontificatus quinto inter alia Decretum Ven. Fratrum Suorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, diei 12. Novembris anni MDCXCV., per ſe die 15. ejuſdem menſis approbatum declaraverat: pia loca Viæ Crucis, ſeu Calvarii ad recolendam, & meditandam Chriſti Paſſionem a prædictis Fratribus, & Monialibus, aliiſque perſonis, adinſtar Stationum Calvarii Montis erecta, atque inſtituta in privilegiorum atque Indulgentiarum Plenariarum nondum revocatarum generali, mutua, & reciproca communicatione, per Apoſtolicam Sedem conceſſa. & Literis piæ memoriæ Anteceſſoris noſtri Innocentii Papæ XI. in forma Brevis ſub die 5. Septembris anni Incarnationis Dominicæ MDCLXXXVI. comprehendi: ideoque frui, & gaudere Indulgentiis in iiſdem Literis Innocentii Papæ XI. expreſſis: quæ omnia ſub ſententiis, cenſuris, & poenis in contradictores infligendis, executioni tradi, & publicari mandavit: ut in utriuſque literis ejuſdem Innocentii Papæ XII. plenius continetur.

„ §. 3 Cum autem, ſicut eadem petitio Fratris Jnſephi ab Ebora ſubjungebat, prædictum exercitium Viæ Crucis in omnibus ferme Eccleſiis Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, diebus feſtis tam pio operi adſignatis religioſe peragatur, quampluribus Chriſtifidelibus Miniſtro Generali nequaquam ſubjectis, extra Ordinem quoque illuc accedentibus; idcirco iidem Fratres, ut tam ſanctum exercitium pro animarum ſalute ulterius propagetur, Indulgentias & privilegia, etiam per viam communicationis, ut præfertur, conceſſa, & utriuſque Innocentii Anteceſſorum noſtrorum Literas ſuperius memoratas, atque alias, ſi quæ ſunt, idem exercitium reſpicientes, Decretumque a Ven. Fratribus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus olim confectum, ac poſtmodum Apoſtolica auctoritate confirmatum, prævia ejus declaratione, ad tollendas omnes ambiguitates, ſuper ejus interpretatione forſan exortas, per Nos, & Sedem Apoſtolicam approbari, & confirmari cupiant: eaſdemque Indulgentias, & privilegia ad quoſcunque Chriſtifideles, etiam dicto

„ Mi-

„ Miniſtro Generali nullo modo ſubje„ ctos extendi, & ampliari enixe de„ poſcant.

„ §. 4. Hinc ad dicti Fratris Joſephi „ Mariæ preces, præmiſſis omnibus op„ portune providere cupientes, Nos, qui „ omnem operam libenter impendimus, „ ut omnes Dominicæ Paſſionis memo„ riam ſæpe animo repetant, & ſalutarem „ illius fructum percipiant; eundem Jo„ ſephum ſpecialibus favoribus, & gratiis „ proſequi volentes, ipſumque a quibuſ„ vis excommunicationis, ſuſpenſionis, & „ interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſen„ tentiis, cenſuris, & pœnis, ſi quibus „ quomodolibet innodatus exiſtit, ad ef„ fectum præſentium tantum conſequen„ dum, harum ſerie abſolventes, & abſo„ lutum fore cenſentes; hujuſmodi ſup„ plicationibus inclinati, Indulgentias „ etiam pro animabus in Chriſti charita„ te defunctorum applicabiles, & privi„ legia etiam per viam communicationis „ conceſſa in literis utriuſque Innocentii, „ inque Decreto Ven. Fratrum Sanctæ „ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium expreſ„ ſa, & declarata, ac quibuſcunque aliis „ literis Apoſtolicis idem exercitium „ Viæ Crucis reſpicientibus, ad tollen„ dam omnem ambiguitatem, alienam„ que interpretationem, inde quomodo„ cunque ortam, aut fortaſſe orituram, „ ut Fideles per exercitationem bonorum „ operum Sacroſanctos Eccleſiæ The„ ſauros abſque ulla animi hæſitatione „ adipiſcantur; declaramus, Fratres, Mo„ niales, ac perſonas ſuperius memora„ tas, exercitium Viæ Crucis hujuſmodi „ peragentes de privilegiis, & Indulgen„ tiis etiam Plenariis, ſub generali, mu„ tua, & reciproca communicatione per „ Sedem Apoſtolicam conceſſis, vere „ communicare, & participes fieri: prop„ tereaque frui, & gaudere Indulgentiis, „ ac privilegiis, quæ Romani Pontifices „ Locis Sanctis, ac illorum Stationibus „ intra, & extra Hieruſalem largiti fue„ runt, perinde ac ſi exercitium prædi„ ctum ibidem peragerent: atque ita ab „ omnibus aſſeri, & cenſeri debere vo„ lumus, ideoque ea omnia hactenus re„ cenſita, Apoſtolica auctoritate tenore „ præſentium perpetuo confirmamus, & „ innovamus, & perpetuæ ac inviolabilis „ Apoſtolicæ firmitatis robur iiſdem adji„ cimus, omneſque & ſingulos, tam ju„ ris, quam facti defectus, ſi quæ in eis „ quomodolibet intervenerint, ſupple„ mus.

„ §. 5. Inſuper, ne in participatione „ bonorum ſpiritualium, quæ ab exerci„ tio Viæ Crucis provenire ſperamus, „ ullus arceatur; de Omnipotentis Dei mi„ ſericordia, ac Beatorum Petri & Pau„ li Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, „ Indulgentias, etiam animabus in Chri„ ſti charitate defunctorum applicabiles, „ & privilegia ſuperius expreſſa, etiam „ per viam communicationis Indulgen„ tiarum, quæ Locis Sanctis intra, & ex„ tra Hieruſalem conceſſæ fuerunt, aut „ alias quomodolibet Fratribus, Monia„ libus, ac perſonis jam dictis, quæ per „ Nos approbantur, & confirmantur, ad „ quoſcunque Chriſtifideles utriuſque „ ſexus Miniſtro Generali nullo modo „ ſubjectos, qui exercitium Viæ Crucis, „ & alia Chriſtianæ pietatis opera eiſdem „ modo, & forma, quæ a Fratribus, & „ perſonis prædictis peraguntur, pie ac „ devote penes Fratres dicti Ordinis pri„ vative quoad alios quoſcunque, pera„ gent, & implebunt, perpetuo extendi„ mus, & ampliamus.

„ §. 6. Decernentes, præſentes lite„ ras noſtras, inque eis contenta quæ„ cunque de ſubreptionis, vel obreptio„ nis, aut nullitatis vitio, vel intentio„ nis Noſtræ, aut quocunque alio defe„ ctu notari, impugnari, invalidari, ad „ terminos juris, vel facti, aut gratiæ re„ medium impetrari: nec ſub quibuſvis „ ſimilium, vel diſſimilium gratiarum „ revocationibus, ſuſpenſionibus, limi„ tationibus, derogationibus, aut aliis „ contrariis diſpoſitionibus, per Nos, vel „ Succeſſores Noſtros Romanos Pontifi„ ces, aut Sedem Apoſtolicam pro tem„ pore factis comprehendi non poſſe, „ ſemper ab illis excipi: & quoties illæ „ emanabunt, toties in priſtinum, & va„ lidiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſi„ tas, & plenarie reintegratas, ac de no„ vo ſemper conceſſas, ac perpetuo va„ lidas, & efficaces exiſtere, ſuoſque ple„ narios effectus ſortiri, & obtinere de„ bere: ſicque, & non aliter per quoſcun„ que Judices Ordinarios, vel Delegatos,

„ quavis auctoritate fungentes, etiam
„ cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores,
„ ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardina-
„ les, etiam de Latere Legatos, Vice-
„ legatos, dictæque Sedis Nuncios, ju-
„ dicari, & definiri debere: & quidquid
„ ſecus ſuper his a quoquam quavis au-
„ ctoritate ſcienter, vel ignoranter con-
„ tigerit attentari, irritum, & inane
„ decernimus.

„ §. 7. Non obſtantibus quatenus opus
„ ſit, piæ memoriæ Pauli Papæ V. ſimi-
„ liter Prædeceſſoris Noſtri nonnulla-
„ rum Indulgentiarum revocatione, ſive
„ moderatione, aliiſque Conſtitutioni-
„ bus, & Ordinationibus, ac Noſtra, &
„ Cancellariæ Apoſtolicæ regula de In-
„ dulgentiis non concedendis adinſtar;
„ dictique Ordinis, etiam juramento,
„ confirmatione Apoſtolica, vel quavis
„ firmitate alia roboratis ſtatutis, & con-
„ ſuetudinibus, cæteriſque contrariis
„ quibuſcunque.

„ §. 8. Nulli ergo omnino hominum
„ liceat, hanc paginam noſtræ abſolu-
„ tionis, confirmationis, approbationis,
„ innovationis, roboris, adjectionis, de-
„ fectuum ſuppletionis, extenſionis, am-
„ pliationis, & Decreti infringere, vel
„ ei auſu temerario contraire. Si quis
„ autem hoc attentare præſumſerit, in-
„ dignationem Omnipotentis Dei, ac
„ Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum
„ ejus, ſe noverit incurſurum.

„ Datum Romæ apud Sanctum Pe-
„ trum anno Incarnationis Dominicæ
„ milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo
„ ſexto quinto nonas Martias Pontificatus
„ Noſtri anno ſecundo.

Annotandum eſt 1.º quod cum nonnulli exiſtimarent Breve a Benedicto XIII. conceſſum afficere ſolum pia loca Viæ Crucis ſeu Calvarii nuncupata in Eccleſiis Ordinis Minorum de Obſervanta Sancti Franciſci, ac Privilegia, & Indulgentias huic pio exercitio conceſſas ad illos duntaxat utriuſque ſexus Chriſtifideles extendi, qui ejuſmodi loca pia Miniſtro Generali dicti Ordinis ſubjecta viſitarent, ibique memoriam Dominicæ Paſſionis devote recolerent; Clemens XII. Brevi cujus initium eſt: *Exponi Nobis* edito die 16. Januarii anno MDCCXXXI. declaravit Benedicti XIII. conceſſiones etiam loca pia non ſubjecta prædicto Miniſtro Generali comprendere: eaque erecta & erigenda iiſdem gaudere Indulgentiis, quibus gaudent erecta in Eccleſiis, & locis Ordinis Minorum Sancti Franciſci: verba Brevis ſunt = *Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſe Bernardus non minus ratione ſui Officii Procuratoris Generalis hujuſmodi, quam de expreſſo mandato dicti moderni Miniſtri Generalis ad enatam occaſionem præmiſſorum confuſionem tollendam, remque in ſtatum priſtinum reſtituendam, prædicta loca pia Viæ Crucis, ſeu Calvarii per eoſdem Fratres etiam in Eccleſiis & locis, quæ non ſunt dicti Ordinis, erecta & erigenda eiſdem Indulgentiis & privilegiis gaudere per Nos declarari ſummopere deſideret: quemadmodum ab ipſo Benedicto Prædeceſſore, poſtquam literæ ſuæ prædictæ prodierant, ad ſupplicationem dilectæ in Chriſto filiæ nobilis Mulieris Violantis a Bavaria Principiſſæ Etruriæ Viduæ Fratribus Seceſſus S. Franciſci ad Montem Florentinum, & Conventus de Ambroſiana nuncupat. dicti Ordinis in vim cujuſdam reſcripti die* 10. *Novembris MDCCXXIX. ejus juſſu editi conceſſum fuiſſe memoratur; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ejuſdem Bernardi votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibuſvis &c. cenſentes, necnon utriuſque Innocentii, & Benedicti Prædeceſſorum literarum prædictarum tenores, & alia quæcunque etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & ſpecificatis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod prædicta loca pia viæ Crucis, ſeu Calvarii in Eccleſiis, Oratoriis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, & aliis itidem piis locis ipſi Miniſtro Generali non ſubjectis nec ab eo dependentibus per Fratres dicti Ordinis nunc erecta, & inpoſterum erigenda, eiſdem Indulgentiis, ac privilegiis fruantur & gaudeant, quibus fruuntur, & gaudent erecta in Eccleſiis,*

Digitized by Google

ſiis, & locis Ordinis præfati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus et declaramus, ac quatenus opus ſit, de novo concedimus et indulgemus: ita tamen, ut quoad illa ſic deinceps erigenda modus et forma ſerventur, quibus ejuſmodi erectiones in Eccleſiis, et locis Ordinis prædicti hactenus fieri conſueverint, et accedat licentia Ordinarii loci, ac conſenſus Parochi, et Superiorum Eccleſiæ, Monaſterii, Hoſpitalis et loci pii, ubi de eis pro tempore erigendis agi contigerit.

Annotandum eſt 2.° poſt editum ſupra allatum Breve de mandato prælaudati Pontificis a Cardinali Pico Sacræ Cong. Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum Præfecto tum ſuper modo & forma erigendi *Viam Crucis*, tum ſuper ejus pio exercitio, tum ſuper Indulgentiis eidem adjectis ſequentes emanaſſe declarationes.

I. Che eſſendo ſtata conceduta la facoltà di eriggere le Vie Crucis alli Religioſi ſoggetti al Miniſtro Generale de' Frati Minori di Oſſervanti, che Riformati privative quoad alios quoſcunque, *non è lecito ad altri di eriggerle, ed eriggendoſi non godono l'Indulgenze.*

II. Che non poſſono eſſer erette ſe non da' Superiori locali dell'Ordine ſudetto, ò di loro commiſſione da un'altro Religioſo dello ſteſſo Ordine, il quale però ſia o Predicatore, o almeno Confeſſore approvato.

III. Che devono eriggerſi nella forma conſueta, e ſin' ora praticata nell'ordine ſudetto, cioè, che ſiano quattordici Stazioni, e che le Croci, ò Cappellette rappreſentino i Miſterj della Paſſione. In quei luoghi poi, ne' quali ſi voleſſe eriggere fuori della Chieſa, come ſi uſa in molti Conventi del detto Ordine, ſi procuri ſempre di terminare, ò di cominciare dalla Chieſa, ò luogo Sagro, con avvertire onninamente, che le Cappellette ſiano chiuſe con Cancelli da non potervi entrare, nè perſone, nè gl' animali, e che tanto eſſe, quanto le Croci ſiano collocate in luoghi non ſoggetti ad irriverenze, ed in caſo che in progreſſo di tempo i luoghi, ne' quali foſſero ſtate erette, diveniſſero indecenti, debbano i Superiori ſoſpenderle: ſopra di che s' incaricano ſtrettamente le loro coſcienze.

IV. Che nella ſteſſa Chieſa, ò luogo pio, quando ſia capace, ſarà bene eriggere per maggior commodo del Popolo due Vie Crucis, una delle quali ſerva per gl'Uomini, e l'altra per le Donne: e quando una ſi pianti fuori di Chieſa, ſe n'erigga ſempre un' altra nella Chieſa, qual'ora queſta ſia di tal capacità, che baſti per non far confuſione, acciò in tempo di pioggia, ò d'altro impedimento ſi poſſa non oſtante praticare così ſanto Eſercizio.

V. Che queſta pratica ſia uniforme a tutti i luoghi ſenz'alterare punto quella, che s' è oſſervata ſin'ora ne i Conventi dell' Ordine, cioè, o proceſſionalmente da tutto il Popolo ſotto la direzione d'uno, o più Sacerdoti, ovvero privatamente da ogn' uno. Quando ſi faccia la Via Crucis nel primo modo, ſi diſponga la proceſſione in maniera, che gl'Uomini vadino ſeparati dalle Donne, cioè quelli prima, e queſte doppo con uno, o più Sacerdoti intermedj: e ad ogni Stazione un Chierico, ò Sacerdote legga ad alta voce la conſiderazione corriſpondente ad ogni Miſtero, e Stazione: e doppo recitano un Pater, ed Ave, e fatto un'atto di Contrizione, ſi tiri inanzi, cantandoſi tra una Stazione all'altra il Stabat Mater*, o altra Orazione: avvertendo tutti di contenerſi con ſomma modeſtia, ſilenzio, e raccoglimento, mentre l' eſperienza dimoſtra, che queſto ſanto Eſercizio praticato con pietà, e divozione introduce a poco a poco ne' Fedeli d' ogni condizione l' uſo del meditare, e la riforma de' coſtumi.*

VI. Che praticandoſi privatamente non è neceſſario recitar ſei Pater, ed Ave ad ogni Stazione, come alcuni ſuppongono, ma baſti meditare, benche brevemente la Paſſione del Signore, che è l'opera ingionta per fare acquiſto delle Sante Indulgenze, e conforme all' uſo introdotto recitare un Pater ed Ave ad ogni Croce, e fare un' atto di Contrizione.

VII. Che eſſendo eretta la Via Crucis nella Chieſa, per quel tempo degl' Ufficj Divini, e della Santa Meſſa, e quando in

in Chieſa vi ſia tal concorſo di Popolo, che poſſa caggionar tumulto, e diſturbo, ſi aſtenghino di praticarla, tanto maggiormente, che non eſſendovi impedimento, ſi devono viſitare ad una ad una tutte le Stazioni.

VIII. Che dovendoſi eriggere la Via Crucis in qualche Monaſtero di Monache, ò Conſervatorio, non è neceſſario entrar nella Clauſura, ma baſta, che un Religioſo del medemo Ordine d'età matura, e qualificato, come s'è detto nel ſecondo avvertimento, con licenza dell' Ordinario benedica le Croci alle Grate, e faccia una breve iſtruzione alle Monache, ed altre, che ſi trovaſſero in tal Monaſtero, ò Conſervatorio circa il modo, con il quale è neceſſario di viſitar le Croci per partecipare dell'Indulgenze, e riportarne profitto per l'anime.

IX. Che non ſi publichi da i Pulpiti, ne in altra forma, e molto meno ſi ſcriva nelle Cappellette, ò Stazioni un numero certo, e determinato dell'Indulgenze, che s'acquiſtano: poiche ſi è riconoſciuto in più occaſioni, che ò per inavertenza, ed equivoco, ò per traſporto di devozione ſi altera, ò ſi confonde la verità dell' Indulgenze: e perciò baſti il dire, che chiunque s'impiegherà a meditare la Paſſione del Signore in queſto Santo Eſercizio, acquiſterà per conceſſione de' Sommi Pontefici le ſteſſe Indulgenze, che acquiſtarebbe, ſe viſitaſſe perſonalmente le Stazioni della Via Crucis di Geruſalemme. Dato li 3. Aprile 1731. L. Card. Pico Prefetto. Gio: Arciveſcovo di Tiro Segretario.

Finis Secundæ Partis.

IN-

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,

Quæ in ſecunda Parte Tractatus continentur.

Litera P *paginam denotat* , *litera* C *columnam*.

A.

Altare.

Altare unicum primis ſæculis conſtructum erat in Eccleſiis. *p.* 46. *c.* 1. Quem morem retinent Græci. *ibidem.* Plura Sæculo VI. erecta reperiuntur apud Latinos. *ibid.*

Altare Privilegiatum.

Altare Privilegiatum a cæteris diſtinguitur quod annexum habeat privilegium, ut ibi Sacerdote celebrante pro defuncto, hic conſequatur Indulgentiam Plenariam per modum ſuffragii. *p.* 53. *c.* 2. Antiquis temporibus fuiſſe conceſſum referunt Wiel, & Joannes de Palz. *p.* 54. *c.* 1. Sed quidquid ſit de ejuſmodi antiquitate, certum eſt Gregorium XIII. illud primo non inveniſſe. *p.* 55. *c.* 1.

Altaris Privilegiati Indulgentia.

Pro acquirenda hac Indulgentia requiritur applicatio Miſſæ pro defuncto. *p.* 55. *c.* 1. Idque non pugnat cum generali doctrina de aliis Indulgentiis per modum ſuffragii. *ibid. c.* 2. Debet eſſe Miſsa *de Requiem*. *p.* 58. *c.* 2. Ex Decreto tamen Congregationis Sacrorum Rituum cum Miſsa *de feſto currenti* ſatisfit obligationi, & ſuffragatur cum eiſdem Indulgentiis. *p.* 60. *c.* 1. Etiamſi privilegium eſſet conceſſum ad ſeptennium. *ibid. c.* 2. Imo pro Dominicis diebus, aliiſque privilegiatis. *p.* 61. *c.* 2. Secus ſi eſſet conceſſum cum clauſula: *ad dies non impeditos*. *p.* 63. *c.* 1.

Altaris Privilegiati conceſſio cum expreſſione numeri Miſſarum.

Altare Privilegiatum citra expreſſionem numeri Miſſarum tempore Gregorii XIII. concedebatur. *p.* 63. *c.* 1. Quid poſtea mandante Paulo V. fuerit ſtatutum? *ibid.* Stilus modernus eſt, ut quotidianum perpetuum concedatur, ubi in Eccleſia dietim quadraginta Miſſæ celebrantur. *ibid. c.* 2. Pro una, vel pluribus Feriis cujuslibet Hebdomadæ juxta Miſſarum numerum dietim celebrandarum. Excipiuntur tamen Monialium Eccleſiæ, niſi fortaſſe eſſent Parochiales. *ibid.* Si habeat clauſulam: *Sacerdos aliquis ejuſdem Eccleſiæ Sæcularis, vel Regularis &c.* alio Sacerdote in eo celebrante non ſuffragaretur Indultum defuncto. *p.* 64. *c.* 2. Quomodo ſupplicantibus pro ſecundo, aut jam conceſſi extenſione reſpondeat S. Congregatio Indulgentiarum? *p.* 65. *p.* 1.

Altaris Privilegiati conceſſio citra expreſſionem numeri Miſſarum.

Altare Privilegiatum perpetuum citra expreſſionem numeri Miſſarum conceſſum eſt, pro Eccleſiis Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus, & Cathedralibus. *p.* 67. *c.* 1. Conceditur in aliquibus caſibus juxta ſtilum ad ſeptennium. *p.* 67. *c.* 2. Pro Confratribus defunctis obtentum non derogat alteri cum expreſſione Miſſarum conceſſo. *p.* 68. *c.* 2.

Altaris Privilegiati ceſſatio.

Altaris Privilegium ceſſat, ſi numerus Miſſarum in conceſſione expreſſus pluribus Anni diebus deficiat. *p.* 69. *c.* 2. Secus ſi paucis. *p.* 70. *c.* 1. Quid dicendum ſit, ſi Altare in alium locum transferatur, vel alibi reædificetur? *p.* 73. *c.* 1.

Archiconfraternitates.

Archiconfraternitates non habent facultatem erigendi, ſed aggregandi Confra-

fraternitates. *p.* 128. *c.* 2. Debent Ordinariorum conſenſum pro Confraternitatibus aggregandis obtinere. *p.* 129. *c.* 1. Et aggregationum literas gratis expedire, nulla etiam a ſponte dantibus mercede accepta, ſub pœna nullitatis Indulgentiarum communicatarum. *p.* 155. *c.* 1. Nullæ declarantur ejuſmodi communicationes a Sacra Congregatione Indulgentiarum ob expenſas in eiſdem inſumtas excedentes ſummam unius aurei. *ibid.* *c.* 2. Licet reſcribatur: *ſupplicandum Sanctiſſimo pro nova conceſſione.* *ibid.*

Articulus Mortis.

Articulus mortis alius verus, alius præſumtus. *p.* 202. *c.* 1.

Pro Articulo mortis antiqua Indulgentiæ Plenariæ exempla. *p.* 194. *c.* 2. Etiam recentiora. *p.* 196. *c.* 1. Facultas eam impertiendi Epiſcopis ſolet concedi pro laborantibus in extremis ſuarum Diœceſum. *p.* 197. *c.* 1. Ita tamen, ut nequeant ad hoc munus obeundum (niſi præciſa neceſſitas exegerit, & noctis tempore) alios ſubdelegare. *ibid.*

Indulgentia in Articulo mortis alia eſt lata, alia ferenda. *p.* 200. *c.* 1. Utraque, ſi nulla fiat Articuli declaratio, locum habet duntaxat in vero. *p.* 204. *c.* 2.

B

Beati.

Beatorum feſtivitates Indulgentiis olim decoratæ. *p.* 9. *c.* 2. An & quomodo juxta recentiorem diſciplinam decorentur? *p.* 12. *c.* 2.

S. Bonaventura.

S. Bonaventura Confraternitatem *Confalonis* inſtituit. *p.* 117. *c.* 1. Eidem tradidit leges a Clemente IV. approbatas. *p.* 118. *c.* 1.

C

Calculi.

Calculorum uſus veterum Monachorum in precibus recitandis. *p.* 217. *c.* 1. Facem prætulit Coronis Domini, & B. Virginis Mariæ. *ibid.* *c.* 2. Plurimum excitat ad actus Latriæ, Hyperduliæ, & Duliæ. *p.* 222. *c.* 1.

Calculorum Indulgentiæ.

Vide verb. *Coronæ.*

Canonizatio Solemnis Sanctorum.

Vide verb. *SS. Solemnis Canonizatio.*

Capitulum Eccleſiæ Lateranenſis.

Capitulum Eccleſiæ Lateranenſis privilegium obtinuit Eccleſias, Oratoria, & Confraternitates conſtruendi, & erigendi in fundis Lateranenſibus. *p.* 156. *c.* 2. Eidem derogatum eſt Conſtitutione Pii IV. ob controverſias inter locorum Ordinarios & Canonicos Lateranenſes. *p.* 157. *c.* 1. In eo tamen fuit a Sixto V. reſtitutum citra privilegium exemtionis ab Ordinariorum juriſdictione. *ibid.* Comprehenditur in Conſtitutione Clementis VIII. ſuper Indulgentiis communicandis ex declaratione Pauli V. *p.* 158. *c.* 1. Omnes tamen ejus aggregationes datæ uſque ad dictam Pauli declarationem abſque aliis literarum renovatione valent. *p.* 159. *c.* 1.

Caſus reſervati.

Caſuum reſervatorum Epiſcopis, & Summo Pontifici diſcrimen nullum erat ante annum Milleſimum *p.* 144. *c.* 1. Ortum eſt, quum cœperunt Epiſcopi atrociora crimina ad Summum Pontificem referre. *ibid.* Summo Pontifici reſervati aucti ſucceſſu temporum. *ibid.* Alii ſunt in Bulla Cœnæ, alii extra talem Bullam, qui communiter dicuntur Papales. *ibid.* *c.* 2. Alii demum contenti in noviſſima Bulla Sanctiſſimi Domini Noſtri BENEDICTI XIV. *p.* 151. *c.* 2.

Caſuum reſervatorum abſolutio.

Abſolutionem a caſibus reſervatis Summo Pontifici, vigore privilegiorum, quæ obtinuerant Prælati, & Confraternitates, & potiſſime ob Indulgentias fieri prohibuit Sixtus IV. *p.* 144. *c.* 2. Indulſit poſtea Sedes Apoſtolica. *p.* 146. *c.* 1. Sed cum nimia largitas videretur, decretum fuit, ne Confeſſarii etiam Regulares ſpeciali nota digni intra Italiam, & extra Urbem a contentis in Bulla Cœnæ, aut quocunque modo Sedi

di Apoſtolicæ, & Epiſcopis reſervatis abſolverent. *ibid.* Idque intelligendum eſt de cenſuris eiſdem annexis. *p.* 147. *c.* 2. Neque ejuſmodi facultates per privilegiorum confirmationes fuerunt priſtino valori reſtitutæ. *p.* 148. *c.* 1. Antiquis tamen privilegiis abſolvendi a caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis extra Bullam Cœnæ contentis tam intra Urbem, quam extra Italiam minime derogatum erat. *p.* 149. *c.* 2. Sed modo ob aliud Decretum de quibuſdam ejuſmodi caſibus aliter dicendum eſt. *p.* 150. *c.* 2.

Claves.

Claves ex Confeſſione S. Petri acceptæ coruſcarunt miraculis. *p.* 207. *c.* 2. Miſſæ a D. Gregorio Magno ad Chilbertum Francorum Regem, ad Theotiſtam. *ibid.* Ad Recharedum Regem Viſigothorum. *p.* 208. *c.* 1. A Leone III. ad Carolum Magnum. *ibid.* A Gregorio VII. ad Alphonſum Regem. *ibid.* Certum non eſt eiſdem annexam fuiſse Indulgentiam. *ibid.* *c.* 2.

Clauſulæ.

Clauſula: *a primis veſperis uſque ad occaſum Solis* denotat temporis ſpatium Indulgentiis comparandis præfinitum. *p.* 73. *c.* 2. Si Horæ Veſpertinæ non cantentur in Eccleſiis, adhuc acquiruntur Indulgentiæ, quando juxta Eccleſiæ praxim ſolent cantari. *p.* 74. *c.* 2. Occaſus Solis non aſtronomice, ſed Eccleſiaſtice debet menſurari. *p.* 77. *c.* 2. Si poſt dictum Solis occaſum aliquantulum protrahatur Completorium, adhuc quando illud recitatur, poſsunt comparari Indulgentiæ. *p.* 78. *c.* 1.

Clauſula: *Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris* tempus ſignificat, quo Indulgentiarum conceſſio perdurat. *p.* 79. *c.* 1. Quod deſumendum non eſt a die publicationis Brevis, ſed a die datæ. *ibid.* *c.* 2.

Clauſula: *Volumus autem, ut ſi alias Chriſtifidelibus &c.* in Brevibus Indulgentiarum appoſita pro earum moderatione. *p.* 80. *c.* 2. Licet non iiſdem omnino terminis expreſsa. *ibid.* In pluribus Bonifacii IX. Brevibus reperta. *ibid.* Inter Cancellariæ Regulas ab Innocentio VIII. recenſita. *ibid.* Quomodo expoſita a Quintanadvena, aliiſque Doctoribus? *p.* 81. *c.* 1. Ejus reformatio per Urbanum VIII. ad tollendam eorum falſam interpretationem. *ibid.* *c.* 2. Alia interpretatio ob verbum *conceſſerimus*, quæ dictæ formulæ, ut modo exprimitur, nequit aptari. *p.* 82. *c.* 1. Legitimus ejus ſenſus juxta declarationem Sacræ Congregationis Indulgentiarum. *ibid.* *c.* 2. Officit Indulgentiæ conceſsæ pro feſto, ſi nondum completo ſeptennio ſimilis fuerit impetrata. *p.* 84. *c.* 1.

Clauſula: *Volumus autem, ut ſi pro impetratione &c.* apponitur, ut evitetur aut avaritiæ, aut ſimoniæ crimen prætextu impetrationis, præſentationis, & publicationis Brevium Indulgentiarum. *p.* 85. *c.* 2. Ea non obſtante putat Quintanadvenas aliquid dari poſse titulo gratitudinis, vel redimendæ vexationis cauſa, quin Indulgentiarum valori derogetur. *ibid.* Oppoſitum tamen arbitratur Duallius. *p.* 86. *c.* 2. Idque aſſerendum eſt. *p.* 87. *c.* 1.

Clemens VIII.

Clemens VIII. tranſtulit facultatem expediendi Indulgentiarum Brevia a Cancellaria Apoſtolica ad Secretariam Brevium. *p.* 26. *c.* 1. Conſtitutionem edidit ſuper erectionibus & aggregationibus Confraternitatum. *p.* 124. *c.* 1. Approbavit formam in Indulgentiarum communicationibus ab Ordinibus Regularibus, & Archiconfraternitatibus ſervandam; ſed eam non promulgavit. *p.* 132. *c.* 1. Decretum edidit ſuper Indulgentiis concedi conſuetis a Summis Pontificibus Coronis, Roſariis &c. *p.* 223. *c.* 2.

Collectæ.

Collectæ unde ſic dictæ? *pag.* 32. *cap.* 1. Earum author fuit Gelaſius I. *ibid.* Licet S. Gregorius Magnus meliores & emendatiores in ordinem redegerit. *ibid.*

Communio Generalis.

Communio Generalis ſingulis menſibus Romæ fieri conſueta ſollicitudini Patrum Societatis Jeſu adſcribitur. *p.* 184. *c.* 1.

Digitized by Google

c. 1. Indulgentiis a Paulo V. decoratur. *ibid. c.* 2. Confraternitas S. Mariæ de Pietate erecta ad cooperandum eiſdem Patribus in dicto opere iiſdem muneribus ditatur. *ibid.* Datur facultas Præpoſito Generali dictæ Societatis, ut in Collegiis, aliiſque Societatis domibus Confraternitates S. Communionis Generalis nuncupatas erigat, eiſque Indulgentias communicet. *p.* 185. *c.* 2.

Pro aliis Communionibus Generalibus ab Eccleſiarum Rectoribus ſingulis menſibus peragendis Plenaria concedebatur ad ſeptennium. *p.* 185. *c.* 2. Sed modo una Indulgentia Plenaria conceditur & undecies ſeptem annorum & totidem quadragenarum. *ibid.*

Completorium.

Completorium ad diurni Officii complementum pertinet. *p.* 76. *c.* 2. Poſt Solis occaſum per aliquod temporis ſpatium protrahi abſonum non eſt ab Eccleſiæ ritu, ubi diei feſti exigat magnitudo. *p.* 77. *c.* 1.

Confraternitates.

Confraternitates ſunt fidelium Congregationes ad quædam pietatis Officia Eccleſiaſtica authoritate inſtitutæ. *p.* 116. *c.* 2. Quamobrem Societates commerciis ſæcularibus addictæ nequeunt tales vocari. *ibid.* Neque aliæ convenientes ad Regularium Oratoria, ut flagellis ſe cædant. *p.* 117. *c.* 1. Gaudent fori Eccleſiaſtici privilegio. *ibid.* Juxta quoſdam Scriptores exordium non habuerunt ante Ordines Mendicantes. *ibid. c.* 2. Sed iis antiquiora ejuſmodi inſtitutionum reperiuntur monumenta. *p.* 118. *c.* 1. Inſtitutæ cum uſu Saccorum etiam in Eccleſiis Regularium ſubjacent viſitationi Epiſcoporum; iis tamen exceptis, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione. *p.* 121. *c.* 1. vide *Ordines Regulares*.

Confraternitatum erectiones.

Confraternitates erigi poſſunt de jure communi ab Epiſcopis. *p.* 118. *c.* 2. Exceptis iis, quæ ex privilegio ſpectant ad Ordines Regulares. *p.* 119. *c.* 1. Et quidem in omnibus Eccleſiis, exceptis Monialium. *p.* 122. *c.* 1. Licet in aliquibus caſibus hæc erectio concedatur cum clauſula: *Attentis circumſtantiis. ibid. c.* 2. Nullibi tamen ſub titulo Mancipiorum Matris Dei dando Fidelibus catenulas collo & brachiis circumponendas. *ibid.*

Confraternitatum Aggregationes.

Confraternitatum aggregationes quomodo ab inſtitutionibus deſtinguantur? *p.* 123. *c.* 1. Fieri poſſunt ab Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diverſorum Inſtitutorum. *p.* 228. *c.* 2. Prohibentur in eiſdem locis plures ſub eodem titulo, & Inſtituto etiamſi diverſæ juriſdictioni ſubjicerentur. *ibid.* debent earum literæ nulla mercede accepta expediri; itaut expenſæ unius aurei ſummam non excedant. *p.* 155. *c.* 1.

Confraternitatum Statuta.

Confraternitatum Statuta in erectionibus & aggregationibus tradenda approbanda ſunt a Locorum Ordinariis. *p.* 131. *c.* 1. Si compellerent Fideles in earum ingreſſu ad certam pecuniæ ſummam, rejicienda ſunt; ſecus ſi hortarentur. *ibid.* Item approbandum non eſt, quod adſcriptus uni Confraternitati nequeat alteri nomen dare. *ibid.*

Confraternitatum Indulgentiæ.

Confraternitatibus erectis ab Ordinibus Regularibus non communicantur Indulgentiæ pro perſonis Regularibus, ſed pro Sæcularibus immediatæ conceſſæ. *p.* 132. *c.* 1. Non in confuſo & in generali, ſed expreſſe & in particulari juxta formam a Clemente VIII. approbatam, & poſtea editam a Paulo V. *ibid.* Idem de aggregatis a Capitulis & Archiconfraternitatibus. *ibid. c.* 2. Exemplum formulæ communicationis pro inſtituendis Confraternitatibus ab Ordinibus Regularibus. *p.* 135. *c.* 1. Alterum exemplum pro aggregandis ab Archiconfraternitatibus. *p.* 136. *c.* 1. Dictarum gratiarum promulgatio fieri nequit ſine Epiſcopi recognitione. *p.* 142. *c.* 2.

Confraternitates neque ab Ordinibus Regu-

gularibus erectæ, neque a Capitulis, & Archiconfraternitatibus aggregatæ pluribus a Sede Apoſtolica Indulgentias obtinent in perpetuum. *p.* 160. *c.* 1. Earum formula *ibid.* Imo & Altare Privilegiatum pro Confratrum animabus ad ſeptennium. *p.* 161. *c.* 1. Debent tamen eſſe erectæ ſub invocatione Sancti in Martyrologio Romano deſcripti. *ibid.* Et docere de canonica erectione. *ibid. c.* 2. Inſtantes apud Sacram Congregationem Indulgentiarum pro aliis Indulgentiis quam reſponſionem obtinuerint? *ibid.* Eiſdem conceſſæ ante Pauli V. revocationem adhuc vigent. *p.* 162. *c.* 2. Ceſſant tamen per renunciationem a Summo Pontifice acceptatam *p.* 164. *c.* 1. Et in aliis caſibus. *ib. c.* 2.

Confraternitates Particulares, earumque Indulgentiæ.

Confraternitates *Sanctiſſimi Corporis Chriſti* a Paulo V., antiquis revocatis Indulgentiis, novis decorantur. *p.* 168. *c.* 2. Gaudent præ cæteris ſpeciali privilegio, quod in ſingulis Parochiis inſtitui queant. *p.* 169. *c.* 2. Licet attento Brevi Pauli V. Indulgentias Archiconfraternitatis hujus Inſtituti erectæ in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam per aggregationem poſſint accipere; ob declarationem tamen Sacræ Congreg. Indulgentiarum iiſdem gaudent citra aliam aggregationem. *p.* 170. *c.* 1. Ideoque dictæ Archiconfraternitatis privilegium aggregandi, idemque alterius Archiconfraternitatis erectæ in Baſilica Sancti Petri ejuſdem Inſtituti, ſaltem quantum ad Indulgentiarum communicationem, inutile factum eſt. *ibid. c.* 2.

Confraternitates *Doctrinæ Chriſtianæ* inſtitui juſſit a locorum Ordinariis Sanctus Pius V. eaſque Indulgentiis cumulavit. *p.* 160. *c.* 2. Uberiores tamen dedit Paulus V. inſtitutæ in Baſilica Sancti Petri de Urbe in Archiconfraternitatem erectæ, cum facultate eas cæteris ejuſdem Inſtituti communicandi. *p.* 172. *c.* 1. Ita tamen, ut una Confraternitas cujuslibet Civitatis ſupradictæ aggregata, ſingulæ quoque ejuſdem Diœceſis aggregatæ intelligantur. *p.* 175. *c.* 1.

Confraternitates *Sanctiſſimi Nominis Dei* pro gaudent Indulgentiis conceſſis a Paulo V. *p.* 257. *c.* 1. Inſtitutæ in Eccleſiis ſæcularium ante Breve S. Pii V. incipien. *Decet Romanum Pontificem* dictis Indulgentiis non fruuntur. *p.* 259. *c.* 1. Quæ reſponſiones ſuper iis editæ fuerint a Sacra Congregatione Indulgentiarum? *p.* 259. *c.* 1.

Confraternitates *Sanctiſſimi Roſarii Beatæ Mariæ Virginis* gaudent Indulgentiis contentis in Summario approbato Brevi Innocentii XI. *p.* 260. *c.* 2. Iis gaudent etiam antiquæ non valentes edocere de canonica erectione. *p.* 272. *c.* 1. Quam accurate earum Summarium fuerit confectum? *ibid.*

Confraternitates *Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo* fruuntur Indulgentiis contentis in Summario approbato Brevi Clementis X. *p.* 272. *c.* 2. Erigi poſſunt tum a Generali Carmelitarum Calceatorum, tum a Præpoſitis Generalibus Excalceatorum, tum a Vicario Generali Calceatorum Congregationis Mantuanæ. *p.* 278. *c.* 2. Concordata ſuper his inter Superiores Generales Calceatos, & Excalceatos. *p.* 279. *c.* 1.

Confraternitates *Cincturatorum* an gaudeant Indulgentiis a Paulo V. revocatis? *p.* 138. *c.* 2. Rationes pro utraque parte. *p.* 139. *c.* 1. Quid reſponderit Sacra Congregatio Indulgentiarum? *p.* 142. *c.* 1. Fruuntur omnibus Indulgentiis contentis in Summario approbato Brevi Clementis X. *p.* 280. *c.* 1. Earum erectio ſpectat ad Priorem Generalem totius Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini ubique terrarum. *p.* 292. *c.* 2. Ad Vicarios quoque Generales Excalceatorum; ſed tantum in propriis Eccleſiis: ita tamen, ut debeant aggregari Archiconfraternitati ejuſdem Inſtituti erectæ in Eccleſia S. Jacobi Bononien. *ibid.*

Confraternitates *Sanctiſſimæ Trinitatis Redemtionis Captivorum* gaudent Indulgentiis contentis in Summario approbato Brevi Innocentii XI. *p.* 293. *c.* 1. Erigi poſſunt ubivis locorum a Miniſtro Generali Obſervantium ejuſdem Ordinis. *p.* 296. *c.* 2. Necnon a Miniſtro Generali, & Procuratore Generali Excalceatorum dicti Ordinis Congregationis Hiſpanicæ in Curia Romana pro

pro tempore exiſtente. p. 297. c. 1.

Confraternitates *Beatæ Mariæ de Mercede.* gaudent Indulgentiis contentis in Summario approbato Brevi Innocentii XI. *p.* 279. *c.* 1. Poſſunt erigi tum a Magiſtro Generali antiquæ Obſervantiæ dicti Ordinis, tum a Vicario Generali Reformatorum; tum a Procuratoribus Generalibus utriuſque familiæ. *p.* 301. *c.* 1. In abſolutione generali dictorum Confratrum nunc adhibenda non eſt forma Clementis VIII. ſed alia a Clemente X. præſcripta. *p.* 301. *c.* 2. Alias poſtea obtinuerunt Indulgentias *p.* 302. *c.* 1.

Confraternitates *Chordigerorum Sancti Franciſci* gaudent Indulgentiis contentis in Summario approbato a Sacra Congregatione Indulgentiarum. *p.* 302. *c.* 2. Erigi poſſunt a Magiſtro Generali Ordinis Minorum Conventualium tum in propriis tum in ſæcularium Eccleſiis, & aggregari Archiconfraternitati ejuſdem Inſtituti erectæ in Eccleſia Sancti Franciſci dicti Ordinis Aſſiſien. *p.* 305. *c.* 2. A Commiſſario quoque Generali Ordinis Minorum Obſervantium, ubi non ſunt Conventuales, in propriis Eccleſiis. *ibid.* Necnon a Religiosis Tertii Ordinis Sancti Franciſci, ubi non ſunt Conventuales, neque Minores Obſervantes, in propriis pariter Eccleſiis. *p.* 306. *c.* 1. Etſi non appareant canonicæ erectionis monumenta, validæ ſunt. *ibid.*

Confraternitates *Servorum ſive Septem Dolorum* gaudent Indulgentiis contentis in Summario approbato Brevi Innocentii XI. *pag.* 306. *col.* 1. Item aliis extra Summarium a memorato Pontifice conceſſis. *p.* 308. *c.* 2.

Confraternitas *Minimorum Sancti Franciſci de Paula* gaudet Indulgentiis conceſſis ab Innocentio X. *p.* 309. *c.* 2. In Archiconfraternitatem fuit erecta a Benedicto XIII., conceſſa facultate Officialibus alias ejuſdem Inſtituti Confraternitates erigendi cum Indulgentiarum communicatione. *p.* 310. *c.* 2. Sed poſtea hoc Indultum conceſſum fuit Generali Minimorum. *ibid.*

Confratres.

Confratres uni Confraternitati adſcripti, poſſunt alteri nomen ſuum dare, atque utriuſque Indulgentias lucrari. *p.* 164. *c.* 1. Ut Confraternitatum Indulgentias acquirant, implere debent conditiones proprii Inſtituti in literis aggregationum adjectas. *p.* 165. *c.* 1. Imo & opera injuncta, eo modo quo injuncta ſunt. *ibid. c.* 2.

Congregatio.

Congregatio Virorum ſive Mulierum non emittentium vota ſubſtantialia Religionis non comprehenduntur ſub generali revocatione Indulgentiarum edita pro perſonis Regularibus. *p.* 98. *c.* 1.

Congregatio vulgo *la Buona Morte* quibus gaudeat Indulgentiis? *p.* 311. *c.* 1.

Coronæ.

Coronæ ſunt precandi formulæ ex Orationibus Dominicis, & Salutationibus Angelicis compactæ. *p.* 217. *c.* 2. Benedictæ a Summo Pontifice quibus modo afficiantur Indulgentiis? *p.* 228. *c.* 1. Mittuntur cum ſpecialibus ejuſmodi gratiis, & Literis Apoſtolicis ad Regales perſonas. *p.* 215. *c.* 2.

Coronæ *Domini* quare ita vocentur? *p.* 318. *c.* 2. Earum Indulgentias confirmavit, imo de novo conceſſit Clemens X. *ib.* Auxit Benedictus XIII. *ib.*

Coronæ *S. Birgittæ* quibus decorentur Indulgentiis? *p.* 319. *c.* 1.

Coronis *Septem Dolorum Beatæ Virginis Mariæ* Indulgentiæ conceduntur a Benedicto XIII. *p.* 320. *c.* 1. Confirmantur (quibuſdam tamen revocatis) & augentur a Clemente XII. *p.* 321. *c.* 1.

Coronæ *Terræ Sanctæ* quibus afficiantur Indulgentiis ex conceſſione Innocentii XI. *p.* 322. *c.* 1.

Coronis benedictis ab Abbate Montis Serrati Indulgentias conceſſit Benedictus XIII. *p.* 324. *c.* 1.

D

Decreta Sacrarum Congregationum.

Decreta Sacrarum Congregationum habent vim legis, quando juſſu Summorum Pontificum publicantur. *p.* 149. *c.* 1.

Dies Feſtus.

Dies Feſtus totum illud tempus comprehendit, quod ex Eccleſiæ præſcripto ad Sancti venerationem exhibendam

Ec-

Eccleſiaſtico ritu ſtabilitur. *p.* 76. *c.* 1. Ideoque non ſolo viginti quatuor horarum ſpatio concluditur. *ibid.* Ejus intuitu Indulgentia conceditur. *ibid. c.* 2.

E

Eccleſiæ.

Eccleſiarum conſecrationis origo non S. Evariſto, ſed Apoſtolicæ inſtitutioni adſcribenda. *p.* 19. *c.* 1. Niſi dicatur id ſcripto a S. Evariſto primo promulgatum. *ibid.* Solemni & publico ritu conſecrantur tempore Conſtantini Magni. *ibid.*

Eccleſiarum Indulgentiæ.

Eccleſiæ Indulgentiis decorantur ut Sanctis debitus cultus exhibeatur. *p.* 3. *c.* 1. Potiſſimum in Sanctorum Feſtivitatibus. *ibid. c.* 2. Occaſione ſolemnium Canonizationum. *p.* 4. *c.* 1. Ab Honorio III. in Canonizatione S. Laurentii Epiſcopi Dublinenſis. *ib.* A Gregorio IX. in Canoniz. S. Antonii Patavini. *ib.* Pro aliis quoque a Continuatoribus Bollandianis relatis. *ib. c.* 2 Suſpectæ tamen ſunt aſſertæ ex Epiſtola S. Ludgeri conceſſæ a Leone III. in Canonizatione S. Swiberti. *p.* 5. *c.* 1. Sed ſupra Sæculum XIII. legitimum hujuſmodi conceſſionis monumentum non reperitur. *p.* 6. *c.* 2. Si hujus diſciplinæ initium Honorio III. eſt tribuendum, id factum eſt in Canonizatione B. Willelmi Archiepiſcopi Bituricenſis. *p.* 7. *c.* 1. Extra eos actus etiam ſupra Sæculum XII. *ibid.* Sed ſuſpectæ ſunt, quæ afferuntur conceſſæ Eccleſiæ S. Martini in Montibus. *p.* 8. *c.* 1. Poſt Sæculum XIII. & XIV. paſſim concedebantur. *ibid. c.* 2. Sed tanquam legitima recipienda non eſt, quæ aſſeritur data a Bonifacio VIII. pro Feſto Sacrorum Stigmatum Sancti Franciſci. *p.* 9. *c.* 1. Legitima tamen eſt a S. Cœleſtino V. conceſſa pro Eccleſia Sanctæ Mariæ de Collemadio. *ibid.* Antiqua earundem exempla in Beatorum feſtivitatibus. *ibid. c.* 2. Recentior in iis diſciplina. *p.* 11. *c.* 2.

Pro Eccleſiarum diverſitate quæ Indulgentiæ concedantur juxta ſtilum? *p.* 14. *c.* 1. A quo non recedit Sedes Apoſtolica, niſi ob ſpecialem cauſam. *ibid. c.* 2.

Pro Eccleſiæ Dedicatione ejuſmodi remiſſiones ſub finem Sæculi X. *p.* 19. *c.* 1. Alia poſtea ejuſmodi exempla. *ibid.* Quæ juxta ſtatutum Concilii Lateranenſis ab Epiſcopis concedi debeant? *p.* 20. *c.* 2. Juxta ſtilum aliæ Indulgentiæ pro hac feſtivitate non dantur a Sede Apoſtolica. *ibid.* Neque pro feſto Corporis Chriſti propter perpetuas olim conceſſas. *ib.* Niſi ob inſignem Miraculi memoriam ſolemnius celebretur, ubi impune graſſantur hæreſes. *p.* 21. *c.* 1.

Si ea ſit Populorum erga aliquam Eccleſiam devotio, ut eo per totum anni circulum confluant tum ex finitimis tum ex longinquis regionibus, conceditur Plenaria ſemel ab unoquoque intra annum lucrifacienda. *p.* 21. *c.* 2. Quid obſervatione dignum ſit, ne ejuſmodi gratia in eadem Diœceſi multiplicetur? *ibid.*

Epiſcopi.

Epiſcopi poſſunt de jure communi Confraternitates erigere. *p.* 118. *c.* 2. Iis exceptis, quæ ex privilegio ſpectant ad Ordines Regulares. *p.* 119. *c.* 2.

Obtinent Literas Apoſtolicas dandi Benedictionem Apoſtolicam, & Indulgentiam Plenariam in articulo mortis. *p.* 197. *c.* 1. Non tenentur quoad Moniales id earum Confeſſario committere. *ibid. c.* 2. Sed per ſe ipſos id poſſunt præſtare. *ibid.* Debent tamen ea rundem Monaſteria ingredi paucis, iiſque ſenioribus, ac Religioſis perſonis comitati. *ibid.* Tranſgrederentur Gregorii XIII. Conſtitutionem, ſi ſecum ducerent laicum; excepto caſu quod ejus opera tanquam periti indigerent. *p.* 198. *c.* 1. Vide *Ordinarii Locorum.*

Eleemoſynæ.

Eleemoſynæ quomodolibet quæſtu perceptæ non valent a Confratribus proprio, ſed Ordinariorum arbitrio in Eccleſiarum reparationem, aliaſque pios uſus impendi. *p.* 143. *c.* 1.

Euchariſtia.

Euchariſtia ad fovendam religionem, & pie-

pietatem fidelium prioribus ſæculis in columbis aureis & argenteis aſſervabatur. *p.* 175. *c.* 2. Temporum ſucceſſu in Turriculis pretioſis. *p.* 176. *c.* 1. Recentioribus ſæculis in ſacris Pixidibus, & Tabernaculis portatilibus. *ibid. c.* 2.

Euchariſtiæ publica expoſitio.

Euchariſtiæ publica expoſitio quadraginta horarum ſpatio primo Mediolani a Religioſo Ordinis Cappuccinorum inſtituitur. *p.* 176. *c.* 2. Ejus myſteria. *p.* 177. *c.* 2. Per varias Italiæ Urbes propagata, ut Romæ ſingulis menſibus fieret, erecta eſt Confraternitas *Orationis. ibid.* Poſtea a Clemente VIII. in Urbis Eccleſiis ſtatuta, ea ſervata diſtributione, ut quavis hora totius anni nunquam interrupta oratio celebraretur. *p.* 178. *c.* 2.

Euchariſtiæ publice expoſitæ Indulgentiæ.

Orantibus in Eccleſiis Urbis coram SS. Euchariſtia publice expoſita ſpatio unius horæ Plenariam conceſſit in perpetuum Clemens VIII. *p.* 180. *c.* 2. Quam extendit Paulus V. ad orantes minori temporis ſpatio. *ibid.* Eadem gratia conceditur ad ſeptennium orantibus coram Sanctiſſima Euchariſtia publice expoſita per turnum toto anni tempore in Eccleſiis ejuſdem Diœceſis, vel Civitatis. 181. *c.* 1. Servatis tamen quibuſdam conditionibus. *ibid. c.* 2. Eadem Indulgentia conceditur, etiamſi dicta expoſitio ſemel tantum intra annum fiat. 182. *c.* 1 Imo quandoque juxta moderorum ſtilum ex juſtis cauſis noctis tempore intermittatur. *p.* 183. *c.* 1. Quæ Indulgentiæ concedantur, ſi dicta publica expoſitio fiat ſemel vel in menſe, vel in hebdomada mane aut veſpere? *ibid. c.* 2.

F

Feriæ Sextæ menſis Martii.

Pro Feriis ſextis menſis Martii ad recolendam memoriam Paſſionis Chriſti Indulgentiæ conceduntur. *p.* 48 *c.* 2. Quænam ſint? *ib.* Si antea conceſſæ reperiantur pro Eccleſiis, efficiunt, ut novæ cum Clauſula: *Volumus autem &c.* nullæ ſint. *p.* 49. *c.* 1. Id tamen non officit, quominus dentur Monialibus juxta ſtilum. *ibid. c.* 2. Sed incertum eſt, an iis poſtea conceſſis, ubi aliæ antea cum dicta Clauſula fuerunt obtentæ, ſubſiſtant? *p.* 50. *c.* 1.

Feſtivitates Sanctorum.

Feſtivitates Sanctorum Natalitia dictæ ſunt. *p.* 2. *c.* 2. Martyrum tamen duntaxat primis Eccleſiæ ſæculis celebrabantur, poſterioribus etiam Confeſſorum. *ibid.* Quando cœperint pro Confeſſoribus celebrari? *p.* 3. *c.* 1. Indulgentiis a Sede Apoſtolica decorantur. *ib. c.* 2.

Feſtivitatum translatio.

In Feſtivitatibus Sanctorum translatis, an Indulgentiæ transferantur? variæ Authorum placita. *p.* 22. *c.* 1. Favent tamen parti negativæ reſponſiones Congregationis Sacrorum Rituum. *p.* 25. *c.* 1. Quid pro hac translatione exigat SacraCongreg. Indulgentiarum? *ib.*

Pro Feſtivitatibus Sanctorum Indulgentiæ.

Vide *Eccleſiarum Indulgentiæ.*

Formula.

Formula a Congregatione Sacrorum Rituum approbata dandi Benedictionem Apoſtolicam cum Indulgentia in articulo mortis. *p.* 198. *c.* 1.

G

S. Gregorius Magnus.

S. Gregorius Magnus Stationes vagas cum diverſis ritibus & cœremoniis ab aliis, quibus antea celebrabantur, certis Baſilicis aſſignavit. *p.* 31. *c.* 2. Ad Principes dono mittit Claves acceptas ex Confeſſione S. Petri. *p.* 207. *c.* 1.

H

Habitus Regularis.

Habitus Regularis cum primo in Religione ſuſcipitur, Indulgentia Plenaria comparatur. *p.* 99. *c.* 1.

J

Jejunium.

Ob Jejunium ita in honorem Beatæ Virginis Mariæ, vel Sanctorum diſtributum inter Fideles ejuſdem Diœceſis, ut unaquaque die unus ſit, qui eidem vacet, Plenaria ſolet concedi. *p.* 193. *c.* 2. Debent tamen ad eam obtinendam Sedi Apoſtolicæ preces porrigere Epiſcopi. *p.* 194. *c.* 1.

Imagines Sanctorum.

Imagines Sanctorum, ſi charteiceæ ſint, non decorantur Indulgentiis. *p.* 227. *c.* 2.

Indulgentiæ.

Indulgentiæ quomodo dicantur Locales, cum Eccleſiæ capaces non ſint obtinendi peccatorum relaxationes? *p.* 3. *c.* 2. conceduntur pro Sanctorum Feſtivitatibus. *ibid.* Extenduntur quandoque ad plures dies, ſi unius diei periodus non ſufficiat ad fovendam fidelium devotionem. *p.* 221. *c.* 2. Ut ſemel conceſſæ juxta modernum ſtilum confirmentur, oportet edocere Sacram Indulgentiarum Congregationem, quod motiva primæ conceſſionis ſubſiſtant. *p.* 25. *c.* 1. Non tamen omnes antiquæ, ut perdurent, indigent confirmatione. *ibid. c.* 2. Nec oppoſitum habetur ex Regula 57. Cancellariæ. *ibid.*

Indulgentiæ addictæ certis precibus recitandis ad pulſationem Campanæ.

Recitantibus ſingulis Feriis Sextis ad Campanæ ſignum ter *Orationem Dominicam* & totidem *Salutationem Angelicam* in memoriam Paſſionis Chriſti circa horam nonam pro Archiepiſcopatu Mediolanenſi Indulgentias quadraginta dierum concedi ſtatuit Sanctus Carolus Borromæus. *p.* 189. *c.* 1. Uberiores dedit cunctis fidelibus eaſdem preces quinquies recitantibus flexis genibus Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS XIV. *ibid.*

Licet incertum ſit ob varia Scriptorum placita, quando & a quo fuerit inſtitutus ritus recitandi *Salutationem Angelicam* mane, meridie, & veſpere; certum tamen eſt, eum in Eccleſia Xantonenſi receptum Indulgentiis approbaſſe Joannem XXII. *p.* 191. *c.* 1. Easdem auxit Benedictus XIII. ubique terrarum, adjecta conditione eam recitandi flexis genibus. *p.* 191. *c.* 2. Eam tamen tempore Paſchali recitantes ſtando poſſunt eaſdem Indulgentias acquirere. *p.* 192. *c.* 1.

Sub horam primam noctis recitantibus Pſalmum *De profundis*, vel *Orationem Dominicam* & *Salutationem Angelicam* cum verſic. *Requiem æternam* Indulgentias conceſſit Clemens XII. *p.* 192. *c.* 2.

Indulgentiæ Apocryphæ.

Indulgentiæ Apocryphæ quæ dicantur? *p.* 236. *c.* 1. Quid contra Regulares eas publicantes ſtatuerit Concilium Viennenſe? *ibid. c.* 2. Ne ejuſmodi ſequantur abuſus decrevit Tridentinum Indulgentias non publicari, niſi per Epiſcopos adhibitis duobus de Capitulo. *ib.* Et Concilium Cameracenſe ac Mechlinienſe ſtatuunt debere fideles inſtrui, ne fidem adhibeant iis, quæ ſparguntur in vulgus. *p.* 237. *c.* 1. Eoſdem animadvertens S. Carolus Borromæus Summo Pontifici emendandos adjectis remediis propoſuit. *ibid. c.* 2.

Indulgentiarum Apocrypharum examen.

Indulgentiarum Apocrypharum examen ad Epiſcopum, non ad Inquiſitorem ſpectat. *p.* 238. *c.* 1. Sed ſi ſint in folio, vel libro imprimendo, ab eo excludendus non eſt Inquiſitor. *ib.* Imprimi non debent, ſed deferri vel ad Supremam & Univerſalem Inquiſitionem, vel ad Congregationem Indulgentiarum. *ib. c.* 2. Si ejuſmodi cenſuram ſubjerunt Indulgentiæ, procedi poteſt contra eas imprimentes & publicantes. *ibid.* Quæ pro iis diſcernendis obſervanda ſint? *p.* 240. *c.* 1.

Indulgentiæ declaratæ Apocryphæ.

Quænam Indulgentiæ, & folia, ſeu Summaria ex promulgatis Apocrypha declarata ſint a Sacris Congregationibus? *p.* 247. *c.* 2.

In-

Inquiſitores.

Inquiſitores S.Officii excludendi non ſunt ab Indulgentiarum examine, ſi illæ ſint in foliis vel libris imprimendis. *p.238. c.* 1. Quæ videntur Apocryphæ, non ſinant imprimi; ſed eas deferant ad S. Officii Congregationem, vel ad SacramCongregationem Indulgentiarum. *ibid. c.2.* Poſſunt, ſi Indulgentiæ Apocryphæ declaratæ ſint, contra eas publicantes procedere. *ibid.*

K

Kemnitius.

KEmnitius à Bellarmino monetur, ne ex obſcuris libellis Indulgentias Urbis decerpat. *p.* 246. *c.* 2.

L

Leo IV.

LEO IV. Mantuam acceſſit Sacrum Chriſti Cruorem veneraturus teſte Doneſmundo. *p.* 15. *c.* 1. Ejus particulam Romam detulit,& in Baſilica Lateranenſi repoſuit. *ibid.*

Literæ Apoſtolicæ.

Literæ Apoſtolicæ Indulgentiarum cum expreſſione nominum Beatorum de ſtilo non conceduntur. *p.12. c.2.* Neque cum expreſſione Sanctorum veteris Teſtamenti expedit eas dare. *p.26. c.* 2.

M

Martyrologium.

In MArtyrologio Romano per Gregorium XIII. correcto nullus deſcribitur Sanctus, qui non fuerit canonizatus. *p.* 12. *c.* 1.

Moniales.

Moniales quibus gaudeant Indulgentiis? Vide *Ord. Reg. Indulg.*

N

Novendialia.

NOvendialia immediate præcedentia feſtum Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti Indulgentiis decorantur. *p.* 188. *c.* 1. Secus alia ejuſmodi pro Sanctorum feſtivitatibus inſtituta. *ibid. c.2.*

Numiſmata.

Numiſmata benedixit S. Pius V. eaque Belgis tranſmiſit. *p.*208. *c.* 2. Quomodo pietatem foveant prævie ad Indulgentias? *p.* 222. *c.2.*

Numiſmatum Indulgentiæ.

Numiſmatibus benedictisIndulgentias dedit S.Pius V. *p.*208. *c.* 2. Qui ritus Sæculo XVI.antiquior non eſt. *p.*209. *c.*2. Quid de iis decreverit Clemens VIII. *p.* 223. *c.* 2. Dictarum gratiarum reformationem edidit Urbanus VIII. 224. *c.* 2. Formulæ earundem typis impreſſæ ætate Alexandri VII. *ibid. c.2.* Quæ poſtea in unam fuerunt redactæ. *p.*227. *c.* 2. Non tamen Indulgentiæ afficiunt ejuſmodi res, ſi repræſentent imagines BB., vel SS., qui in Martyrologio Romano deſcripti non ſunt. *ibid.*Quæ formula modo in uſu ſit? *p.* 228. *c.* 1.

O

Oratio.

Pro ORatione ita inter fideles Civitatis vel Diœceſis per annum diſtributa, ut unaquaque hora ſit,qui eidem vacet, ſolet concedi Plenaria. *p.* 193. *c.* 2.

ProOratione flexis genibus fuſa ad ſonum Campanæ pro Agonizantibus Indulgentia ſolet concedi. *p.* 194. *c.* 1.

Oratio quadraginta horarum. Vide *Verb. Euchariſtiæ*.

Ordinarii Locorum.

Ordinarii Locorum debent approbare Confraternitatum ſtatuta. *p.* 131. *c.*1. Indulgentias quoque, & privilegia recognoſcere. *p.* 142. *c.* 2. Prohibere, ne ad quærendas eleemoſynas pro Confraternitatibus deputati locent ius ad eas *p.*143. *c.*1. Poſſunt tamen aliunde ſtipendium honeſtum illis conſtituere, ſi non inveniretur, qui vellet hoc onus ex charitate ſubire. *ibid.*

Ordines Regulares.

Ordines Regulares non habent facultatem aggregandi, ſed erigendi Confraterni-

Digitized by Google

nitates ejuſdem Inſtituti. *p.* 128. *c.* 2. In noviter erigendis Ordinariorum conſenſu indigent; ſecus in confirmandis erectis in propriis Eccleſiis ante Conſtit. Clementis VIII. *Quæcumque*; dummodo ibi cohabitent duodecim Religioſi, ac ſervata in reliquis dicta Conſtitutione. *p.* 129. *c.* 2. Non poſſunt eiſdem communicare Indulgentias ipſis perſonis Regularibus intuitu Ordinum, ſed pro perſonis Sæcularibus conceſſas. *p.* 132. *c.* 1. Et hoc juxta formam editam a Paulo V. *ibid. c.* 2.

Ordinum Regularium Indulgentiæ.

Ordinibus Regularibus Indulgentiæ quare olim conceſſæ? *p.* 88. *c.* 1. A Paulo V. antiquæ revocantur, & novæ conceduntur in perpetuum. *p.* 89. *c.* 1. Quæ ſint, iſtæ in particulari? *ibid.* Ea revocatio non afficit Locales. *p.* 93. *c.* 1. Sed duntaxat Perſonales etiam pro articulo mortis. *p.* 94. *c.* 2. Imo etiam conceſſas cum facultate eas applicandi pro defunctis. *p.* 95. *c.* 1. Prima in Pauli V. Brevi eo die comparatur, quo quis habitum Religionis induit; non vero quando in habitu Sæculari in Religione recipitur. *p.* 99. *c.* 1. Quæ denuo acquiri poteſt a dimiſſo ab aliquo Ordine, ſi alterius Religionis habitum aſſumeret. *ibid. c.* 2. Conceſſa ibi in articulo mortis non acquiritur a Novitio, ſi nondum expleto probationis anno profeſſionem emitteret imminente morte. *p.* 100. *c.* 2. Data pro iis, qui primæ Regularium Miſſæ interfuerint, amplior eſt antiquis; licet ſolos Regulares comprehendat. *p.* 102. *c.* 1.

Afficiunt Moniales etiam actu non exiſtentes ſub gubernio Religioſorum ſui Ordinis. *p.* 103. *c.* 2. Imo Regulares utriuſque ſexus, quorum Cœnobia & Monaſteria nunquam fuerunt ſub dicto gubernio. *p.* 104. *c.* 2. Imo cunctos Mendicantes exiſtentes in locis, ubi Bulla Cruciatæ publicari ſolet; etiamſi dictam Bullam non acceperint. *p.* 106. *c.* 1.

Indulgentia, quam vocant Stationis Sanctiſſimi Sacramenti, fuit conceſſa a Leone X. *p.* 108. *c.* 2. Confirmata a Paulo III. *p.* 109. *c.* 1. Adhuc viget juxta Quintanadvenam, & Antonium a Spiritu Sancto. *ibid. c.* 2. Sed expenſis eorum rationibus oppoſitum aſſerendum eſt. *p.* 110. *c.* 1.

Indulgentia pro Monialibus ſacram Veli benedictionem recipientibus a proprio Epiſcopo juxta ritum Pontificalis Romani conceſſa a Benedicto XIII. *p.* 111. *c.* 2.

Indulgentiæ, quæ ad tempus determinatum concedi ſolent Monialium Monaſteriis. *p.* 112. *c.* 1. Aliæ pro quibuſdam piorum operum exercitationibus, & potiſſimum intuitu Orationis mentalis. *ibid. c.* 2.

Indulgentiarum communicatio inter Ordines Regulares Mendicantes a Leone X. conceditur. *p.* 113 *c.* 1. Datur inter iſtos, & quoſcunque Regulares non Mendicantes. *p.* 114. *c.* 2. Quomodo ſit intelligenda? *p.* 115. *c.* 1.

P

Paulus V.

PAulus V. Omnium Ordinum Regularium, Indulgentias revocavit, novaſque conceſſit. *p.* 89. *c.* 1. Archiconfraternitatum quoque, & Confraternitatum, quæ ſpectant ad Ordines Regulares. *p.* 132. *c.* 2.

Pius IV.

Pius IV. prohibuit Romanæ Curiæ Officialibus ſub pœna excommunicationis majoris ipſo facto incurrenda, ne aliquid pro expediendis Indulgentiarum Brevibus acciperent; exceptis habentibus Clauſulam: *Pro porrigentibus manus adjutrices.* *p.* 84. *c.* 2.

Privilegia.

Privilegia per non uſum amittuntur a Religionibus, & Confraternitatibus. *p.* 143. *c.* 2. Quæ conditiones requirantur, ut non uſus inferat privilegiorum abdicationem? *ibid.*

Privilegia Regularium abſolvendi a caſibus reſervatis. Vide *Caſuum Reſervatorum abſolutio.*

Q

Quæſtores eleemoſynarum.

QUæſtoribus eleemoſynarum pro Eccleſia Montis-Serrati ſuper Indulgen-

gentiis publicandis præſcribitur norma a Suprema & Univerſali Inquiſitione. p. 239. c. 1.

R

Regulares.

Regulares ad Epiſcopatum tranſlati ſunt exemti ab obligationibus, accidentalibus Religionis; ſecus a ſubſtantialibus. p. 107. c. 2. Adſcripti Confraternitatibus poſſunt earum Indulgentias percipere dummodo earundem inſtituta cum obligationibus Regularibus non pugnent. p. 166. c. 2.

Roſarium.

Roſarium Beatæ Virginis Mariæ a S. Dominico inſtitutum vindicatur ab Eminentiſſimo Lambertino. p. 217. c. 2. Aliud ſub titulo *Seraphici* prohibetur a Sacrorum Rituum Congregatione. p. 220. c. 1. Aliud quoque in honorem *Sanctiſſimæ Trinitatis*. p. 221. c. 1.

Recitantes Roſarium Beatæ Virginis Mariæ quibus gaudeant Indulgentiis? p. 316. c. 2.

S

Sacerdos.

Sacerdos non ſatisfacit obligationi celebrandi in Altari Privilegiato, ſi in alio celebrans applicet defuncto Indulgentiam Plenariam pro Numiſmate benedicto conceſſam. p. 56. c. 2.

Sancti.

Sanctorum cultus ex Apoſtolica traditione ortum duxit. p. 2. c. 1. Et ideo a primis Eccleſiæ ſæculis viguit conſuetudo in Sanctorum honorem Aras erigendi, & peregrinationes ad eorum templa inſtituendi. *ibid.*

Sanctorum Solemnis Canonizatio prima non fuit S. Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani. p. 6. c. 1. Cum ea antiquior alia ſit Sancti Udalrici Epiſcopi Auguſtani. *ibid.*

Quid de aliis hac antiquioribus ſentiat Eminentiſſimus Lambertinus. *ibid. c. 2.*

Sancti Veteris Teſtamenti.

Sancti Veteris Teſtamenti a Sacra Scriptura commendantur. p. 26. c. 1. Non expedit pro eorum Feſtivitatibus Indulgentias cum expreſſione nominum eorundem in Literis Apoſtolicis concedere. *ibid.* 2. Iteratis precibus pro feſto S. Eliæ nihil innovandum cenſuit Sacra Cong. Indulgentiarum. p. 27. c. 2. Quod pro particularibus Eccleſiis, vel Ordinibus Regularibus ex Sedis Apoſtolicæ indulto ejuſmodi feſta celebrentur, ſolùm probat congruum eſſe in iis Indulgentias ſine expreſſione nominum eorundem concedi. p. 28. c. 2. Sanctorum Machabæorum quare in Eccleſia Latina feſtum celebretur? *ibid.*

Scala Sancta.

Scalæ Sanctæ prope Eccleſiam S. Joannis Lateranenſis hiſtoria ab Eminentiſſimo Lambertino erudite deſcripta. p. 50. c. 2.

Scalæ Sanctæ Indulgentiæ.

Scalæ Sanctæ Indulgentiæ, quæ aſſeruntur conceſſæ a S. Sylveſtro Papa, & auctæ a D. Gregorio Magno, ſunt ſuſpectæ. p. 52. c. 1. Legitimæ tamen ſunt datæ a Leone IV. confirmatæ & auctæ a Paſchali II. *ibid.*

Ad normam Scalæ Lateranenſis aliæ Scalæ eriguntur, & Indulgentiis decorantur. p. 52. c. 2. Quid pro hujuſmodi conceſſione expendatur. *ibid.* Forma dictæ conceſſionis. p. 53. c. 1.

Scapulare Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ.

Scapulare Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ Indulgentiæ. p. 315. c. 2.

Sedes Apoſtolica.

Sedes Apoſtolica per Cancellariam conſuevit olim facere Indulgentiarum expeditiones. p. 25. c. 2. Sed poſtea id tranſtulit ad Secretariam Brevium. p. 26. c. 1.

Septem Altaria Baſilicæ S. Petri.

Septem Altaria Baſilicæ S. Petri, ad excitandam memoriam ſeptem Stationum Paſſionis Chriſti conſtructa Indulgentiis decorantur. p. 46. c. 2. Varia Auctorum placita ſuper ejuſmodi Indulgentiis. *ib.* Quæ tamen communicantur aliis Eccleſiis habentibus ſeptem Altaria

ria duodecim vicibus intra annum comparandæ. *p.* 47. *c.* 1. Formula earundem. *ibid.*

Septem Eccleſiæ.

Septem Eccleſiæ Urbis pro pia viſitatione quare inſtitutæ? *p.* 47. *c.* 2. Earum numerus non vacat myſterio. *ibid.* Uno die earum viſitatio explenda eſt pro comparandis Indulgentiis. *ibid. c.* 2. Ejuſmodi gratiæ communicantur frequenter extra, raro tamen intra Italiam ſemel duntaxat intra annum acquirendæ. *ibid.*

Societas Jeſu.

Societas Jeſu eſt vere de Ordinibus Mendicantibus, eorumque privilegiis & Indulgentiis tum conceſſis tum concedendis gaudet. *p.* 106. *c.* 1.

Stationes.

Stationes quomodo tum in ſacris tum in profanis literis accipiantur? *p.* 29. *c.* 2. Apud Chriſtianos pro Sacris Conventibus fidelium ſumuntur ad orandum, & verbum Dei audiendum celebratis ad Martyrum ſepulchra. *p.* 30. *c.* 1. Ad ſimilitudinem militaris diſciplinæ. *ib. c.* 2. Earum origo adeo antiqua eſt, ut ad Apoſtolorum tempora referatur. *ibid.* Non tamen ante redditam Eccleſiæ pacem cum proceſſionibus celebrabantur. *p.* 31. *c.* 1. Earum dies erant feria quarta, ſexta, & Sabbatum. *ibid.* Et quidem cum jejunio uſque ad horam pomeridianam. *ibid.*

Sæculo ſexto exeunte, quæ erant vagæ, a D. Gregorio Magno cum aliis ritibus in certis quibuſdam Eccleſiis Urbis deſtinantur. *ibid. c.* 2. Non omnes cum jejunio celebrabantur. *ibid.* Quandoque ſola Statio in Eccleſia indicebatur; quandoque vero Statio in una; in alia vero Collecta. *p.* 32. *c.* 1. Non quilibet fidelium concurſus ad Eccleſias ad divinam opem implorandam, aut ex praxi, aut de jure Statio dici poteſt. *ibid. c.* 2.

Stationum Indulgentiæ.

Pro Stationibus quare fuerint conceſſæ Indulgentiæ? *p.* 32. *c.* 2. Primus earum Author juxta D. Thomam alioſque Scriptores fuit D. Gregorius Magnus. *p.* 33. *c.* 1. Oppoſitum tamen ab aliis aſſeritur, ex quo uſus Indulgentiarum quoad ſpecificationem vel annorum vel dierum Sæculo XI. antiquior nequeat edoceri. *ibid.* Sed id tanti ponderis non eſt, ut nequeat invicte refelli. *ib. c.* 2. Eas tamen tanquam a D. Gregorio conceſſas confirmavit Bonifacius VIII. partialem addens pro Quadrageſimalibus. *p.* 34. *c.* 1. Aliæ ex antiquis Cœremonialibus pro aliis diebus, quibus ejuſmodi functiones celebrabantur. *p.* 35. *c.* 1. Antiquus earum Index ex Codice Vaticano excerptus. *p.* 41. *c.* 1. Alius recentior, qui eſt in uſu. *p.* 44. *c.* 1.

Communicantur ejuſmodi gratiæ Regularibus utriuſque ſexus, recipientibus Bullam Cruciatæ, quibuſdam Confraternitatibus, aliiſque locis piis. *p.* 35. *c.* 1. Non poſſunt acquiri ſingulis diebus, ſed iis tantum, quibus Stationes juxta Miſſale Romanum in Eccleſiis vel intra vel extra Urbem celebrantur. *p.* 36. *c.* 2. Quando communicantur, non intelliguntur ob alias cauſas Eccleſiis Urbis conceſſæ. *p.* 38. *c.* 1. Supremis Principibus, eorumque domeſticis indultæ perpetuæ ſunt, ſi dignitatem earum conceſſio reſpiciat; ſecus ſi perſonas. *p.* 39. *c.* 2.

Summarium Indulgentiarum.

Summarium Indulgentiarum pro Confraternitatibus *Roſarii Beatæ Virginis Mariæ*. *p.* 260. *c.* 1. Pro Confraternitatibus *Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo*. *p.* 272. *c.* 2. Pro Confraternitatibus *Cincturatorum SS. Auguſtini & Monicæ*. *p.* 280. *c.* 1. Pro Confraternitatibus *Sanctiſſimæ Trinitatis Redemcionis Captivorum*. *p.* 293. *c.* 1. Pro Confraternitatibus *Beatæ Mariæ de Mercede Redemtionis Captivorum*. *p.* 97. *c.* 1. Pro Confraternitatibus *Chordigerorum Sancti Franciſci*. *p.* 302. *c.* 2. Pro Confraternitatibus *Servorum ſive Septem Dolorum Beatæ Virginis Mariæ*. *p.* 306. *c.* 1. Pro Coronis Numiſmatibus &c. benedictis ab Abbate Montis-Serrati. *p.* 324. *c.* 1.

T

Theſaurus.

THeſaurus meritorum Chriſti & Sanctorum per Indulgentiarum conceſſionem confluentibus ad Eccleſias aperitur. *p.* 3. *c.* 2.

V

Veſperæ.

VEſperarum nomen apud veteres Latinos ad extremam diei partem ſignificandam ſumebatur. *p.* 73. *c.* 2. Poſtea uſurpatum eſt ad ſignificandum tempus, quo poſt meridiem ante Solis Occaſum Horæ Veſpertinæ in Choro recitantur. *p.* 74. *c.* 1. Vide *Clauſ. a primis Veſperis &c.*

Via Crucis.

Via Crucis Indulgentiis decoratur a Benedicto XIII. *p.* 327. *c.* 1. Erigi poteſt in locis etiam non ſubjectis Miniſtro Generali Minorum Obſervantium cum iiſdem Indulgentiis *p.* 330. *c.* 2. Leges a Sacra Congregatione Indulgentiarum ſuper modo, & forma eam erigendi, & Indulgentiis publicandis ſtatutæ. *p.* 331. *c.* 1.

Vicarii.

Vicarii Capitulares & Apoſtolici recurrentes ad Sacram Congregationem Indulgentiarum pro facultate dandi Benedictionem Apoſtolicam, & Indulgentiam in articulo mortis quam reſponſionem habuerint? *p.* 197. *c.* 2.

ERRATA MAGIS OBVIA SIC CORRIGE.

Primus numerus indicat paginam, ſecundus columnam, tertius lineam, quæ a principio columnæ, prout occurrit, numeratur.

PAgina 4. c. 2. l. 28. miſericoria, *leg.* miſericordia. *pag.* 14. c. 2. l. 54. diremta lis, *leg.* diremtalis. *pag.* 31. c. 1. l. 13. quinta, *leg.* ſexta. *pag.* 39. c. 2. l. 10. Santiſſimo, *leg.* Sanctiſſimo. *pag.* 55. c. 1. l. 24. Altariis, *leg.* Altaris. *pag.* 60. c. 2. l. 19. Choriothien., *leg.* Corinthien. *pag.* 61. c. 2. l. 30. *deme hæc verba*, cum ſolitis Clauſulis obtineri. *pag.* 70. c. 2. l. 37. decorare, *leg.* decoramus. *pag.* 76. c. 2. l. 46. tres horas continere, *leg.* tres alias horas continere. *pag.* 89. c. 2. l. 52. aſtracti, *leg.* abſtracti. *pag.* 93. c. 1. l. 46. per hoc Breve revocatis, *leg.* per hoc Breve antiquis revocatis. *pag.* 106. c. 1. l. 34. propoſitio, *leg.* propoſito. *pag.* 110. c. 1. l. 2. partiales quinquaginte mille annorum, *leg.* partiales quinquaginta millium annorum. *pag.* 114. c. 2. l. 54. Sendinum Regularium, *leg.* Ordinum Regularium. *pag.* 129. c. 1. l. 35 Ulypponenſi, *leg.* Ulyſipponenſi. *pag.* 132. c. 2. l. 38. Anno MDCVI. Confraternitatibus Cincturatorum, *leg.* Anno MDCVI. pro Confraternitatibus Cincturatorum. *ib.* c. 1. l. 42. elaſis, *leg.* elapſis. *pag.* 134. c. 1. l. 39. erectis aggregatis, *leg.* erectis & eggregatis. *pag.* 135. c. 1. l. 1. vebis, *leg.* verbis. *pag.* 138. c. 1. l. 26. prorio, *leg.* proprio. *ibid.* c. 2. l. 16. A. Socriovius, *leg.* A. Socroſovius. *pag.* 150. c. 2. l. 10. exrimenda, *leg.* exprimenda. *pag.* 167. c. 2. l. 48. quæ legitime impeditis. *leg.* quæ ad legitime impeditos. *pag.* 170. c. 1. l. 17. Contraternitatibus, *leg.* Contraternitati. *pag.* 173. c. 1. l. 31. Archiconreternitati, *leg.* Archiconfraternitati. *pag.* 184. c. 1. l. 17. conſluntes, *leg.* confluentes. *pag.* 190. c. 2. l. 30. in Meridie dari. *leg.* in Meridie dari voluit. *pag.* 190. c. 2. l. 51. urgente in noctem die. *leg.* vergente in noctem die, *ibid.* l. 53. Virginem hora, *leg.* Virginem ex hora. *pag.* 211. c. 1. l. 50. felicit eradauxit, *leg.* feliciter adauxit. *pag.* 217. c. 1. l. 39. exorbitentes pollicentur, *leg.* exorbitantes Indulgentias pollicentur. *pag.* 252. c. 1. l. 9. in partibus ultremontanis ex illo, *leg.* in partibus ultramontanis ex duobus Decretis, illo. *pag.* 255. c. 2. l. 39. Sapulare, *leg.* Scapulare. *pag.* 292. c. 2. l. 48. poſiam, *leg.* poſitam. *pag.* 300. c. 1. l. 15. particeps, *leg.* participes. *pag.* 310. c. 2. l. 39. ed ſunt, *leg.* edſunt.

Alia non pauciora, nec leviora, erudite Lector per te ipſe corrigito.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google